GC. IV. 5.
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 E
25
C.V. I
17
13-1. h. 29.

CLEMENTI
DUODECIMO
PONTIFICI
OPTIMO MAXIMO
OPUS

De Capacitate Canonicorum Regularium ad Beneficia Eccleſiaſtica Secularia

D. D. D.

PATER DOMNUS CÆSAR BENVENUTI

CREMENSIS

Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini Congregationis Lateranenſis Abbas Perpetuus.

ROMÆ, MDCCXXXII.

Typis Antonii de Rubeis, è Foro Rotundæ, in via ad Seminarium Romanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Biblio. Collegii S. Blaſii, & Caroli

Beatiſsime Pater.

QUum Maximum & Optimum Principem deceat, BEATISSIME PATER, ad quamdam Dei ſimilitudinem, *Magnum eſſe in Magnis, nec parvum eſſe in minimis*; ea, quâ, Univerſum temperas, Sacra Majeſtas, eximiaque Amoris Tui dulcedo, omnium gratiâ, firmiam ingerunt ſpem, Ex Auguſtino Serm. 213. n.1.

Te nonnihil hoc religioſi otii mei, Magnanimitate Tuâ excepturum; exiguum ſanè, quia meum; magnum porrò, ob Diſciplinæ Jura, quorum locuples eſt, ex Scrinio Pontificii pectoris, Bono Publico, erumpentia. Ea, reor, ſunt, quæ Ter-maximum, Terque Optimum efficiunt Te, SANCTISSIME PATER, Eccleſiæ Legum Conditor, Interpres & Cuſtos. Hujus Sacri Juris ingenitus Tibi amor, grandævam aduſque ætatem fidiſſimus comes, nonne, dum Cardinalem agebas, honeſtiſſimæ conſuetudinis vinculis, innumeros vetuſto ſanguine claros, allicuit, illicuitque Tibi, vel eos ut ab illecebris Urbis abſtraheres, aut morum gravitate, exemplo Tuo ſeneſcerent, Tuâque eruditione proficerent? Præſtantiſſimam hanc indolem Majorum Tuorum, Dignitatibus, Literis, Sanctitate niteſcentium, inſitam animis, Tu puro lacte ſuxiſti. Sed quia, *Genus & Proavos & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco*, ingenio, ac bonis artibus eam adeo excoluiſti, ut Prudentiâ, Vigilantiâ, indefeſſaque ſollicitudine præeuntibus, Urbis & Orbis Felicitati vivens, Romanam Purpuram ac Vaticanum Clavum, Tu ipſe condecorares. Hæc ſunt Proſapiæ Tuæ conſpicua ſemina, in Uno Te, germinantia in centuplum, qui adſequutus Apoſtolicæ gloriæ metam, Gentis Tuæ, ſummo genere prognatæ, priſcos viciſti honores. Cùm ergo unxerit Te Deus oleo lætitiæ pre conſortibus Tuis, ſingulari etiam privilegio factum eſt, ut dilectio Juſtitiæ & odium iniquitatis, caſtiſſimo fædere, obviarent Tibi, qui toto vitæ decurſu, viâ regiâ incedens, declinaſti nunquam ad Dexteram, neque ad Siniſtram, conſtantiſſimâ morum integritate, Boni & Æqui, amore & cultu. Faſtigium honoris tenes, & quo grandior

Ovid. lib. 3. Metamorph.

Ex l. 2. Decretal. Tit. 17. cap. 1. Innocen. III. Mediolanen. Archiepiſc.

dior evadas non habes, niſi ut eminentiâ Benignitatis Tuæ, minima reſpiciendo extollas. Nequaquam dedigneris, quæſo, glorioſiſſime Princeps, hoc licet exiguum reverentiæ meæ teſtimonium, Vaticano Solio provolutum, Abſit, ut in eorum abeam gratiam, qui *Ingratitudinis adorant ſimulacrum, iique ſunt*, ex Stephano Tornacenſi, *qui collati ſibi Beneficii memoriam, vel extinguunt improbi, vel negligunt indevoti*. Diu vivas, Optime & Inclyte Princeps Urbis delicio & Orbis, læti optamus, ut ea quæ foris ſunt ampliſſima Regna jugo Fidei ſubacta, & Throno Apoſtolici Domni proſtrata, in oſculo Obedientiæ & Pacis, gaudens Eccleſia intueatur, ſicuti quondam ſtupens Roma conſpexit: *Imperii nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrum Piſcatoris Petri, ſubmiſſo capite ſupplicare*.

Epiſt. 178.

S. Auguſtin. ep. 232. n. 3.

PRÆFATIO
Ad Candidum Lectorem.

Palæſtrina, l'anno 1723.

SAcri Apoſtolici Ordinis Canonicorum Regularium, Eccleſiæ recens natæ tempore in lucem editi præſtantiam oſtenſurus, ab exordio ſermonis mei ingenuum Lectorem quæro, qui erga Canonicum meum Ordinem nimii amoris delictum, in Me nec ſpernat, nec damnet. Olim jam Sancti Patris Aurelii Auguſtini Reformatoris Noſtrûm inclyti, Vitam, Moreſque Barberinis Typis excudimus, nec non Matris Noſtræ, Religionis, ſcilicet, Canonicæ, ſeu Canonici Ordinis Ortum, Succeſſionem ac Propagationem Chronologicâ & Criticâ methodo poſtmodum Romæ publicæ luci conceſſimus. Nunc verò integrum ſit de eorundem Filiorum, Canonicorum, ideſt, Regularium nativâ & primigeniâ ad Beneficia Secularia Capacitate novum moliri Opus, profectò non abſque utilitate, fructuque, ſi Rem, ut oportet, aggrediamur & illuſtremus. Magna ſanè provincia exiguis eruditionis Canonicæ opibus diviti. Neque ego diſſimulo cum Auguſtino, quòd: Magna Res, magnos Viros deſiderat. Ne ergo audaciæ notâ aſpergar, diſperſa in Unum congeſta dumtaxat, Benevolo Lectori, delibanda exhibeo, propterea quod florentiſſimis hiſce ſeculis, die plenâ fruentibus, nova edere, præclarè ut decet, nonniſi pauciſſimis, iiſque optimis, donatum ſit. De Re Beneficiariâ, quæ Regularium Canonicorum Capacitatem ad Secularia Beneficia proſpicere viſa eſt, accipe, amice Lector, faſciculum hunc brevem ex ſententiarum Canonicarum floſculis, qualitercunque contextum. Hac leviore viâ, maturius feliciuſque ad hæc argumenta tritò pervenies; quæ cùm raro & perfunctoriè, calamoque parùm charitati apto, veritatique conſentaneo pertractentur aliquando, intricata indigeſtaque in nocte profundâ relinquuntur; & nonniſi difficulter & ſerius in hæc ſtudia quis ingreditur, quoniam arduitas, quæ in Viros quoque conſtantes cadere ſolet, vel Tyrones in his litteris exterret, vel deſertores creat. Conſilium æquitatis eſt, ut Jura noſtra palam fiant, ne diem ſemper umbris opacam noctique ſimilem reſpirent. Non in minimis ergo ponendum erit Beneficiis, ſi obſcura in lucem, dubia in certitudinem perducamus, cum, ne idem omnium temporum fatum, eademque facies ſit diſcrepantium animorum, tum, ut Bellum Nobis diu indictum, unius armis veritatis, vel quieta Pax componat, vel mitius recrudeſcat. Longè autem aliter Res ne cadat, Priora Eccleſiæ tempora reſpicere duximus, necnon ea, quæ ſuccedentia ſtatuère ſecula, ut concinno hoc ordine, quid ſenſerit antiquitas uno intuitu comprehendi valeat, manuque contrectari. Ab Eccleſiæ naſcentis tempore, à quo læta primordia Canonicus Ordo cæpit, aduſque Gregorii XIII. Ævum, nulla Generalis Lex, Conciliaris Sanctio, Conſuetudo vel Conſtitutio obſiſtens reperiri poteſt, quæ vel Canonicis Regularibus Beneficiorum Secularium adſequutionem contenderit, aut interdixerit. Quinimò, par eſt judicare, antiquis temporibus, ex perfectioribus eximiiſque Clericis Communem Vitam cum Epiſcopis tranſigentibus, Parochos ſeligi conſueviſſe, juxta auream Ivonis Carnutenſis ſententiam: In primitivâ Eccleſiâ nullus conſtitutus eſt Rector Animarum, niſi de Communi Vitâ aſſumptus. Horum Clericorum Cœtui, Canonicus Ordo ex Inſtituto affinis, uberrimam Paſtorum ſobolem Fidelibus Populis progignere nunquam deſtitit, nec non Aurelii Auguſtini præclaro præeunte exemplo, qui, antè, Parochus quàm Epiſcopus, Africano Gregi erudiendo dederat Monaſterii ſui egregios

Diſcorſo Storico. Roma l'anno 1728. Ita'ico ambos Idiomate.

Cont. Academ. l. 1. c. 2. n. 6.

Epiſt. 213. ad Joan. Aurelianen.

gios Rectores, quorum, Canonicorumve Regularium una indoles, eadem diſciplina, iidemque mores. Remotâ partium causâ, ſi præcedentium Conciliorum Canonumque memores eſſemus, ludibrio ſanè haberentur, qui contra hujuſmodi Capacitatem, vetuſtâ poſſeſſione ſtabilitam, coràm diſputarent. Comminiſci potius eſſet objecta, quàm in Codicibus Eccleſiaſticis offendere. Nimis quoque perversè Noſtri Lateranenſes ſe priſci Patres amaſſent, Formulam Profeſſionis concipiendo, Reformationis fervente ſpiritu, ſi in has pluſquam Cimmerias tenebras cecidiſſent, ut ſibi licitum id eſſe ſomniarent, quod, utriuſque Juris paginâ reclamante, reprobum damnatumque fuiſſet. Poſt longum ſeculorum decurſum, tranquillam hanc Conſuetudinem, in adeundis Beneficiis Secularibus, ſolâ accedente Patris Abbatis Generalis Licentiâ, Gregorio XIII. primò placuit vel levi manu tangere, quem aliquot Succeſſorum ejus imitati ſunt, quos inter præcipuè Clemens X., gravique decreto. Quamvis autem minimè hæc diſſimulare poſſimus, nihilominus adfirmare nulli dubitamus, Pontifices Maximos Jura omnia in ſcrinio ſui pectoris habentes Canonicorum Regularium Jus & Capacitatem ſartamtectam voluiſſe, ac reliquiſſe. Majores Noſtri cordatæ mentis Viri, ut par erat, quid ſanxerint Prædeceſſores Pontifices ad Vaticani Clavi moderatorem Optimum, Summum, Maximumque Pontificem Clementem XI. reverentiſſimè detulère. De hoc nunquam interituro Pontifice Sacra Rota hæc protulit; Tandem communi Catholici Orbis lætitiâ Non ſub ſpecie Recuſantis, ut de Auguſto refert Tacitus, Neque callidâ cunctatione ſuſpendens, ex relatis in Vita Tiberii per Svetonium Tranquillum, ſed verè, ac modeſtè invitus ob illam Chriſtianam Humilitatem, per quam quis exaltatur juxta divinum Oraculum, evectus fuit ad ſupremi Apoſtolatus apicem. *Hic ergo Reipublicæ literariæ doctiſſimus Princeps, Orientalium Linguarum, Antiquitatumque Romanarum ferventiſſimus amator, ſacrorumque Canonum Conditor, ac Interpres, Noſtrarum Rerum apprimè memor, vetuſtiſſimam hanc materiam, antiquiſſimis monumentis enucleandam voluit, ſancivit, decrevitque, hoc eſt:* In puncto Juris Communis, Concilii Tridentini, ex vi Profeſſionis, & Inſtituti. *Si eliminatis damnatiſque partium ſtudiis veritas inveſtigetur, longè ab hoc Volumine eundem fortè non erit ad nova invenienda ſubſidia pro lucidiori argumenti hujus illuſtratione obtinenda. Optimæ culturæ Profeſſores adivimus, veterum monumenta ad hæc puncta pertinentia luſtravimus, collegimus, in unumque hoc Opus diſpoſuimus. Nonnulla alio præterivimus ſilentio Jus Novum ſpectantia. Selectiora nihilominus ac difficiliora miſſa minimè fecimus ad Operis ornatum, nequaquam autem ad complementum. Accipe ergo, Amice Lector, utcunque elaboratum hoc Opus; neque vitio vertas quantumvis aliquantulâ ulciſcendi libidine id edi optaſſem:* Lites quoque & ſapientes gerunt, & ſine injuriâ jus quæritur inter amicos; *& ut Ovidius cecinit;* Armaque in armatos, ſumere Jura ſinunt. *Poſterorum concordiæ, ac paci non leviter conſulere pro modulo noſtro, arbitrati ſumus: Juventuti quoque Ordini Canonico quæ ſuperventura eſt, forte exemplum relinquam, Rerum, nempe, Noſtrarum ſtudia extraneis laboribus anteferri oportere.* Non enim culpâ caret immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti. *Utinam, demum, junctis fœdere mutuo dextris litteraria hæc Bella ſileant: ſat enim Controverſiis diſſidiiſque datum eſt. Ad exoptatiſſimam Pacem feſtinè curritur, dum veritas exploratur. Hæc,* dulcis eſt & amara: quando dulcis, parcit; & quando amara, curat. *Errores inſcitiæ meæ amara veritas curet; obtrectantium ſtudioſè linguis, dulcis parcat Veritas.*

In Auguſtana Canonicatus Ven. 12. Januar. 1703. R.mo Molines decano.

Boſſus l. 1. epiſt. 101.

Ovid. de arte amandi.

Reg. Juris la 36.

Auguſt. Ep. 247. n. 1.

NOS

NOS D. ASCANIUS VARESIUS PATAVINUS

Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium Abbas Generalis.

QUum noſtræ Congregationis Theologi ex commiſſione noſtra diligenter, & attente examinaverint Opuſculum elucubratum a Reverendiſſimo P. D. Cæſare Benvenuti Cremenſe noſtræ Congregationis Lateranen. Abbate, quod inſcribitur: *De capacitate Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini ad Beneficia Secularia cum Cura, vel ſine Cura &c.* Quumque inſuper nobis teſtati ſint, ſe in eo nil orthodoxę fidei, aut bonis moribus adverſum deprehendiſſe; Idcirco Nos quantum in Nobis eſt, auctoritate qua fungimur, licentiam concedimus, ut publicam lucem adſpiciat, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur, & ſervatis aliis de jure ſervandis. Ita omni meliori &c. In quorum fidem &c. Datum Patavii ex Canonica noſtra S. Joannis in Viridario die 18. Aprilis 1732.

D. ASCANIUS VARESIUS ABB. GENERALIS.

D. Paulus Rinaldi Abb. Secretarius.

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Baccarius Epiſc. Bojan. Viceſgerens.

APPROBATIO.

DUm plurima, Reverendiſſimi Patris D. Cæſaris Benvenuti Canonici Regularis Ordinis S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis Abbatis Perpetui, Opera Eruditorum manibus verſarentur, idem Doctiſſimus Scriptor aliud adornavit, cui Titulus: *Tractatus de Capacitate Canonicorum Regularium ad Beneficia Sæcularia &c.* Hoc cùm Reverendiſſimi Patris Joannis Benedicti Zuanelli Sac. Palat. Apoſt. Magiſtri nutu expenderim, nihil in eo, ſive Catholicæ Fidei veritas, ſive Morum Doctrina ſpectetur, cenſoriô ſtigmate configendum, ſed totum ipſum publicâ luce, ac publicâ item laude dignum inveni. Clariſſimus ſiquidem Author ita Ordinis ſui Jura vindicat, ità ſtylo perſequitur, ut ea, accitis undique momentis, & doctè aſſerat, & illuſtret egregiè. Et quoniam, quod temporum interdùm, & rerum occaſio obtulit, Vitæ Sanctitas, quæ Canonicos Regulares deceat, Majorum ſuorum dictis, & exemplis hîc deſcripta cernitur, non ſine præclaro animorum motu hæc lucubratio volvetur, ab illis maximè, qui ejuſdem diſciplinæ cùm ſint, ſua ea adhortamenta eſſe putabunt, gentiliſque veterum ſplendor incurret in oculos Poſterorum. Datum Romæ, in Ædibus S. Silveſtri Montis Quirinalis die 16. Junii 1732.

D. Joſephus Maria de Petio Clericus Reg., SS. Congreg. Indicis, & Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum Conſultor, atque in Urbe Cleri Examinator Apoſtolicus.

APPROBATIO.

LIbrum, cui Titulus: *Tractatus de Capacitate Canonicorum Regularium ad Beneficia Sæcularia &c.* Elucubratum à Reverendiſſimo Patre D. Cæſare Benvenuto Cremenſi Canonico Regulari Ordinis S. Auguſtini Lateranen. Abbate Perpetuo attentè perlegi ex commiſſione Reverendiſſimi Patris Fr. Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, & in eo evolvendo nihil profectò reperi, quòd vel Orthodoxæ fidei oraculis, vel Œcumenicorum Conciliorum decretis, vel bonorum morum honeſtati repugnet, quinimò talia paſsim omnia inveni, qualia commoſtrare poſſunt pietatem, necnon eruditionem clariſsimi Auctoris: validis enim rationum, & auctoritatum momentis ab ipſo ita propugnantur privilegia Canonicis Regularibus à Summis Pontificibus conceſſa ad Beneficia Sæcularia conſequenda, ut clariſsimè appareat præfatum Librum nonniſi ab Auctore Sacrâ eruditione, Jure Canonico, & Theologica facultate conſultiſsimo adornari potuiſſe; quapropter eum publicâ luce digniſsimum cenſeo. Datum Romæ in Ædibus S. Sylveſtri Montis Quirinalis die 16. Maji 1732.

D. Cajetanus Maria Merati Clericus Reg. Sac. Rit. Congreg. Conſultor.

IMPRIMATUR.
Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

IN-

INDEX.

ARTICULUS I.

Canonicorum Regularium Capacitas ad Beneficia Eccleſiaſtica Secularia innuitur, ſi eorumdem Beneficiorum Eccleſiaſticorum origo bene perpendatur. pag. 1.

§. I.

In Primitivâ Eccleſiâ Miniſtri Sacri Altaris Oblationibus, quas Fideles ſuppeditabant, ſuſtentabantur. Oblationibus, & Collectis ſucceſſere Fundi, ex Fidelium munificâ largitate, pro eorumdem Miniſtrorum uberiore ac ſecuriore ſubſidio. 1.

§. II.

Rerum temporalium, quæ accedebant Eccleſiæ, Apoſtoli erant æquiſſimi Diſpenſatores. Paſtores præficiebantur Regimini animarum in Eccleſiis novæ erectionis. De reditibus, ſeu fundis, qui pro eorum victu Parochis adſignabantur. 3.

§. III.

Expenditur brevius & clarius Beneficiorum origo: & quinam fuerit Paſtorum animarum caracter. 5.

§. IV.

Canonici Regulares verè, & propriè Clericali Dignitate ſunt inſigniti. 10.

§. V.

Canonicorum Regularium Cœtum ab Apoſtolorum Collegio initium cepiſſe ſolidè detegitur. 11.

§. VI.

Ut lux amplior affundatur rebus huc uſque digeſtis, nonnulla, unde Vocabulum Clerici, Canonici, Canonicique Regularis petatur, recenſere, raptim tamen & perſtrictè. hic mei conſilii eſt. 16.

ARTICULUS II.

De Capacitate Canonicorum Regularium ad Beneficia Sæcularia obtinenda, ſi ſpectentur ut Filii Divi Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, qui eorum inſignis fuit Reformator. 20.

§. I.

Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus eſt inſignis Reformator Canonici Ordinis. 20.

§. II.

Clerici Hipponenſes à S. Auguſtino inſtituti Hierarchica munia obeunt, Populorum Regimini deſtinantur. 25.

§. III.

Canonici Regulares Succeſſores Clericorum Divi Auguſtini in eandem indolem vocati ſunt Eccleſiis miniſtrandi, & Animas regendi. 27.

§. IV.

Apoſtoli, & Clerici Epiſcopii Hipponenſis vota Religionis ſubſtantialia voverunt. ibid.

ARTICULUS III.

Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia Capacitas, congeſtis Conciliorum & Canonum teſtimoniis, quæ Juris Communis fundamenta ſunt, Chronologicâ methodo illuſtratur. 30.

§. I.

Authoris intentio aperitur. ibid.

§. II.

Quid in hanc Rem ex Concilio Vaſenſi Anni 529. colligere eſt. 31.

§. III.

Concilium Hiſpalenſe II. Anni 619. Capacitati Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia minimè obeſt. 32.

§. IV.

Conciliis Toletano IV. anni 633. & Meldenſi anni 845. quæ oſtendunt qualis vitæ probitas deſiderabatur in Parochis, haud parum innuitur eos ſeligi potius ex Clero Regulari quam ex Seculari; cæteris paribus. 34.

§. V.

§. V.
Ex Concilio Pictavienſi Anni 1078. *Canonicos Regulares cum Monachis nonnulli abſolutè malè confundunt.* 36.
§. VI.
Urbanus II. Canonicis Regularibus licere declarat regimini Animarum deputari poſſe in Eccleſiis Monaſteriorum Juri ſubjectis. 37.
§. VII.
Ivonis Epiſtolâ ad Abbatem Stirpenſem ſcriptâ, Anno circiter 1089. *aut* 1090., *Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia Capacitas, mirificè defenditur.* 37.
§. VIII.
Idem Ivo de eodem argumento ad Epiſcopum Aurelianenſem ſcribit. 39.
§. IX.
Nemauſenſi Concilio anni 1096. *Regularitas Religioſa, relatè ad regendas Animas, Secularitati Clericorum præponitur.* 41.
§. X.
Concilium Pictavienſe anni 1100. *pro Canonicorum Regularium Capacitate Sententiam dixit, Diſſenſiones ac Controverſias omnes conciliavit.* 42.

ARTICULUS IV.

C*Anonicorum Regularium Capacitati ad Beneficia Secularia, Sacri Canones Alexandro III. adſcripti, ſuffragantur.* 43.
§. I.
Cap. Monachi *de Statu Monachorum proponitur.* 43.
§. II.
Caput Monachi, *de ſententia Excommunicationis commemoratur.* 44.
§. III.
Caput ſanè, *de Regularibus, exponitur.* 45.
§. IV.
Caput ſuper eo, *de Regularibus, oculis ſubjicitur.* 46.
§. V.
Capitis, præterea, *de Præbendis & dignitatibus, Caſus declaratur.* 47.

ARTICULUS V.

C*Anones Innocentio III. adjudicati, Capacitati Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia, nequaquam obſunt.* 48.
§. I.
Caput Quòd Dei timorem *de Statu Monachorum & Canonicorum Regularium primò conſiderandum occurrit.* 48.
§. II.
Caput Cum Cauſam *de electione & electi poteſtate exponitur.* 51.
§. III.
Caput quidam, *de Apoſtatis à nonnullis perperam objicitur ac refertur. Exponuntur Textus Deuteronomii: Non arabis in Bove ſimul, & Aſino, aliique ſimiles.* 53.
§. IV.
Caput Licet, *de Regularibus, quomodo intelligendum, aſſeritur.* 55.
§. V.
Caput, Deus qui, *de Vita, & honeſtate Clericorum, expenditur.* 55.
§. VI.
Stephani Abbatis Sanctæ Genovefæ, & poſtea Epiſcopi Tornacenſis, Epiſtola, Innocentio III. inſcripta, conſideranda proponitur. 57.

ARTICULUS VI.

H*Onorii III. Canones argumento Capacitatis Canonicorum Regularium manifeſtè minimè obſunt, immo proſunt.* 58.
§. Unicus.
Caput ad Audientiam, *de Capellis Monachorum, quomodo intelligendum ſit, inquiritur.* 58.

AR-

ARTICULUS VII.

Clementis V. Decretales Capacitati Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia minimè adverſantur. 58.

§. I.

Caput, Cùm rationi, *de electione & electi poteſtate, Capacitatem innuit potiùs, quam impugnet.* 58.

§. II.

Caput, ne in Agro, *Clementis V., quomodo intelligendum, expenditur.* 60.

ARTICULUS VIII.

De eodem Argumento Capacitatis ad Beneficia Secularia ex Formulâ Profeſſionis vetuſtiſſimâ apud Canonicos Regulares Lateranenſes ſpecialiter conſuetâ. 61.

§. Unicus.

Formula Profeſſionis apud Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis conſideranda proponitur. 61.

ARTICULUS IX.

Examinatur Principium illud, quo ſtabilitur, beneficia conferri debere, Regularia Regularibus; Secularia Secularibus. 65.

§. I.

Quænam ſit Epocha hujus Axiomatis. 65.

§. II.

Utrum Axioma: Regularia ... *debeat admitti tanquam Lex Generalis, quæ ad omnia Regna, Provincias, & Status extendatur, an verò peculiaris pro aliquo ſingulari Dominio.* 67.

§. III.

Utrum Regula illa comprehendat quodlibet Perſonarum genus, & tempus quodlibet, ſeu quemcumque Anni menſem. 67.

§. IV.

Corollaria ex præcedentibus Paragraphis. 68.

ARTICULUS X.

Anno 1526. ſub Clemente VII. & ſub aliis Pontificibus collata ſunt Beneficia Secularia Regularibus Canonicis in ipſamet Urbe Româ. 70.

ARTICULUS XI.

Sacroſancti Tridentini Concilii teſtimonia adducuntur, quæ rei noſtræ congruere poſſunt. 72.

§. I.

Nonnulla præmittuntur pro majori Argumenti dilucidatione. 72.

§. II.

Afferuntur verba Concilii Cap. II Seſſ. 14. 76.

ARTICULUS XII.

Proponitur Pugna Scriptorum circa Capacitatem Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia. 80.

§. I.

Scriptores numerò plures, auctoritateque graves ſtant pro dictâ Capacitate. 80.

§. II.

Afferuntur auctores, qui favent Capacitati Canonicorum Regularium ad quæque Beneficia acquirenda. 81.

ARTICULUS XIII.

Summorum Pontificum Decreta recenſentur nempe Gregorii XIII. nec non Clementis X. 84.

§. I.

Gregorii XIII. Decretum principem locum obtinet, utpotè primò editum relatè ad argumentum Capacitatis præfatæ Canonicorum Regularium ad prædicta Beneficia Secularia. 84.

§. II.

§. II.

Supplex Libellus Canonicorum Regularium Lateranenſium ad Cardinalem Caraffam. 85.

§. III.

Nonnulla, nec aliena, nec infructuoſa ab Inſtituto noſtro advertenda proponuntur in laudato Reſponſo Gregorii XIII. 86.

§. IV.

Utrum Gregorii XIII Reſponſum ſeu Reſcriptum, cum ſuo Principe expiraverit; & quatenus negativè, num ad Diſpenſationem Apoſtolicæ Sedis, vel tantummodo ad Permiſſionem Summi Pontificis expetendam, Canonicos Regulares Lateranenſes adigat. 88.

§. V.

Sub Gregorio XIII. operâ S. Caroli Borromæi, quidam Canonicus Regularis Lateranenſis inveſtiturâ donatus eſt Eccleſiæ Parochialis Secularis, cum ſolâ Licentia Patris Generalis. 94.

§. VI.

Decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub Clemente Decimo editum, occurrit hîc proponendum. 96.

§. VII.

Num hoc in Decreto ly Indultum, *pro mera Permiſſione an pro vera Diſpenſatione, accipiendum, ſit.* 101.

§. VIII.

Nonnulla afferuntur Cauſam hujus Operis indicantia. 108.

§. IX.

Quædam, Socium, Habitum, Bonorum renunciatorum Recuperationem ſpectantia, occaſione Eccleſiarum Secularium quas obtinent Canonici Regulares, hîc ſtrictim tanguntur. 111.

ARTICULUS XIV.

De Capacitate Canonicorum Regularium, ad Canonicatus Seculares in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis. 116.

§. I.

Character, & Dignitas Canonici Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum inveſtigatur, ejuſque Idea adamuſſim pingitur. 116.

§. II.

Diſſeritur de Vita Communi, quam agebant Canonici in Cathedralibus, agiturque de introducta apud eos, ut ajunt, Secularitate, ac Bonorum, in diſtinctas Præbendas, partitione. 117.

§. III.

Non obſtante Secularitate admiſſa apud Canonicos Cathedralium, ipſis Concilia admodum exactam vivendi Diſciplinam præſcribunt. 120.

§. IV.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, infertur, Regularem Canonicum, cum tranſit ad Canonicatus Seculares, tranſire ad Statum magnæ Ædificationis; ac propterea contradictionem pati non debere, cùm hujuſmodi Tranſitum meditatur. 123.

§. V.

Regularis Canonicus tranſiens ad Beneficia Secularia, Inſtabilis Notâ aſpergi non deberet. 126.

§. VI.

Si Canonicus Regularis cenſetur Capax Beneficiorum Secularium Parochialium; eodem jure cenſeri deberet Capax Beneficiorum Canonicalium pariter Secularium. 128.

§. VII.

Capacitati Canonicorum Regularium ad Canonicatus Seculares Sacri Canones non adverſantur. 129.

ARTICULUS XV.

De Capacitate Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia Simplicia. 132.

§. I.

Quid ſit Beneficium Simplex, & quid Penſio. 132.

§. II.

Origo Beneficiorum Simplicium, ac Penſionum inveſtigatur. 133.

§. III.

Quibus ex Praxi Eccleſiæ, conferantur Beneficia Simplicia, ac Penſiones. 137.

§. IV.

Num etiam Regulares Canonici Capaces ſint Beneficiorum merè Simplicium, nec non Penſionum. 140.

FINIS.

ARTICULUS I.

Canonicorum Regularium Capacitas ad Beneficia Eccleſiaſtica Secularia innuitur, ſi eorumdem Beneficiorum Eccleſiaſticorum Origo bene perpendatur.

§. I.

In Primitivâ Eccleſiâ Miniſtri Sacri Altaris Oblationibus, quas Fideles ſuppeditabant, ſuſtentabantur. Oblationibus, & Collectis ſucceſſere Fundi, ex Fidelium munificâ largitate, pro eorumdem Miniſtrorum uberiore ac ſecuriore ſubſidio.

I. QUONIAM rationi valde conſentaneum eſt, ut congrua labori merces reſpondeat; meritò jure divino mandatum eſt, *non eſſe alligandum os Bovi trituranti*, ac debere in Spe, *qui arat, arare*. Chriſtus Jeſus, omnis juſtitiæ, & æquitatis Auctor & Fons indeficiens, cùm in humanis vitam ageret, interdixit quidem Apoſtolis diſcipuliſque ſecum viatorios deferre ſacculos; verùm ne omnimodâ premerentur penuriâ, prædicationis miniſterio debitam ut acciperent alimoniæ remunerationem, minimè vetuit: *Qui peram, ajebat S. Gregorius, & ſacculum portare prohibuit, ſumptus & alimenta ex prædicatione concedit. Dignum eſt enim, ut ab eis terrena diſpendia conſequamur, quibus Patriæ Cæleſtis præmia afferimus. Dignus eſt enim operarius cibo ſuo*, teſtis eſt Evangeliſta Matthæus. Paulus quoque Apoſtolus Corinthios adhortans, ut hoc juſtitiæ officio fungerentur, in alendis videlicet Evangelii diſſeminatoribus, his verbis commonet, invitat, & inflammat: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Stipem conferre Sacris Miniſtris Laicorum oneri erat, & profectò æquiſſimè, ne ii, à quibus Fidei documentis donabantur, oſtiatim mendicando victitarent. *Tibi Laice convenit, ut largiaris.* Neque ſolummodo Apoſtoli, verùm etiam Clerici inferiores, & qui Beneficiariorum Albo adſcribebantur Fidelium charitate potiebantur, quoniam eorumdem Apoſtolorum Eccleſiaſticarum Functionum hæredes erant, & Succeſſores. *Omnes ſucceſſere in vices, & functiones Apoſtolorum.*

Deuter. c. 11. 1. Cor. 9. 4.

Hom. 17. in Evangel.

Cap. 10. n. 10.

Lib. 2. decretal. tit. 26. de Præſcript. c. 16. cum ex officii debito.

Conſtit. Apoſtol. l. 8. c. 10.

Thomaſſ. part. 3. l. 1. n. 5.

II. In Primitivâ Eccleſiâ largitas Populorum Fidei adgregatorum, Patrimonium erat Clericorum. Eorumdem Oblationibus, Collectis, & Eleemoſynis nutriebantur pauperes, dotabantur Eccleſiæ, vitam tolerabant Miniſtri Altaris. Hiſce naſcentis Eccleſiæ primordiis latifundia minimè occurrebant in Titulum erigenda; neque poſſeſſiones poſſidebantur ad uſum fructum, Clericis adſignandæ; quinimmò incunctanter diſtrahebantur: *Poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant*, Acta Apoſtolica teſtantur, reſervato pretio diurnæ ſuſtentationis gratiâ, religioſè diſpenſando, prout cuique opus erat. *Atque ad eum modum Communia erant omnia.* Obſervat hîc Veteris, & Novæ Eccleſiæ Diſciplinæ auctor, *divendita fuiſſe prædia in Judæa, quòd diutius ibi retineri non poſſent, cùm à Judæis ad Gentiles traducenda mox eſſet Eccleſia. Futuram Eccleſiam in Gentilibus Apoſtoli prævidebant*; alibi legimus, *idcirco prædia in Judæa minimè adepti ſunt*, ſed pretia tantummodo ad fovendos egentes. Eminentiſſimus æquè ac doctiſſimus Cardinalis Petra in eruditiſſimis Commentariis ad Conſtitutiones Apoſtolicas aliam addit cauſam, videlicet; *Quia Bonorum acquiſitio à Judæis non permittebatur Chriſtianis.* Pretia igitur Domorum, Hæreditatum, Agrorumve, qui divendebantur, ſanè ingentia, loco Patrimonii habebantur. Hiſce charitatis emolumentis Eccleſiaſtici illi Operarii in Vineâ Domini abundè contenti, quietam vitam agebant; & veluti ſportulantes potius quàm Beneficiariorum caractere inſigniti, cum ſingulis diebus, tum ſingulis hebdomadibus ſive menſibus, diſtributione accommodâ, ſecundùm temporum varietatem, portiones per-

Actor. 2. 49.

Ibid. n. 4.

Part. 3. pag. 4. n. 12.

Cap. Futuram 12. q. 1.

Tom. 2. pag. 205.

Part. 3. l. 1. cap. 3. n. 5.

Ibid. n. 6.

percipiebant, quibus alerentur, ex opima fidelium munificentiâ. *Certum eſt ergo*, Thomaſſinus proſequitur, *horum tunc Beneficiariorum, ſeu Clericorum proventus, ex ſolis emerſiſſe diſtributionibus, nec ullo eos adhuc fundo, vel donari, vel onerari ſolitos fuiſſe; ſua omnia in Commune poſſidente Eccleſiâ omni. Suppetebat*; dicam cum eodem, *unde tolerare vitam poſſent, non delitiari. Suppetebat, quod neceſſarium, quod etiam commodum videri poſſet: Superfluitas, faſtus, ſplendor omnis præcidebatur.*

2. qu. 1. c. Videntes.

Part. 3. cap. 1. n. 15.

III. Hiſce Eccleſiæ initiis ita res ſe habebant, hoc eſt, Fidei accedentium pietate Chriſti Sacræ Familiæ neceſſaria alimenta erogabantur congeſto pretio, qui diſtrahebantur, agrorum. Verùm optimum conſilium Epiſcopis nec non fidelium menti accidit, Sacris Miniſtris, horum judicio, permaximè proficuum, Bona nempe ipſa immobilia, prædia, domos Eccleſiæ Fiſco ditando, adſignare in Clericorum ſubſidium, non autem fragile pretium, ut perennes haberet fontes ſucceſſivis Eccleſia temporibus, quibus alerentur facilius fideles vitam Communem agentes, Pauperumve indigentia tutius, diutiſsimèque imminueretur. In hanc omnes convenere perſuaſionem cum Eccleſiarum Prælati, tum fidelium Cætus, uti apud Gratianum legitur. *Videntes autem Summi Sacerdotes, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates, & agros quos vendebant, Eccleſiis, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent, eo quod ex ſumptibus eorum, tam præſentibus, quam futuris temporibus plura, & elegantiora poſſent miniſtrare fidelibus, Communem Vitam ducentibus, quam ex pretio ipſorum; cœperunt prædia, & agros, quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus eorum vivere.* Hac de re Thomaſſinus agens, id confirmat his verbis: *Epiſcopis, & fidelibus ipſis in mentem veniſſe tandem, expeditius, fore conſultiuſque, ut fundi ipſi retinerentur, uti perennes eleemoſynarum fontes deinceps futuri.* Num hæc quæ à Gratiano Urbano Papæ aſſeruntur, ut probabilius Auctor diſciplinæ autumat, merces ſint reputandæ Iſidori Mercatoris, viderint cordatiores Critici. Unum eſt in hanc quoque, ut præmonuimus, veniſſe Sententiam Patres Concilii Bituricenſis anno 1584., ſeculo ſatis illuminato, qui priſtinam Eccleſiæ economiam elegantiſſimè delineavere, hoc modo: *Fuerunt ab initio naſcentis Eccleſiæ inter Chriſtianos omnia Communia, & projiciebant Chriſtiani pretia rerum ſuarum ad pedes Apoſtolorum: qui mos ad Urbani primi tempora perſeveravit. Sed cum animadverterent prudentes Pontifices pecuniarum uſum fragilem eſſe; ne Miniſtris Eccleſiarum, & pauperibus victus deficeret, ſancto conſilio receptum eſt, ut patrimonia Eccleſiis aſſignarentur: ne, dum egeſtate compulſi Miniſtri Eccleſiæ victum quæritarent, ab Eccleſiæ miniſterio diſtraherentur. Quia ſcriptum eſt, non eſſe alligandum os Bovi trituranti: & ait Apoſtolus, dignum eſſe operarium mercede ſua.*

Concil. Bituricen. tit. 36.

Actor. 4. 32. 34.

Concil. Bituricen. loc. cit.

Thomaſſin. par. 3. lib. 2. c. 13. n. 10.

Cap. Videntes loc. cit.

IV. Verba fecimus hactenus de Primorum Chriſti fidelium religioſa in Clericos rerum temporalium diſtributione. Obſervatu tamen hìc, ut innuimus, dignum cenſeo, ſub iiſdem ferè Eccleſiæ incunabulis ac fervore, perſonas Eccleſiaſticas prius largitionibus manualibus, pro earumdem victu fuiſſe donatas, ex diſtractione prædiorum, congeſtis, ut Lucas ait in Actibus Apoſtolorum: *Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum*; deinde politiam hanc novo religionis impulſu in aliam formam fideles convertêre, videlicet, ut Eccleſiaſtici, reditibus ac fructibus amplius alerentur, imò agros domoſque ipſas patrimonii loco poſſiderent, ſin minus ut diteſcerent, ſaltem ne majore inopiâ defatigarentur: *Sancto conſilio receptum eſt, ut patrimonia Eccleſiis adſignarentur.* Fides inſuper, Verbi Divini promulgatione, in dies vehementer dilatabatur; ejuſdemque progreſſu valde credentium multitudo excreſcebat, idcirco ingenti rerum temporalium copiâ Eccleſiæ dotabantur; ex quo efficiebatur, ut ne dum Fideles omnes, paupertatis ſectatores, verùm etiam iidem ipſi Clerici, qui, *cùm primum Ordinatione Clero initiabantur, ſuas Eccleſiæ dicabant hæreditates*, nullam quærimoniæ cauſam Communitati, quam amplexi fuerant objicere poſſent, eo quòd Eccleſiæ ampliſſima patrimonia acceſſerint, quo opimo penu, ac cenſu uberrimè, voluntaria eorumdem expoliatio bonorum, recompenſaretur: *Memoratis ergo augumentationibus ... in tantùm Eccleſiæ ... domino adminiculante, creverunt, & tantis maxima pars earum abundat rebus, ut nullus ſit in eis Communem vitam degens, indigens.*

§. II.

§. II.

Rerum temporalium, quæ accedebant Eccleſiæ, Apoſtoli erant æquiſſimi Diſpenſatores. Paſtores præficiebantur Regimini Animarum in Eccleſiis novæ erectionis. De reditibus ſeu fundis, qui pro eorum victu, Parochis adſignabantur.

I. PRISCA illâ ætate una erat totius Diœceſos Eccleſia, quæ & Cathedralis ſeu Matrix nuncupabatur, utpote reliquarum, quæ in dies erigebantur veluti Parens. Uni huic Matrici Eccleſiæ tota Diœceſis obediebat, ab eàque pendebat, ex cujus ſinu documenta fidei effundebantur; cujus item imperio novæ Eccleſiæ, prout neceſſitas poſtulabat, excitabantur. Hinc conſtat meſſem copioſiſſimam oblationum, ac rerum immobilium, quæ obveniebant, ex fidelium gratuitâ lárgitate, dominio Eccleſiæ Cathedralis, & Juri privativo Epiſcopi attinuiſſe, fuiſſeque obnoxiam; quod poſtea Simmachus Papa mandavit in Synodo Romana: *Oblationes fidelium, à nemine percipiantur abſque conſenſu, & voluntate Epiſcopi, in cujus dignoſcuntur eſſe Parochia, & poteſtate.* Hæc porrò manualium diſtributionum erogatio priſcâ illa ætate Apoſtolis concredebatur: *Cum ex eorum prædicationibus, & ſudoribus hi fructus exuberaſſent.* Et teſte Cypriano, id uſu venerat apud fideles: *Qui diſtribuendum per Apoſtolos totum dabant.* In hac bonornm moderatione Apoſtolis ſucceſſere Epiſcopi, quibus integrum erat Res Eccleſiæ Clericis diſpenſare. Et nos juvat conjicere huic pietatis officio, benevolè, providè, fideliterque incubuiſſe: *Secundùm perſonarum qualitatem*, ut ſcribit S. Gregorius, Apoſtolorum exemplo; qua de re auctor notitiæ Conciliorum ſcriptum reliquit in hunc modum: *Hiſce naſcentis Eccleſiæ initiis Apoſtoli non ſolum curæ animarum intenti erant, ſed etiam alimoniæ cæterarumque corporum neceſſitatum ex communibus facultatibus (nihil quippe proprium ſibi, ſuæque familiæ peculiare quiſque fidelium reſervarat) indefeſſâ ſollicitudine diſtinebantur.* Nec ſtupeas ſi hæc erat Apoſtolorum Epiſcoporumque ratio diſpenſationis; cum quia emolumenta illa antè Laicalia, religioſâ illâ abdicatione, inter Bona Divina, locoque Patrimonii Dominici reponebantur: *Non ſunt inter res Mundi deputari credendæ*; tum quia ſi Epiſcoporum zelo Grex Eccleſiæ concredebatur: *Animæ hominum pretioſæ*; jure meritò erat iiſdem deferenda Sacri ærarii diſtributio, quorum potiſſimùm ope, & ſeſe fidei ipſi componebant credentes, & Bona temporalia in Eccleſiaſticum Fiſcum convertebantur. Epiſcopale porrò hoc munus ac jus in oblationes, & res immobiles Eccleſiæ, æquiſſimo judicio adeo exercebatur, ut Epiſcopi, quatuor primorum ſeculorum ſibi ipſi conſulebant de iiſdem Bonis, quantum charitas pauperi ſuppeditaſſet, quo minus egeret: *eo quo pauperes modo.* Familiare erat Apoſtolis Diaconis ſollicitudinem redituum diſtribuendorum imponere; quo exemplo Epiſcopi decretis ſuis ſanxerunt, ut Economi hanc Provinciam ſuſciperent, ſalvâ poteſtate ac arbitrio Prælati, juxta declarationem Concilii Chalcedonenſis cui parêre fas erat: *Secundùm ſententiam proprii Epiſcopi.*

In 6. Synodo Romana.

Thomaſſin. Par. 3. l. 1. c. 1. n. 4.

S. Cyprian. de lapſis.

Epiſt. 16. lib. 4.

Cabaſucc. ſec. 1. n. 3.

Julian. Pomer. de vita contemplat. l. 2. c. 16.

Can. Apoſt. 40. 41.

Cap. 26.

II. Verùm quoniam fidelium meſſis uberrimè augmentabatur piâ operariorum ſedulitate, Epiſcopalis poteſtatis partes erant novas in dies erigendi Eccleſias prout neceſſitas ac utilitas Diœceſeos poſtulabat, cujus moderationi ſubjiciebantur veluti filiæ. Eccleſiis porrò ſive Parochiis recens fundatis cum in Urbe, tum Ruri proprii accedebant proventus in Clericorum Eccleſiæque uſus convertendi, quorum etiam Bonorum adminiſtratio curæ erat Epiſcopi demandata. *Quidquid dono dabatur vel offerebatur*, teſtatur Thomaſſinus; *Eccleſiis Parochiiſque Ruris, vel Civitatis, id totum in Jus, & poteſtatem Epiſcopi ceſſiſſe, qui earum conditor, & parens eſſet, ut membrorum quorumdam Cathedralis Eccleſiæ, quæ primævâ ab origine fuiſſet totius Diœceſeos Eccleſia, reliquaſque ſuo ex ſinu effudiſſet.* Epiſcopi quoque id muneris erat noviter ædificatis Parochiis proprios ordinare Paſtores animarum regimini præficiendos congruâ portione manualium Oblationum, ac Sportularum in dies partitione ipſis adſignatâ, & quidem juſtè, nam: *Qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede.* Primis Eccleſiæ florentis initiis prædia inſimul ac ſingulis diebus partæ Oblationes juri Epiſcopi reſervabantur; qui etiam dividebat Clericis de Eccleſiæ reditibus proportione habitâ eorum muneri, ac labori. Decurſu temporis latifundia ſola ſibimet

Par. 3. l. 2. c. 15. n. 5.

C. Cum ſecundum 16. de præbend. & dignit. tit. 5. lib. 3. decretal.

met retinebant Epiſcopi, relictis ſportulis, & quotidianis oblationibus pro Parochorum victu. Fundos tandem abdicavere Epiſcopi, quibus Paſtores animarum donabantur, juxta diſciplinam temporum juveneſcentis Eccleſiæ, quam diſertè Thomaſſinus his verbis tradit: *Itaque & Clericos ipſe illis in novis Eccleſiis Epiſcopus ordinabat, & Beneficiarios inſtituebat, quibus, & quantum ſibi lubebat, agrorum, & oblationum portionem admetiebatur. Initio totum ſibi, & Communi menſæ Epiſcopi vendicabant, ſportulis ac ſtipendiis cuique Beneficiario aſſignatis. Poſtea fundos ſibi ſolos ſervatos voluere. Denique fundos ipſos Beneficiariis ſingulis fruendos permiſerunt.*

Part. 3. l. 2. c. 7. n. 2.

III. Hæc Paſtorum deſignatio, infidelium fidei adgregatorum gratiâ, Epiſcopi judicio commiſſa, Evariſti Pontificis tempore primitùs cœpit, ut minimè obſcuro Scriptori placuit, Michaeli Francez, ſuo in opere de Cathedralibus Eccleſiis. Sedebat Evariſtus Romæ anno centeſimo decimo, de quo in hanc rem teſtis idoneus eſt Anaſtaſius: *Hic titulos, ait, in Urbe Roma diviſit Presbyteris*; hoc eſt, fidelium domibus in Eccleſias conſecratis, Paſtores, certis cuilibet conſtitutis confinium terminis, deſtinavit: *Ut unuſquiſque ſuæ Pareciæ terminis .... certiſque limitibus diſtingueretur.* Viam univerſæ carnis ingreſſo Evariſto Pontifice, Higinus Papa, qui Eccleſiæ Clavum moderabatur anno poſt Chriſti mortem centeſimo-quinquageſimo-quarto, augeſcente animarum fidelium copiâ: *Cùm unus in unaquaque Pareciâ Presbyter non ſatis eſſet, plures tum Clericos, tum Presbyteros in illis ſingulis conſtituit.* Higini poſt deceſſum, Dionyſium Papam anno ducenteſimo-quinquageſimo-octavo, intra, & extra Urbem Parochias fundaſſe, clariſſima res eſt, pacis auram tunc reſpirante Eccleſiâ Decio, & Valeriano extinctis. *Presbyteris Romanis*, ut ſcribit Anaſtaſius, *Eccleſias, & Cœmeteria in Urbe Româ ſtatim diviſit; Parochias, & Diœceſes foras diſtribuit. Unuſquiſque*, ſupra laudatus Juris conſultus de Sacerdotibus, qui in ſingulis Eccleſiis conſtituebantur, loquens hæc habet; *unuſquiſque proprium cœpit habere Territorium, & certam partem bonorum, ac unicuique Eccleſiæ proprius Paſtor conſtitutus eſt.* Collige hìc non ſolummodo Epiſcopatum, ſed & inferiorem Clericatum eſſe dici ſpirituale cum Eccleſiâ conjugium, quo *Eccleſiis, uti uxoribus propriis ſacramentaliter alligari*, etiam Clericos rectè ſcribit Stephanus Epiſcopus Tornacenſis. Vide Canones Chalcedonenſes Scholiis, & notis illuſtratos per Chriſtianum Lupum. Hinc liquet quanto propè abſit à vero: *Beneficia*, ut obſervat Garzias, *non eſſe de Jure Divino, neque Naturali, ſed Humano. Nam Beneficia primò diviſa ſunt à S. Dionyſio Papa.*

Cap. 2.
Edit. Roma 1723.
Ciaccon.
Martyrol. Saleſ. ni edit. Venet. 1578.
In Dionyſ. V. Ciaccon. ibi. loc. cit.
De Benefic. p. 3. c. 1. n. 3.
To. 1. pag. 538.
Cap. Unic. 13. qu. 1.

IV. Nec hìc prætermittendum eſt non tantummodo Parochorum electionem, primis Eccleſiæ ſeculis eſſe cognatam ſeu affinem; verùm etiam profundas jeciſſe radices inſtitutionem Beneficiorum, quæ uſufructuario Parochis concedebantur jure; quoniam poſt Dionyſium Papam Symmacus Succeſſor decreto mandavit, ne permitterentur ad uſumfructum fundi Eccleſiæ frugiferi, ſolis Clericis exceptis: *Præter Clericos.* Concilium quoque Agatenſe anno quingenteſimo ſexto cupiens ignaviam, & torporem in tuendo Eccleſiaſtico Patrimonio excutere, præcepit Epiſcopis, ut ſummâ induſtriâ invigilarent, ne quis invaderet: *Caſellas, vel Mancipiola Eccleſiæ; itemque eas, quaſi commendatas haberent, neve alienare præſumerent.* Annuiſſe autem compertum eſt Clericis ipſis dari fundos Eccleſiæ uſufructuario jure; attamen non pingues, imò viliſſimi, tenuiſſimique reditus: *Minuſculas vero res, aut Eccleſiæ minus utiles, peregrinis, vel Clericis, ſalvo jure Eccleſiæ, in uſum præſtare permittimus.* Unde Auctor diſciplinæ ſatis aptè reflectit, ita ſcribens: *Hæc Rudimenta ſunt Beneficiorum, ut nunc quidem habent, hoc eſt, fundorum Clericis uſufructuario jure conceſſorum.* Juvat cum eodem obiter adnotare veroſimile eſſe Epiſcopos Parochis renuntiaſſe fundos: *colendos, & fruendos*, utpotè nimis diſtantes ab eorum oculis, & forſan Parochialibus Eccleſiis viciniores. Opportunum quippe videbatur Clericos prædiorum uſufructu gaudere, cum eâ arte exoneraretur ærarium commune Eccleſiæ, quia tunc ab eodem manualium Sportularum nihil jam ſibi pollicebantur ii, qui ſemel erant: *His agellis ſeu Beneficiis donati.* Donabantur quidem fundis ipſis Clerici; verùm à principio minimè irrevocabiliter: *Nec dum fixa, & ſtabilis erat ea inſtitutio .... Nec dum ſtabiles, nec dum fixæ, & perennes erant hæ Præbendæ, nec dum certis, vel officiis, vel ordinibus adſcriptæ.* Imò cùm præſumptionis ambitus apud nonnullos invaleſcere cœpiſſet, confidentes ſibi præſcripſiſſe eoſdem agros ſeu prædia, ubi triginta annorum ſpatio eorumdem fructibus potiti fuiſſent; Concilium Aurelianenſe primum nugatoriam illam ſpem exſibilavit, ut obſervat Thomaſſinus, hoc Canone: *Nullum Eccleſia præjudicium patiatur.*

Synod. Rom. 4. cap. 4.
Can. 7.
Part. 3. l. 2. cap. 16. n. 2.
Ibid. n. 4.
Ibid. c. 19. n. 5.
Ibid. cap. 16. n. 5. & 8.
Can. 23. ibid. n. 5.

V. Hanc

V. Hanc porrò fundorum partitionem Parochis collatorum ex diſpenſatione Epiſcopi, Alexandri Severi ævo invenire libet. Etenim collitigantibus nonnullis de quodam ſitu publico, Chriſtianis ex una parte, ut erigerent Eccleſiam Dei cultui ſacram; aliis contrà, ut Popinam eo inædificarent loco, delatâ Re ad Imperatorem, Reſcriptum hoc datum eſt videlicet: *Melius eſſe ut quomodocumque illic Deus colatur, quàm Popinariis dedatur*. Hinc meritò juvat inferre ex hoc Imperatoris edicto, licet Gentilis, ait Thomaſſinus, maximè probabile eſſe: *Non vetuiſſe illos, quin Ruri & in Urbibus fundos, agroſque paſſim acquireret Eccleſia. Res in aperto eſt. Si Romæ, ſi Antiochiæ ſinebant Imperatores aliquas Eccleſias Chriſtiano cultu frequentari, non interceſſiſſe eos, quin prædia & fundos Ruri & in Urbibus illæ Eccleſiæ obtinerent*. Conſtantini potiſſimùm tempore hoc dilucidè apparet, teſte Euſebio; ille enim ut vindicaret Eccleſias cum juribus ſuis omnibus, agros, domoſque à Gentilium impetu raptas, juſſit reſtitui, ne ullum detrimentum caperet Eccleſia: *Salvis omnibus atque integris manentibus, reſtitui jubemus*. Quo apertior res tota ſit, nempe priuſquam Imperii Sceptrum moderaretur Conſtantinus, Eccleſiam propriis minimè caruiſſe fundis, ut ſcitiſſimè ſupralaudatus Diſciplinæ Autor infert, concluditque hoc pacto: *Fateamur ergo neceſſe eſt fidelium pietate & largitate Eccleſiis dono datas eſſe terras, domos, hæreditates antè etiam quàm habenas Imperii Chriſtiani Principes tractare incæpiſſent, eorumque fundorum Epiſcopi & adminiſtrationem habuiſſe penes ſe, ut eos tuerentur etiam judicio, & ope Principum, nec dum Chriſtiano nomine & myſterio initiatorum. Voluit ergo & ipſe* (Chriſtus) idem proſequitur, *ut puriſſimis Eccleſiæ ſuæ ſeculis, Epiſcopi illi Apoſtolici fundos agroſque Eccleſiæ oblatos ſuſciperent & poſſiderent, quo hæc jam tum lex & conſuetudo præformaretur futuris Eccleſiæ ſeculis, poſſe ab Eccleſia fundos & poſſeſſiones obtineri ... Cùm ergò ante perſecutiones ſui fuiſſent Eccleſiæ fundi, ſuæ hæreditates, ſuæ vel ex teſtamento partæ ditiones; non aliud Conſtantinus, quàm priſtinum in ſtatum omnia revocavit, nec tam hæc donavit Eccleſiæ, quàm reſtituit*. Hæc Thomaſſinus.

Calepin. V. Popinarius.

Pars. 3. pag. 8. n. 11.

De Vita Conſtantini lib. 2. c. 39.

Part. 3. pag. 9. n. 4. §. cum.

Ibid. pag. 54. n. 1. fin.

§. III.

Expenditur brevius & clarius Beneficiorum Origo: & quinam fuerit Paſtorum Animarum caracter.

I. CUm ab initio florentis Eccleſiæ diſtributionibus, ſportulis ac oblationibus, quibus in dies alerentur, Clerici donarentur, & ſucceſſivis temporibus, agros, fundos, prædiaque iis eadem Eccleſia conferret in eorumdem tutiorem, facilioremque ſuſtentationem, ingenuè fatendum eſt, rudimenta fuiſſe hæc hodiernorum Beneficiorum, quamvis, ut ubique obtinuit à nonnullis ſeculis, noſtroque ævo, fixâ ac perpetuâ inſtitutione Eccleſiaſticis uſufructuario jure concedantur. Ita enim hujus rei ſuppeditabit nobis documentum modernus auctor, his verbis: *His alimentis & ſtipendiis, prima radix & origo Beneficiorum Eccleſiaſticorum reſpondet. In idem recidunt Eccleſiaſtica Beneficia noſtræ ætatis, ac diſtributio bonorum Eccleſiæ, quæ tunc ſacris miniſtris porrigebantur, in tot portionibus redituum manualium, nunc autem præbentur in tot determinatis fundis, ad uſufructuandum conceſſis. Nec iſta differunt ab illis, ſed potius eiſdem ſunt conſentanea, tanquam in ipſorum locum ſubſtituta; nam ſubrogatum naturam ſapit illius, in cujus locum eſt ſubrogatum*. Hæc ille. Id quoque docuit Baldus: *Ille qui eſt ſubrogatus debet eſſe ejuſdem juris & conditionis, cujus eſt ille, in cujus locum ſubrogatur*. Sive itaque largiantur Bona Eccleſiæ ſingulis diebus vel hebdomadis, aut in proprietatem ad uſus honeſtos permittantur; hæc Diſciplinæ mutatio prorſus accidentaria cenſenda eſt, dummodo eorum fine minimè ea defraudentur; *Sunt enim pretia Peccatorum, Patrimonia Pauperum, ſtipendia fratrum in communi viventium*. Hoc idem Auctor diſciplinæ teſtatur his verbis: *Quamquam enim oblatæ Clero primùm hæreditates diſtraherentur, nunc ſerventur, eâ exterioris diſciplinæ mutatione, de interiori abdicationis profeſſione demutatum nihil, nihil minutum eſt ... Sive ſerventur, ſive diſtrahantur prædia, res eodem redit; ſi modò vel divenditorum pretia, vel ſervatorum fructus annui in alimenta pauperum conſumantur*. Hinc liquet Patrimonium Eccleſiæ primo tempore ſolis conſtitiſſe diſtributionibus, oblationibus, manualibuſque alimoniis: *offerebant pretia eorum, quæ vendebant*. Hæc autem diurna participatio rerum Eccleſiaſticarum minimè obſtabat, quin Apoſtoli ipſi, qui ex reditibus Eccleſiæ ex largitate fidelium acquiſitis in dies ſuſtentabantur, Albo Beneficiariorum adſcriberentur: *Nec in dubium verti poteſt, quin qui primi effulſerunt Orbi*

Bene-

Tom. 1. p. 4. n. 1. de libert. Eccl.

In l. Parabolanos C. de Epiſc. & Cleric. n. 1. & 2.

Concil. Cabilonen. Can. 6. V. Julian. Pomer. l. 2. c. 9.

Pars. 3. pag. 4. n. 12.

Actor. 4. 32. 34.

Pars. 1. l. 3. c. 1. n. 3.

Digitized by Google

Part. 3. Idem pag. 316. n. 7.

Beneficiarii, *Apoſtoli nimirum ipſi*. Imò pauperes ac extranei frugi viatico refecti quorum nomina, *Ceu Beneficiariorum in matriculâ Eccleſiæ adſcribebantur*, ait Thomaſſinus. Res igitur ſi à ſuis initiis repetatur, Beneficiariorum caractere non inſigniebantur ii tantummodo, qui priſcâ illâ ætate fundis perpetuis potirentur. Sive fixâ inſtallatione, ſive manuali diſpenſatione; ſat erat, ut quis Beneficiariorum rationem præſeferret, à ſe de Fiſco vel penu Eccleſiæ penuriam, mendicitatemque excutere. Beneficia ergo hodierna licet ſuis inſtructa ſint fundis, Clericiſque, ut uſus univerſim obtinuit, ſtabili inſtitutione conceſſa, manare, veluti ab eorum fontibus, ex Eleemoſynis primorum fidelium, invicta res eſt; radiceſque jeciſſe eo quo tempore Epiſcopi fundos ipſos Beneficiariis ſingulis fruendos permiſerunt, quantumvis certè ne dum ſtabiles, nec dum fixæ & perennes eſſent Præbendæ, nec dum certis vel officiis, vel ordinibus adſcriptę, uti cum Thomaſſino alibi innuimus.

II. Vigente igitur Diſciplinâ naſcentis Eccleſiæ, ut ex mox conglobatis apertiſſimum eſt, fateri cogimur antè Clericos fidelium ſportulis honeſtatos, poſtremò fundis fuiſſe donatos; ex quibus tanquam ab eorum fonte ac origine, Beneficia hodierna effluxerunt. Nec minus animadverti velim extra omne dubium eſſe Parochos ex Clericorum grege ſelectos, ne dum admiratores, verùm etiam imitatores Apoſtolorum fuiſſe, eorumque fervore imbutos, exemploque informatos, ut ipſammet vulgi fæcem ad mundi contemptum, amplexandamque fidem accenderent. Satis argumenti eſt ut hoc exiſtimemus, eo quia ad Epiſcopalem dignitatem Apoſtolis mos erat promovere Sacerdotio inſignitos, qui eſſent, juxta Cypriani ideam: *Ætate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, & in perſecutione præſcripti*. Hos depinxerat Irenæus hoc modo: *Certè Apoſtoli valdè perfectos eos volebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant*. Inde à veri ſpecie procul minimè cenſeri debet Sanctos Epiſcopos animarum regimini Clericos admoviſſe, qui Parochorum munera adamuſſim obirent; Sacerdotes, inquam, à mundi illecebris avulſos, ut gentibus ad fidem evocandis, ac Chriſti imperio ſubjugandis exemplo præirent magis quam verbo, ac ad amorem Apoſtolicæ paupertatis, opum hujus ſeculi, ſuiquemet contemptu, allicerent. Et ſanè primævum hunc morem agnoverunt pariter & laudaverunt Patres Concilii Colonienſis, qui poſtquam præmiſerunt omnium mentibus altiſſimè infigendam hanc veritatem, videlicet: *Impoſitio manuum eſt Oſtium, per quod intrant qui Eccleſiarum gubernaculis admoventur*; ita proſequuntur; *Quia ejuſmodi Oſtium diligenter cuſtoditum non eſt, factum eſt, ut tanta mala quæ ſentimus, agminatim in Eccleſiam Dei irruperint*; poſtremò ſubjiciunt ad rem noſtram hoc modo: *Hujus januæ vigilantiſſimi Cuſtodes fuerunt Apoſtoli Chriſti, & quotquot ipſis ſucceſſerunt Apoſtolici Epiſcopi*.

Epiſt. 52.

Lib. 3. c. 3.

Concil. Colonien. 1. ann. 1536. c. 1.

Scitiſſimè quidem diligens hæc erat Epiſcoporum cura in diligendis probatioribus atque melioribus; Animarum enim Curatores ii ſunt, quos Prælati advocant, ex Concilio Burdigalenſi: *In partem ſollicitudinis & gubernationis Eccleſiarum*; tum quia ſunt: *veluti duces, magiſtri, & medici*, ut ſentit Concilium Mexicanum, *qui ſubditos in Cœlum dirigunt*; quoſque Burdigalenſe Concilium elegantiſſimè deſcribit his verbis: *Parochis, apud quos qui deſcendunt ab Jeruſalem in Jericho, & incidunt in latrones, deponuntur, vivificandi curâ derelictâ, & miſericordis Sammaritani apothecæ curandis animabus balſima redolentes, & includentes concreditæ ſunt, & conceſſæ*. Unde.... Adde ulterius, quia in Parochis attenditur ne dum *Poteſtas*, quæ Inſtitutione, Collatione confertur, verùm etiam *Capacitas*, quæ examine proditur; eaque potiſſimùm, quâ verè intelligant munus ac miniſterium Parochorum quale ſit: *eſt enim ars artium & ſcientia ſcientiarum*, uti loquuntur ex ore Gregorii Nazianzi Epiſcopi Patres Concilii Turonenſis, hominem regere, animal *omnium maximè varium & multiplex, atque animarum curam regere*.

Can. 18. ann. 1583. Anno 1585. lib. 1. tit. 4. §. 7.

Concil. Rothomagen. cap. de Curator. offic. n. 1. Epiſt. 52. Anni 1583. Can. 15.

Hinc minimè debet abhorrere à vero, ex Clericorum Cætu, Profeſſionem Evangelicam ſectantium in perfectione Vitæ Communis unâ cum eorum Epiſcopis, ut par eſt judicare, Epiſcopos ipſos ab Apoſtolis, ac Parochos ab Epiſcopis cohortandis, inflammandiſque fidelibus deſtinatos, fuiſſe prioribus Eccleſiæ temporibus ſelectos, teſtimonium præbente Concilio Colonienſi primo aureis his verbis: *Res ipſa declarat, ac priſca ſecula meminerunt, quàm tranquilla, quàm florens, quàm fructificans, quàm denique felix Eccleſia fuerit, dum talibus eſſet Parochis inſignis, qui evangelicis Apoſtoliciſque Inſtitutis Sacrorumque Patrum regulis adducti, non tantùm vocabulo, ſed & facto præſtabant quod dicebantur. Contrà verò, in quantos æſtus, tempeſtates, procellas, ac pericula ob eoſdem ſenſim in diverſum mutatos ac varicantis Eccleſiæ navicula miſerè conjecta ſit, nos ſentimus*. Hinc diſſimulare nemo poterit Evangelica Apoſtolicaque Inſtitu-

Part. 5. c. 1.

ſtituta nil aliud piis Parochorum animis inſpirare valuiſſe niſi poſſeſſionibus temporalibus nuntium remittere, Sanctorumque Patrum regulas, ab infantia Eccleſiæ inſtillare nequiviſſe quàm Vitæ Communis ac Regularitatis obſervantiam; quibus pietatis ornamentis nemo regulariter induitur, niſi prius incoluerit ſeminaria perfectionis Clericalis, ubi aliorum exemplo, juxta Apoſtolica præcepta, Patrumque ſententias quiſquis excolitur, ut alios inſtruat. Æquum eſt ergo ut omnem adhibeamus fidem Ivoni Carnutenſi qui Ævum naſcentis Eccleſię priorumve ſeculorum reſpiciens ſcribit Joanni Aurelianenſi Epiſcopo hunc in modum: *In primitivâ Eccleſiâ nullus eſt conſtitutus Rector animarum, niſi de Communi vita aſſumptus, quia nemo rectius cuſtos præponitur vitæ alienæ, quàm qui prius cuſtos eſt factus vitæ ſuæ*. Hoc autem certè minimè intelligendum de eo tantùm tempore eſt, quo Apoſtoli & fideles omnes, referente Luca, communi menſâ, ciboque utebantur; *cùm primis illis initiis*, ut ſcribit Auctor pluries laudatus Thomaſſinus, *ſolus vulgò baptizabat Epiſcopus, ſolus altaribus pœnitentes reconciliabat, ſolus offerebat*. Non caret ergo ſimilitudine veri Epiſcopos priorum ſæculorum, Apoſtolico zelo ac pietate, mirum in modum inſignes ædificationem omnium animis inſpiraſſe in inſtituendis ad Curam animarum Clericis ſcientiâ, moribuſque conſpicuis. Ex quo ſatis apertè colligere neceſſe eſt ex Seminariorum Epiſcopalium ſinu manaſſe primævos illos Parochos Evangelicis, Apoſtoliciſque Inſtitutis, Sanctorumque Patrum regulis inſtructos, qui non obiter nec perfunctoriè miniſteria hierarchica obirent, utque mundi contemptum, Apoſtolicæ paupertatis amorem fidelium animis inſtillarent, ne illecebris ſeculi ineſcati, ad priſcæ conſuetudinis vitia, moreſque revocarentur. Recens ebiberant Sancti illi Prælati Primitias Spiritus, ex diſcipulorum Chriſti converſatione; minimè ignorabant grave eſſe negotium animarum moderari habenas, artem eſſe artium, ſcientiamque ſcientiarum; onus magis quam honorem, immò periculoſiſſimum opus pro quolibet ſatagere.

Epiſt. 213.

Part. 1. l. 2. c. 25. n. 8.

Certè ex Sanctorum Monachorum Cœtu Eccleſiarum Rectores Primigeniæ Eccleſiæ Ævo nequaquam, ut arbitror, extrahebantur, non quidem ex defectu ſcientiæ, ac probitatis, ſed fortè ex conditione Status; cum quia Apoſtolorum tempore: *Ne ullum quidem erat Monachi veſtigium*, ut teſtatum facit Chryſoſtomus; tum quia, ex Divo Thoma, Monachi non erant Clerici ad annum uſque 417. ſedente Zoſimo; eſto, ut verum fatear, Siricius Zoſimi prædeceſſor: *Clericorum officiis adgregari Monachos ſanxiſſet, & optaſſet*; & demum quia Auguſtini mores erant Sacræ Ordinationi non promovere quin meliores, & probatiores. De poteſtate autem ſeu juriſdictione in Populos altiſſimum ſilentium. Miſſo etiam quod hoc voluiſſent ſibi blandiri eximio honoris inſigni; illis longè præiviſſent Clerici, quia ut definiit Alexander III.: *Cœtus Clericorum longè præeminet cœtui Monachorum*; utque ſcripſit Hieronymus, Clerici: *Patres ſunt Monachorum*. Et Innocentius primus in epiſtola ad Victricium dixit, *Clericatum eſſe meliorem gradum comparatione Vitæ Monaſticæ*; Ita Stephano Baluzio referente in Notis ad Gratianum. Ibique itidem legitur ex ore Anſelmi Epiſcopi Lucenſis, qui floruit Undecimo Seculo, *non enim Canonicus Ordo, Monaſtico ordine in aliquo inferior perhibetur*. Accedit ulterius etiam dum apud Concilia nil aliud reſonabat, niſi: *Ordo Monaſticus, & Canonicus .... Monachi, & Canonici Regulares .... Benedicti, & Auguſtini Regula .... Sanctimoniales cum Canonicis, & Monachis*, valde anguſtis Cancellis Profeſſio Monaſtica cohibita erat, ne Hierarchicis officiis, ſeu animarum gubernaculis admoveretur, cum undique obſtreperent, vel interdicta, vel nonniſi urgentiſſimè exigerent impellentes Eccleſiæ neceſſitates; multò magis præcedentibus, inſignes hos Patriarchas, ſæculis, ſuo in ſilentio, & planctu, tranquilla quidem, ac quieta, jacebat Monachorum ſolitaria Sanctitas.

Hom. 25. in cap. 11. ad Hebreos
opuſc. 34. al. 39. concl. 7. Cont. imp. Relig.
Epiſt. 1. c. 15.
V. Thomaſſin. P. 1. pag. 667. n. 1.
Lib. 3. Decretal. de converſ. conjug. C. conjugatus 5. Epiſt. ad Furiam.
Edit. Pariſ. 1672. inter Codices Barberinos pag. 528.
Concil. Remen. anno 1131. Can. 6. 27. alibive.

Verùm neque Religioſiſſimi Parochi Primis Eccleſiæ temporibus ex Clericorum Secularium copiâ, ut opinor, ſuſcipiebantur. Novum certè, ac inuſitatum priſcâ illâ ætate Clericorum Secularium genus, quorum fortè primò meminerat Concilium Aquiſgranenſe diſſertis verbis: *Nullus plebejus, ſeu Clericus Secularis in Monaſterio ad habitandum recipiatur, niſi voluerit fieri Monachus*; quòd ſi anterioribus ſeculis aliquo modo indigitentur Clerici Seculares quòd eorum quidam inveniantur extra Epiſcopium manſiſſe, ac de proprio vixiſſe, & ſignanter Auguſtini ævo; nihilominus potius illaudantur, quam approbentur; etenim hos Auguſtinus ab Epiſcopalibus domibus expulit, & Julianus Pomerius infirmos appellavit, & Iſidorus Acephalos; Stephanuſque Tornacenſis, ſui temporis quoſdam Clericos; arborem

Can. 42. an. 817.

rem

rem nequaquam plantatam à Patre cæleſti nuncupare non timuit. Ut ut hæc ſint, Proprietas Peculii, & in Laicorum domo ſeceſſus num fuerit Priſcis Eccleſiæ Seculis, generali Conſtitutione Eccleſiæ approbatus in Clericis, benevolo Lectori judicandum dimitto. Nunquid Prioribus illis Seculis miniſtri Altaris, armis Proprietatis, & auri argentique arbitrâ diſpenſatione præcincti, rudes populos ſuavi Chriſti Pauperis, fideique jugo ſubjecere, quando ſuperbæ gentilitati modeſtia, ac Chriſtiana ſobrietas imprimenda, ac transfundenda erat ſucceſſione exempli, ac inſtillanda jure imitationis? Fortè Primitiva Eccleſia temporalium rerum affectum à carnalibus animis evellere niſa eſt, Clericorum illorum ſuffragio, qui terrenæ ſubſtantiæ dominium, ac Secularium conſanguineorum domicilia incolerent, quando Chriſtus Dominus Piſcatores elegit, non Divites, non Nobiles, non Sapientes ad propagandum auxilium ſalutis humanæ, ne traduxiſſe prudentiâ, ne redemiſſe divitiis, ne potentiæ, nobilitatiſque authoritate traxiſſe gentes ad ſuam gratiam diceretur? Ad hæc animum meum probabiliter inducerem, nempe ut crederem, ex numero Clericorum Proprietariorum, ac apud Laicos commorantium Parochos fuiſſe ſelectos, ſi pro illis temporibus Clericorum Proprietas Conciliorum veterum extitiſſet, & extaret vallata præſidio. Aſt totius expers publicæ auctoritatis, ſolâ impellente deſuetudine, Orbi apparuit, nulloque Jure, Patrumque dictis freta. Reſtat ergo, ut ſecurè, vel ſaltem ſatis probabiliter fateamur, priſcâ illâ ætate; præcipuè Clericis Communem vitam agentibus, & cum eorum Epiſcopis Parochiales Eccleſias, ac cæteras Eccleſiaſticas dignitates fuiſſe concreditas, ita exigente Prælatorum eligentium eximiâ Sanctitate, nimis formidando Angelicis etiam humeris miniſterio, nec non rudi populo denſiſſimis ignorantiæ tenebris involuto, cui præire opus erat exemplo magis quàm verbo. Quibus poſitis, quid concludendum ſit, pro Canonicorum Regularium, ad Beneficia Eccleſiaſtica Capacitate, modo dicendum occurrit.

Ambroſ. lib. 5. Comment. in Luc. 6, poſt init.

Si vera hæc ſunt, videlicet Primos illos Clericos naſcentis Eccleſiæ ad Parochiales functiones in dies ab Epiſcopis fuiſſe aſſumptos; quare hodie-dum iidem illi Clerici, qui adhuc in vivis extant, in Perſonâ Canonicorum Regularium, qui ab illis deſcendunt, ut mox ſubjiciemus, à Parochialibus miniſteriis arceantur, ne liberè ac licitè iis uti fruique poſſint, tanquam incapaces? Admitto quidem Colonienſium Patrum, præeunte exemplo, quòd: *primitivæ Eccleſiæ facies quod ad inſtitutionem Miniſtrorum attinet, paulatim immutata fuit, nimirum dotatis Templis, Sacerdotiiſque, ac certis ſtipendiis miniſtrantibus conſtitutis*: Verùm quòd taliter immutata ſit, ut Vita Communis Apoſtolica, Regularitatis origo & radix, quæ primis Eccleſiæ temporibus, ut Requiſitum exigebatur, & ut Ornamentum laudabatur in Clericis pro aſſequendis Parochialibus Eccleſiis; Nunc contrà illos eoſdem Clericos in Perſonâ Canonicorum Regularium eadem Vita Communis reputetur ut obſtaculum, ac repellatur vel poſtponatur, ut impedimentum, non crediderim.

Anno 1536. Can. 2.

Ab initio certè non erat ſic: Nam Beneficia Eccleſiaſtica primò deſponſata ſunt Regularitati in Perſonâ Apoſtolorum, quos Auctor Diſciplinæ primos orbis Beneficiarios, appellat, quoſque Angelicus fatetur re ipſa extitiſſe Regulares, cùm doceat eos nuncupaſſe vota Religionis hoc modo: *Apoſtoli intelliguntur voviſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum*; juxta communem Sanctorum Patrum ſententiam. Qua ex Votorum emiſſione vera Regularitas derivatur. Secundùm Gloſſæ doctrinam, quæ ex oppoſito ſenſu idem tradit, confirmatque, his verbis: *Non profitentes tria Vota ſubſtantialia non dicuntur propriè habere regulam, ſed quemdam modum vivendi, & per conſequens non dicuntur propriè Regulares.* Propriè ergo Regulares extitere potiori hoc ſenſu Apoſtoli primi Eccleſiæ Beneficiarii; ſi verum eſt id, quod de ordine Melitenſium Equitum tradit Eminentiſſimus Petra, his verbis, ſcilicet, quòd: *Iſta Religio eſt vera Religio, nam continet Vota tria ſubſtantialia Paupertatis ſcilicet, Caſtitatis, & Obedientiæ, in quibus vera conſiſtit qualitas Religionis.* Hæc autem eſt illa Regularitas quæ, etſi in Beneficiis Eccleſiaſticis antiquior Secularitate eſt, iiſdemque magis inſita, Canonicis Regularibus hodie-dum Bellum indicit, qui ideo Canonici Regulares vocantur, *quia*, ex Azorio, *Apoſtolicam Vitam ſequuti, nil Proprium habentes, Communem Vitam agunt.* Quæ quum veroſimilia vel appareant, obiter obſervare liceat, eruditionis ergo, quid ſcripſerit modernus Auctor in caſu ſecularizationis Beneficii Regularis, quaſi redeuntis ad primævam ſecularitatis naturam, *In qua*, ait; *ſuam fundationem Beneficia omnia ſortita fuiſſe de jure præſumuntur.* Huic dicto opponamus Innocentii III. Reſcriptum Conſtantinopolitano Patriarchæ tranſmiſſum, inſertum

Part. 1. l. 3. c. 1. n. 7.

22. 88. 4. 3. 22. 1. 86. 6.

In Clementin. 1. in notis in fine de religioſ. domib.

Tom. 2. pag. 47.

Lib. 12. Inſtitut. moral. c. 22.

ſertum in Cap. *inter quatuor de religioſ. domibus*; ait Pontifex: *De Monaſteriis quoque Græcorum in Seculares Canonicos convertendis Fraternitati tuæ reſpondemus, quòd quamdiu per Regulares viros, ſeu Græcos ſive Latinos remanere potuerint ordinata, non ſunt ad Seculares Clericos transferenda, ſed ſi Regulares defuerint, propter eorum defectum in eis Seculares Clerici potuerunt ordinari*. Innocentius ergo III. præcipit 1. reformandam eſſe diſciplinam per ipſos Monaſterii ejuſdem Regulares. 2. Per Regulares ejuſdem ſaltem Ordinis. 3. In omnem eventum per alios in ſubſidium alterius Ordinis. Quare ſolùm in extremo quarto Caſu neceſſitatis permiſſa reperitur tranſlatio ad Clericos Seculares. Quòd ſi dum ſecularizantur Monaſteria Regularium, talis converſio à Regulari in Seculare, non eſt niſi reditus ad primævam Secularitatis naturam, cur tali, tantaque æconomiâ uſus eſt prudentiſſimus Pontifex, ne Res ad ſua primordia converterentur, hoc eſt, cur tantus rigor ne flumina ad mare, unde exiere, reverterentur? Arbitror nihilominus Regularitatem in Canonicis Regularibus excludi à collatione Beneficiorum Eccleſiæ, vulgò Secularium, ex nimium latâ acceptione Vocabuli: *Regularis*. Ex unâ parte, quia Canonici Regulares nuncupantur *Regulares*: ex alterâ autem quia nomine Regularium comprehenduntur Monachi, qui à Beneficiis arcentur; hinc Recentiorum aliquot Canonicos Regulares ſub eadem Vocabuli notione confundunt cum Monachis, utroſque ſimul à Beneficiis repellunt. Octavo etenim Seculo nuncupatio: *Regularis* uſurpabatur pro indicando Monachorum Cætu, ad oppoſitionem Cætus Canonicorum, hiſce terminis: *Sub Ordine Canonico; Sub Ordine Regulari; Sub Diſciplina Canonica, vel Regulari: In Monaſterio ſub Ordine Regulari, ſub manu Epiſcopi, ſub Ordine Canonico*. Supra quæ verba Concilii Vernenſis ac Moguntini, diſſertis hiſce terminis ſcribit Thomaſſinus: *Regulares hîc non poſſunt dici, ii de quibus agitur Canonici, cùm Monachis opponantur, qui propriè vocantur hîc Regulares. Monachis enim ſolis hæc verba aptantur, Regulariter vivunt ſub Ordine Regulari. Quod à Regula S. Benedicti proficiſcebatur, ſicut & Canonicis nomen his fecerat Profeſſio ſervandorum inſtar Regulæ Canonum. Germanus ille, & genuinus ſenſus eſt eorum verborum*. In Concilio Francofordienſi anno ſeptingenteſimo nonageſimoquarto, ſtatuitur: *Ut de Abbatiſſis, quæ Canonicè, aut Regulariter non vivunt, Epiſcopi requirant... Quo in loco* Mabillonius ait: *Dictio Canonicè opponi videtur Regulariter*. Regularitas Canonicis Regularibus inſita ad augendum Clericatus honorem, ordinata eſt ad majorem proximorum profectum, minimè autem, ut monaſticè vitam degant; eaque eſt, quæ illos conſtituit in Ordine Clericorum Religioſorum; Canonicis enim Regularibus *per ſe competit*, ait Angelicus, ut *ſint Clerici Religioſi*; tales autem facit Vita Apoſtolica Communis, ut Nicolaus II. in Concilio Romano ſanxit hoc Canone: *Sicut oportet Religioſos Clericos, ſimul manducent, & dormiant; & ut ad Apoſtolicam, Communem ſcilicet Vitam ſummopere pervenire ſtudeant*. Eo igitur eodem tempore, quo Canonici Regulares verè gloriantur de Regularitatis honore; mitius hanc Regularitatis ideam fortè concipiens Cardinalis de Luca, ſcriptum reliquit, ſic: *Canonici Regulares ſub Clero Seculari potius recenſeri ſolent... de Clero Seculari juxta Hierarchicum ordinem recenſentur*. Eamdemque viam ingreſſus Eminentiſſimus Petra, noſtri Ævi præſtantiſſimus Conſtitutionum Pontificum interpres, de Canonicis Regularibus Lateranenſibus ſpeciatim diſſerens ingenuè fatetur: *Reputantur magis eſſe in ſtatu Cleri Secularis, licet etiam in iſtis hodie aliqua qualitas Regularis Inſpiciatur... Potius de Clero Seculari reputantur*.

Vide Gonzalez in cap. inter quatuor de religioſ. Domibus.

Anno 755. Hard. Concilior. tom. 3. col. 1997. can. 2. Concil. Vernen. Vid. Muguntin. cap. 20.

Part. 1. l. 3. c. 9. n. 2. pag. 243. Cap. 46.

Præfat. & diſſertat. lib. pag. 72.

22. 189. 8. ad 2.

Concil. Rom. ſub Nicol. II. tom. 9. Concil. col. 100.

In annot. ad Concil. diſc. 35. n. 7. De Regular. diſc. 19. n. 5.

Tom. 5. pag. 81. Ibid. pag. 522. n. 4. §. In quo.

Quocumque igitur proſpectu diſpiciantur Canonici Regulares, nil inveniri jure poteſt, ut reor, quòd eorum Capacitati ad Beneficia Eccleſiaſtica obſiſtat, ſi ablegatis omnibus præjudiciis penſitetur eorum Status, quem ingenuè intuitus eſt Gonzalez, omnia quæ præmiſimus comprehendens, hiſce verbis: *Primis Eccleſiæ Seculis omnes ferè Clerici erant Canonici Regulares*; ulterius: *Canonici Regulares ex ſuâ inſtitutione Clerici ſunt, & ita legitimi Miniſtri Sacramentorum; quare illis rectè commendari poteſt regimen Eccleſiæ Secularis juxta ſuam Profeſſionem... Canonici Regulares eſſentialiter ſunt Clerici, & à temporibus Apoſtolorum ad regendas Eccleſias inſtituti: unde æquè ac Seculares Capaces ſunt regiminis cujuſque Eccleſiæ, etiam Secularis*.

Cap. Quod Dei timorem 6. laxior. Ibid. n. 5. 6. Adhuc & n. 6.

Addendum cenſeo eò magis credibilia ea eſſe, quæ præmiſſa ſunt, quo mihi perſuaſum exiſtimo nullam reperibilem in Jure Novo, ac Veteri eſſe Sanctionem Conciliarem aut Pontificiam, ut ipſum commonſtrabit Opus, quâ in Re Beneficiariâ Capacitas violata ſit Canonicorum Regularium. Adjicio ulterius Primitivæ Eccleſiæ Clericos in Regularibus Canonicis, Apoſtolicam Vitam æmulantibus, nedum

 hodie

hodie perſeverare, identitatemque Inſtituti ac finis ſervare, ut oſtendere ſpoponḍimus; verùm etiam ejuſdem naturæ prorſus eſſe hodierna Beneficia ac ea Primitivæ Eccleſiæ, minimèque inter ſe differre, uti jam vidimus. Ego puto Beneficium Eccleſiaſticum gaudere quadam innatâ indifferentiâ, vi cujus minimè arctetur, quin Regularitati vel Secularitati ſubeſſe poſſit. Hæ duæ nuncupationes accidunt Beneficio ex eâ, quæ ineſt, Secularitate vel Regularitate, eorum poſſeſſoribus, à quibus in Beneficium transfunditur. Ex quo ergo uni vel alteri deſtinetur his dotibus affecto, Seculare vel Regulare vocitatur. Ex his ergo quæ huc uſque retulimus in claram venit conſequentiam Canonicos videlicet Regulares nequaquam reputandos eſſe incapaces Beneficiorum Eccleſiæ, quocumque ii titulo donentur, cum quia deſcendunt à Clericis Primitivæ Eccleſiæ Vitam Communem ducentibus, quorum regimini concredebantur Eccleſiæ omnes; tum quia Beneficia Eccleſiaſtica invariatâ naturâ eadem adhuc ſunt, nil eorum identitati obſtante exteriori variâ diſciplinâ; ac proinde remanentibus iiſdem rebus, eadem diſciplinâ vitæ, iiſdemque principiis, immutabilis perſeverare deberet eadem Lex & Ratio Capacitatis in Canonicis Regularibus nunc, ſicuti erat ab initio in Clericis Primigeniæ Eccleſiæ. *Dignum eſt*, congruat hîc Alexandri III. dictum, *ut qui ſimilem cum aliis ſuſcipiunt Vitam, ſimilem ſentiant in legibus Diſciplinam*. Et fortius id militat in iis, qui innatam habent Vitæ ſimilitudinem, ut ſimilem in oneribus & honoribus ſentiant legem Diſciplinæ.

Tit. 35. de ſtat. Monachor. & Canonicor. Regul. C. Recolentes.

§. IV.

Canonici Regulares verè, & propriè Clericali Dignitate ſunt inſigniti.

I. QUi Clericatus honore ſe exornari opinantur Canonici Regulares, non id eorum eſt conſilii, ambitioſâ quadam invaſione, ad Hierarchicum faſtigium, velle aſſurgere. Ea eſt Canonicorum Regularium Inſtitutio, ut Clericalis qualitas appicta minimè, imò inſerta, inditaque ſit eorum Statui, & omnibus numeris abſoluta. Hoc eos caractere clareſcere multis profitetur Angelicus Doctor, Vir nullis præventus partium ſtudiis, Doctrinæ ac Sanctitatis culmine nemini ſecundus. Laudatiſſimi Præceptoris verba hæc ſunt de Canonicis Regularibus pro quibus eo nemo vehementius & pluribus, & ex profeſſo, pugnavit; *Inter Clericos computantur... Multo fortiùs licet illis Religioſis docere, quorum Religio eſt ad hoc inſtituta. Dicendum quod utraque Religio ſcilicet Monachorum, & Canonicorum Regularium ordinatur ad opera Vitæ Contemplativæ, inter quæ præcipua ſunt ea, quæ aguntur in divinis myſteriis, ad quæ ordinatur directè Ordo Canonicorum Regularium, quibus per ſe competit, ut ſint Clerici Religioſi..., Sic ergo Summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, quæ & propinquiſſima ſunt perfectioni Epiſcoporum*. Notatu digna hæc ſunt: *Directè. per ſe*; hoc eſt, Clerici ſunt, haud per Accidens, non ex Tollerantia, Favore, Diſpenſativè; ſed ex Status quidditate, ex fine primario Canonici Inſtituti: *Canonici Regulares*, teſtis idoneus eſt Gonzalez, *eſſentialiter ſunt Clerici*. Profeſſione tales ſunt, hoc ſenſu, quia Diſciplinâ Regulari ac Votorum Solemnitate minimè obſtantibus, ex Pii IV. Pontificis Sententiâ, Duo hæc indiſpenſabiliter in Canonicis Regularibus debent eſſe conjuncta, Profeſſio, nimirum, & Eccleſiaſtica Tonſura: *Dignitatis Clericalis... Statim quòd Profeſſionem emittunt inſignitos eſſe oportet*. Nemo autem neſcit, quòd: *Per primam Tonſuram... Clericalis Ordo confertur*. Hic profectò loquendi modus quàm procul abeſt à futili eo dicterio quo injurioſè impinguntur Canonici Regulares, quaſi ſibi, aliiſque gratis perſuadere velint eſſe eſſentialiter Clericos, veluti tales à Matris ſinu effuſos, vel quòd abſurdius eſt, poſſe Clericorum Albo inſcribi abſque manu Epiſcopi, vel Jure Epiſcopali fungentis. Eò collimat Pius IV., ut ob oculos ponat Canonicos Regulares, ſtatim ac Profeſſione donantur, oportere Primâ Tonſurâ initiari, & ad Hierarchicas functiones conſcendere.

Cont. impug. Relig. opuſc. 24. al 19. Concl. 4. p. 542
22. 189. 8. 2.
22. 188. 6. 0.
Cap. quod Dei timorem n. 5. §. Adhuc.
Bullar. Lateranen. edit. Rom. p. 277.
Lib. 1. Decretal. tit. 3. de reſcript. c. 24. & tit. 14. de ætate & qualitat. ordinand. c. 11.

Præter Pii IV. Sententiam, indubia Res eſt Canonicos Regulares verè ſtrictèque eſſe Canonicos; itaque in Sacris Canonibus compellantur: *De ſtatu Monachorum & Canonicorum Regularium*; indubitatiſſimum quoque eſſe debet eos eſſe

Cap. quod Dei timorem.

ſe

ſe propriiſſimè Clericos: *omnes, ſiquidem Canonici ſunt Clerici. Sicut enim ex quo quis eſt homo eſt animal, item ex quo quis eſt Canonicus, eſt Clericus, quia Jus Canoniæ non cadit in Laicum*. His ſignificatur verbis Clericatum Canonicis Regularibus, utpote Clericis, eſſentialiter ineſſe, quoniam, ut tradit Lancellottus, Clericali miniſterio addictis, Clericatus ipſe haud accidentaliter appictus, ſed naturalis reputatur: *Clericatus competit eſſentialiter Clericis*. Hinc inferas neceſſe eſt, Congregationem Canonicorum Regularium æquiſſimè accipi ut Congregationem Clericorum, cum ab omnibus indiſcriminatim, quotquot ſcripſerunt, Congregatio Canonicorum appelletur. *Qualitas vera Clericalis*, ait Eminentiſſimus Petra, *remanſit in illa Congregatione Lateranenſi*. Lubet hoc confirmare Pii IV. Conſtitutione, qua in Clericorum numero Canonicos Regulares comprehendit, hac etiam perſuaſione motus, quòd nempe Clericalem habitum induant: *uti Clericos . . . Clericalique habitu incedentes*. Hoc idem placuit Eminentiſſimis Patribus Epiſcoporum ac Regularium negotiis præpoſitis, qui invariabili decreto deffiniere, ut Canonici Regulares: *dimiſſâ tantummodò Superiori veſte nigrâ in linea veſte, videlicet in Roccbetto, abſque alio ſuperpelliceo, intelligantur eſſe in habitu Clericali*.

Abbas in cap. 3. de poſtulat. Prælat. l. 1. long memoria.

Apud Tamburr. de jure Abbat. diſp. 25. q. 1. n. 99. & ſeqq.

Tom. 2. Commentar. pag. 14.

Bullar. Later. pag. 277.

S.C. anno 1603. 1. Septembr.

II. Nullus de his, quæ hactenus notatu digna cenſuimus, ut arbitror, controverſiam facere Jure poterit, ſi iis adjiciet Secularitatem ac Regularitatem haud Clericatum dividere duas in Claſſes, ſed vix Clericos diſtinguere, cùm ſub utriſque circumſtantiis integer, unuſque perſeveret: *Sicut unus Apoſtolatus, unus Epiſcopatus eſt*. Canonici enim ideo Seculares appellantur ex Molano Seculari Canonico: *Quòd tàm arctum vivendi propoſitum non amplectantur, quàm illi tenere videntur, qui Regulares vocantur*. Regularitas porrò, utpotè Inſtitutioni ac Origini naſcentis Eccleſiæ Clericorum propius accedens, Clericatui potius ſplendori quàm detrimento futuram fore, cordatioribus viris, compertum erit. Nemo enim neſcit Paupertatem coluiſſe Clericos aureę Apoſtolorum ætatis. Qua Paupertatis gloriâ ſucceſſivis temporibus Clerici illi fulgebant, qui zelo ac ſpiritu verè Apoſtolico, Communem Apoſtolorum Vitam æmulabantur: *Le depovillement entier*, patrio idiomate loquitur Thomaſſinus, *de toutes poſſeſſions terreſtres, ſoit le comble e la perfection de la Clericature*. Si verò, quòd abſit, Clericatui connexa Regularitas, exquiſitis cumulata laudibus in Sacris Conciliis & apud Sanctos Patres, pulchritudini ac perfectioni quid detraheret Clericatus; quotieſcunque & ſingulariter eo quo tempore ſub Alexandro II. & Nicolao II. Romanis Pontificibus in Lateranenſi Concilio Reformationis Clericalis Opus incæptum eſt, Ordini Clericorum maximam inuſiſſent injuriam, ſevumque vulnus inflixiſſent ii, qui pro viribus Communem Vitam præcipientes ſanxerunt, pietatis prætextu, in Eccleſiis Epiſcoporum; & incautè adlaboraſſet Petrus Damiani pro reſtaurando Clero ad priſtinam Eccleſię normam; vanèque ingemuiſſet Ivo: Quòd Communis Vita pænè in omnibus Eccleſiis defecerit libertatis amore, haud Poteſtatis auctoritate. Error ſanè explodendus citò & procul, ſi quis dixerit Divitias ac Opes eo amplius perfectum inſtruere Clericum, quo magis eorum exuberantiâ fieret locupletior; vel admodum labefactatam Diſciplinæ Eccleſiaſticæ faciem, ut Clericatui, quæ honoris erant, & venuſtatis, imò quæ Clericis adſcribebantur vice Requiſiti; poſterioribus Seculis, impedimento habeatur, videlicet Regularitatis ſpecies Vitæ Communi annexa; vel denique inferioris Clericum eum eſſe conditionis ac meriti, qui abſque invidiâ opulentiorum Clericorum, veluti quodam innato Jure, lætius, ac ſecurius Deo ſuo canere valeat ex pręcordiis ſuis: *Dominus pars hæreditatis meæ*.

Part. 3. pag. 4. Thomaſſin.

Apud Deſnos pag. 83.

Part. 3. pag. 4. cap. 1.

§. V.

Canonicorum Regularium Cœtum ab Apoſtolorum Collegio initium cæpiſſe ſolidè detegitur.

I. EX plenitudine Sacerdotii Filii Dei Jeſu Chriſti, ut ex primigenio ac uberrimo fonte, Sacra Novæ Legis Ordinatio in Apoſtolos exundavit, eorumdemque miniſterio inferiorum Ordinum pulchritudo ac Dignitas Eccleſiæ acceſſit; quæ, ut, grati animi, Sponſa, pretioſis hiſce exornata moni-

nilibus, ac Eccleſiaſticarum Functionum veſtitu deaurato inſignita, varietateque circumdata, pulchrior, illuſtriorque apparens, ipſam Clericalis Hierarchię multiformem venuſtatem in ejuſdemmet Sacerdotii Majeſtatem, fulgorem, auxiliumque inflectit. Clarens igitur quiſquis gloriâ Clericalis Ordinis, ęquum eſt, ut in Apoſtolorum Cætum, unde manarunt Clericorum Congregationes, oculos conjiciat, eoque fortius in quos, ſin minus copioſius ac plenius, immediatius ſaltem, ſeu propius Apoſtolici fontes ſeſe effudere, *Clerus ipſe*, utor Thomaſſini verbis, *primùm initiatus inſtitutuſque eſt in Collegio Apoſtolorum, quæ Congregatio Clericorum, & Prima, & Sanctiſſima omnium fuit. Meritò dicere poſſumus*, addit Suareſius, *Primam Religionem Clericorum ab ipſo Chriſto fuiſſe, & inſtitutam, & propagatam*. Id noſtri conſilii eſt, ut Regularium Canonicorum exordium ſumamus eâ ab Religione Clericorum, quorum ſemina jecere Apoſtoli, primo Eccleſiæ Ævo, geminâ, Clericatus ac Vitæ Communis, participatione.

Part. 1. l. 3. c. 1. n. 1.

Tom. 3. l. 1. de variet. Relig. c. 7. n. 3. p. 326. apud Allieri de ſac. elect. & ordinat. p. 5. de nom. Clericor. n. 12.

II. Mirùm, ut modeſtè loquar, maximè eſſet, ſi ex Catholicorum calamo, atro, tetroque atramento, efflueret, quædam minimè laudanda ſcribendi libertas, qua poſthabitâ debitâ Reverentiâ ac Obedientiâ, Romanorum Pontificum Oraculis, Canonicorum Regularium Apoſtolico Clericatui faventibus, ultra limites detraheretur; quoniam novimus omnes, nonniſi eos perſpectâ plenius, primituſve veritate, motu proprio, certâque ſcientiâ liberè enunciaſſe ac pronunciaſſe. Nihil hac in Re locupletius Summorum Pontificum Teſtimoniis, quorum contextu facilè eorum mens aperitur, & veritas augetur, Canonicos Regulares nempe, veluti genuinos Filios ab Apoſtolorum Collegio eſſe prognatos. *Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini*, en verba Benedicti XII. in Bulla incipiente *Ad decorem, ab Chriſti glorioſis Diſcipulis in Primitiva Eccleſiâ Sacris Inſtitutionibus ſtabilitam. Divinam in terris, familiam*, Regulares Canonicos vocitat Eugenius IV. *ad exemplum naſcentis Eccleſiæ . . . qui primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum normam, traditiones, & inſtituta ſectantur*. Ad eoſdem converſus Sixtus IV. edixit fuiſſe fundatos: *In naſcentis Eccleſiæ Sanctâ Inſtitutione, ac primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum normâ*. Demum S. Pius V. ſua Conſtitutione promulgavit: *Ab Apoſtolis Originem traxiſſe*. Poſtremò Clemens Decimus decretis ſuis Regulares Canonicos Lateranenſes delineavit, dicens: *Cùm illius Apoſtolica inſtituta Primævam Diſciplinæ ac Sanctimoniæ antiquorum Clericorum imaginem ac Symbolum referant, quibus ipſa naſcentis Eccleſiæ primordia florebant*. Non defuere nihilominus, qui, omni pudore depoſito, evomerent Bullas Pontificias dimanaſſe haud exactè, oſcitanter, &: *Propter rationes dubias, ac non ſatis accuratam informationem*. Linguam ſanè audaciæ ac injuriæ plenam, perpetuo ſilentio in anathema oblivionis Romano mucrone percuſſam ac exciſam. Quid cauſæ fuit Nicolao II. & Alexandro II., coacto Concilio Lateranenſi è Clero omnem prorſus eliminandi Proprietatem, niſi, ut Vitam Communem, quàm Apoſtolicam nuncupant, Clericis Cathedralibus inſigerent: *Apoſtolicam, Communem ſcilicet Vitam?* Tandem totam hanc Pontificum aſſertionem confirmare liceat Urbani II. teſtimonio, qui ad Regulares Canonicos Eccleſiæ Saliſburgenſis ſcribens, ſibi congratulans pro eorum Apoſtolica Reformatione, eos ſic allocutus eſt: *Vos eſtis . . qui . . Apoſtolicæ Inſtituta diſciplinæ in Primordiis Eccleſiæ Sanctæ exorta . . . inſtinctu Sancti Spiritus ſuſcitatis*. His nil clariùs ad noſtrum ſcopum; inſimul ad ſuffocandam callidam, captioſam omnem ac doloſam interpretationem. Una vox eſt Romanorum Pontificum Conciliorumve, Clericorum Regularium Originem ab Apoſtolico Cætu exordiri.

Bullar. Later. p. 100. ann. 1339.

Cum ad Sacratiſſimam. Ibid. p. 164. anno 1446.
Ibid. pag. 180. anno 1477.
Ibid. pag. 299. anno 1570.
Ibid. pag. 395. anno 1671.

Can. 4. Præcipientes.

Litt. Urban. II. Metropol. Saliſburg.

III. Quæ igitur poterit invidia creari; qui diſſimulandæ veritatis locus? Ipſi nos, ſi candido animo ſimus, nonne manu ipſa contrectamus, Summos Pontifices ineluctabiliter hæc ſanxiſſe de plenitudine Scientiæ & Poteſtatis, ut Canonicorum Regularium Jura ſarta tecta & integra haberentur. Si tamen, ut Veritatis amator, Amice Lector, verum putes: *Non minus in Bullis, quam in lege, nullum verbum debere eſſe otioſum ac ſuperfluum, ſed omne debere eſſe operativum*. Si ut certum admittas; *Papam non pręſumi Jus ignorare, ſed, Jura omnia in Scrinio pectoris ſui cenſeri habere*. Si ut inconcuſſum teneas etiam pro aliis, quòd: *Ut Oracula ab infallibili veritate emanata clauſo ore Bullæ ſint venerandæ*. At, eſto velis Pontificum aſſertiones tanquam enunciativas, narrativas, haud ut Determinationes ac Diſpoſitiones: velis autem nolis in dubium minimè vertere poteris, Summis Pontificibus manifeſtè inſcribi, tamquam earum auctoribus; maximas ergo obtinent vires; potiſſimùm ſi multiplices, conſtantes ac conformes ſint Papales Deciſiones. *Enunciativæ & narrativæ*

C. ſi à Judice de appellat. in 6.
Roman. conſ. 295. col. 2. V. Pręterea.
Barboſa axiom. 222. n. 18.
C. licet 1. de Conſtitution. in 6.

N. 10. de probat. concl. 106.

rativæ probant etiam plenè contra tertium. Audi Maſcardum; *quando in pluribus Scripturis enunciatum continetur*. Obſervandum præterea: *ſtandum eſſe in dubiis determinationi Papæ*. Immò vindicari aſſerta Pontificum ut diſpoſitivas Conſtitutiones fas eſt, quando Judices hiſce inhærentes aliquid ſanxerunt, quo finis altumque ſilentium acrioribus Controverſiis, implicatiſſimiſque Litibus indictum eſt: *Quo caſu aſſertio hujuſmodi probat, & fidem facit*. Negare ulteriùs quis audebit motu proprio & ex certa ſcientia emanatas Bullas fidem facere, præcipuè cum ſermo ſit de Summis Pontificibus, qui: *de mendacio redargui non poſſunt*. Nec prætermittenda Scriptorum auctoritas, cui multum defertur in factis antiquis; eoque in caſu indicia, & conjecturæ pro plena probatione habentur. Nec non Fama & publica vox bonum æquumque Judicem trahunt prudenter ad dicendum Jus: *Communiter Doctores excipiunt facta antiqua, quæ hominum ætatem excedunt, in quibus exiſtimant famam propter difficultatem, & ob defectum aliarum probationum plenè probare, & pro fama ſententiam ferri poſſe*.

Cap. in litteris de reſtitut. Spol. Joann. Andr. in C. dilecto de præben. V. Bullar. Later. p. 268. §. Nec obſtat.

Emin. Petra tom. 5. pag. 81.

Gomez variar. reſol. c. 12. engel. ad Tit. 19. de probat. n. 21. Maſcard. conſult. 1222. n. 51.

IV. Hac de re Summorum Pontificum Oraculis aſtipulantur etiam primi Subſellii Scriptores abundè comprobantes Regulares Canonicos à Sanctis Apoſtolis Originem traxiſſe. Paucis contenti erimus: Inter alios ſe ſe offert S. Antoninus, qui ſuo in Chronico ita ſcribit: *Clericos Regulares qui Canonici dicuntur, repræſentaſſe in Primitivâ Eccleſia Unitatem & Communitatem Clericalem, & Sacerdotalem, quæ fuit in Apoſtolis*. Idem ſenſere Petrus Cluniacenſis Monachus S. Benedicti nullis præventus præjudiciis, dicens, Canonicos Regulares deſcendere; *Primùm ab Apoſtolis*: & Petrus Comeſtor, ſub nomine Bleſenſis: *Ipſa eſt enim vita Apoſtolorum*. De Canonicis Regularibus diſſerens Ugo de S. Victore, ait: *Apoſtolicè vivunt*. Item, quòd Vocabulum Canonicus obviè acceptus Clericum indigitat, qui ducit: *Communem Vitam Apoſtolorum more*. Derivatos ab eodem Fonte fatetur Natalis Alexander, cui docere placuit Canonicorum Regularium Ordinem eſſe: *A Sanctis Apoſtolis inſtitutum*. Horum ſemitam affectatus eſt Eminentiſſimus Petra, omnes ſe ſe antiquiores complectens... Hic præſtantiſſimus Doctor, quid Canonici Regulares ſint, undeque oriantur plurimis apertiſſimè prodit. Ait ergo: *Origo Canonicorum Regularium, hoc eſt, Clericorum cum Novâ Eccleſia concurrit, Reſtauratio autem etiam ante Auguſtini tempora aliquo modo fuit, ut ab Urbano I. anno Chriſti 230., qui Vitam Communem inter Clericos ſtatuit: Verùm Reſtauratio in formâ Regulæ ab Auguſtino fuit peracta primò in Eccleſia Hipponenſi, deinde per Orbem dilatata. Prius jam dixerat*, quòd: *In Primitiva Eccleſia... omnes ad Apoſtolorum pedes ſuas ſubſtantias ponebant*.. Rurſus quòd: *Frigeſcente Laicorum fervore, in Clericis continuavit*... Item quòd: *reſervatus fuit talis vivendi uſus apud Clerum Eccleſiarum Cathedralium unâ cum Epiſcopo vitam ducentem communem in Clauſtris prope Eccleſiam conſtructis*... Quòd: *collabeſcente hoc rigore ferè apud omnes, D. Auguſtinus in Civitate Hippone iterum eos ad Communem Vitam revocavit, aſſignatis Regulis; Unde fertur apud Hiſtoricos Sacros hunc Ordinem jam inde ab Apoſtolis ortum agnoſcere... Certum enim eſt* proſequitur tàm celebris Commentator prius ante: *Auguſtini Reſtaurationem horum Canonicorum ſub ejus Regulâ, adfuiſſe Canonicos Regulares in pluribus Eccleſiis Cathedralibus, imò etiam remanſiſſe poſt dictum Auguſtinum*. Poſt quæ denique alibi hoc addit, quodque finem imponet huic argumento plus ſatis jam demonſtrato: *Ne Eccleſiæ Matricis*, id eſt S. Joannis Lateranenſis, *cultus diminueretur, fuit inſtitutus proprius Clerus dictæ Baſilicæ, ut in ſpiritu proficeret, ac munera Eccleſiaſtica, ut par erat, in Sancto illo loco perſolveret ſub Regula Divi Auguſtini, idque evenit tempore Divi Leonis Magni poſt Annum* 440. *prout refert Cæſar Franciotti Clericus Regularis Lucenſis; ſed magis communiter tempore Gelaſii I. circa annum* 495. *ut ſcripſit Onuphrius Panvinus, ex Archivio Lateranenſi*.

3. Part. Chron. de Sacro Ordine. V. Bullar. Later. p. 230.

Lib. 3. epiſt. 17.

In cap. 1. Regul. de Auguſt.

Secul. XI. & XII. p. 1. c. 7. art. 7.

In Commentar. ad Conſtitut. Apoſtol. tom. 1. pag. 372. & ſeqq.

In Hiſtoria Sacra Lucenſi 1613.

In annot. ad Platinam.

Ex his colligitur ſupralaudatos Scriptores, pondere Auctoritatis & Rationis, non aliò ſpectare quàm ut ſignificent Canonicos Regulares propius Apoſtolos imitari in æconomia Vitæ Communis, cùm ſint hæredes eorum Paupertatis ac Clericatus ſpecialiori propagatione. Etenim licet genericè conveniant aliis cum Ordinibus Regularium in abdicatione proprietatis, nec non dignitate ac poteſtate Clericatus, quo hodie donantur; Nihilominus Clericorum Canonicorumve Regularium hoc eſt præcipuum ac peculiare decus, eos nempe ullo quantumvis minimo tempore jure ſubſiſtere poſſe abſque Primâ Clericali Tonſurâ, qua initiantur Miniſterio Eccleſiæ, ut ſupra delibavimus; neque iis jam in ſuo eſſe apprimè conſtitutis Clericatum liberè ſupervenire. Verùm indivulſis nexibus Duo hæc in Clericis ſeu Regularibus Canonicis copulari neceſſe eſt, Profeſſionem videlicet & Clericatum: *Dignitatis Clericalis*, juxta Pii IV. Oraculum, *ſtatim quòd Profeſſionem emittunt*

Pignatel. tom. 8. conſultat. 43. n. 57.

inſi-

inſignitos eſſe oportet. Hinc dicitur ſpecialiori quadam participatione eis Clericatum
ineſſe, propiùs ſcilicet ac immediatiùs; vel ut docuit S. Thomas: *Directè*, *Per Se*;
ſive demum, ut loquuntur Canoniſtæ: *Eſſentialiter*, *per eſſentiam*.

V. Verùm præſenti argumento conſultius accomodatiuſque nihil, quàm palam
facere Clericatum unâ ſimul ac Vitam Communem minimè defeciſſe cum Apoſto-
lis, immò uſque ad Auguſtinum perſeveraſſe, ut defecatæ illimiſque auctoritatis
teſtimonia Hiſtorica comprobant, ut alibi ad faſtidium uſque tradidimus; adeout,
nedum ab Apoſtolorum Cætu Canonicos Regulares deſcendere verum ſit, ſed ul-
terius imitatores eorum eſſe Clericorum Apoſtolicorum, qui eo temporis decurſu
ab Apoſtolis videlicet ad Auguſtinum, Communem Vitam duxere Clericatui an-
nexam. Hanc ſiquidem nequaquam extinctam profitemur, imò ab initio florentis
Eccleſiæ ſucceſſivâ propagatione in Clericos derivaſſe; & ſi aliquando ſub pondere
vaſtationis hoſtilis ferè ſuccubuerit, fugatis huc illucque Altaris Miniſtris, Apo-
ſtolica Clericaliſque Vita Communis. Scriptum reliquit auctor diſciplinæ in du-
Part. 1. l. 3. c. 1. n. 7. bium verti non poſſe: *Quin qui Primi affulſerunt Orbi Beneficiarii Apoſtoli nimirum ipſi*
in unum Collegium ſub Chriſto capite adunati fuerint primùm, ſed & poſtea illo in Cælos
revocato, inter ipſa naſcentis Eccleſiæ incunabula. Quo Eccleſiæ naſcentis ex ſinu cui-
libet Viro Boni & æqui amatori perſuaſum ſatis apparebit Apoſtolici Collegii Suc-
ceſſores exortos fuiſſe, qui Apoſtolicum morem, purioremque diſciplinam æmu-
lantes, inſtituére ipſimet poſtea ſibi commiſſum Eccleſiarum Clerum, Apoſtolo-
rum exemplo. Itaque par eſt judicare. Idem auctor alibi dixerat & clarius: *Com-*
Ibid. n. 7. *munem profectò Chriſtus cum Apoſtolis ſuis Vitam initiavit, duxitque, eadem cum ipſis men-*
ſâ, Domoque, & eodem contubernio uſus, & poſtquam ille in Cælos revolavit, Apoſtoli quo-
que & Diſcipuli ejus Communis Vitæ vinculo copulati, præluxerunt venturis Seculis, Cle-
roque abſolutiſſimam vitæ formam præmonſtraverunt. Quomodo enim talis tantaque
poſterioribus Seculis propagata fuiſſet Vitæ Communis perfectio, rara ac inuſitata
extra Scholam Chriſti, niſi ab Apoſtolorum fonte promanaſſet, qui præiverunt cæte-
ris præcipuè Clericis, exemplo magis quam conſilio? Audiamus hic iterum aucto-
rem diſciplinæ: *Apoſtolici omnes viri*, inquit, *Apoſtolorum veſtigia ſectati ſunt aureis*
Part. 3. l. 1. c. 1. n. 10. pag. 4. fin. *illis Prioribus Seculis. Quo tempore Laici, & fex ipſa vulgi Chriſtiani, non præceptis*
tantùm, ſed & conſiliis ſe accomodabant Evangelicis; ſuppuduiſſet, ut opinor (hoc lector
attende) *Clerum, non ſaltem ſequi quibus præire debuiſſent, & ad perfectionis culmen il-*
lis præcurrentibus, non properare. Res in promptu eſt, ſi ad priora Secula aſcenda-
In Chron. ann. 376. mus. De Aquilejæ Clericis ſcribit Hieronymus: *Aquilejenſes Clerici, quaſi Chorus*
Beatorum habebatur. Uſu hoc venerat Smyrnæ apud Polycarpum, qui: *In ſeceſſu*
Acta S. Polycarpi Epiſc. c. 6. ap. Bolland. an. 167. *habebat ſecum congregatos Presbyteros Religioſos*; Riconorurę, ſecundùm Sozome-
num: *Eſt autem ejus loci Clericis communis domus, & menſa*, & reliqua denique *omnia*
Hiſt. Eccl. l. 6. c. 31. ann. 365. *communia*; Salaminæ ex Epiphanio, interprete Dionyſio Petavio: *Clerum illius fuiſſe*
ſimul comedentium, & audientium Sacram lectionem inter prandendum, habentium etiam
Dionyſ. pag. 118. ann. 370. *commune cum Epiſcopo peculium, quòd pro arbitrio diſpenſabat Epiſcopus, erat exercentium*
cælibem, & Religioſam Vitam; Alexandriæ demum ex Thomaſſino; *Fateri cogimur,*
Par. 1. l. 3. c. 3. n. 14. *Monaſteria ipſa in Oriente inſtar habuiſſe Seminariorum, ex quibus Epiſcopi aliquando,*
præſtantiſſimique Clerici accerſerentur. . . *Hinc utcumque elicitur fuiſſe in Eccleſia ſaltem*
Tom. 3. pag. 67. n. 6. ann. 311. *Alexandrina, quæ Latinas proprius ſequebatur aliqua juniorum Clericorum Seminaria*. Mi-
nimè prætereunda illa verba: *Quæ Latinas propius ſequebatur*: Nutriebantur ergo
Romæ ac per Italiam ſacræ eruditionis Clerici, quorum Scientia, Probitaſque mo-
rum latè ſeſe effuderat in exterarum Provinciarum exemplar. Tandem ex Abbate
Fleury, qui ea diſquirens, quæ Primo contigerunt Seculo, ſcriptum Gallicè reli-
quit, loquens de iis quos de Eccleſia perſecutionis metus huc illucque fugaverat; in
montibus, & ſpeluncis & cavernis terræ deliteſcentes, & pax Eccleſiæ in unum
Liv. mœur des ebrè pag. 241. coaluerat, diſertis his verbis: *Ceux-là logeojent en même maiſon, & mangeojent, en me-*
me Sale autant qui il etoit poſſible: Du moins ils ne poſſedojent rien en propre, & ne ſubſi-
ſtojent que de ce que l'egliſe leur four-niſſoit. C'ètoit une grande famille dont l'èvêque ètoit le
Pere. Tels ètojent les Clercs de S. Euſebe de Verceil, de S. Martin; de S. Auguſtin, &
on les appelle Clercs Canoniques, ou Chanoines, à la difference de ceux qui ne vivojent pas
ſi exactement ſelon les Canons, & dont l'egliſe ne laiſſoit pas que ſe ſervir. Seminaria igi-
tur ſeu iſtæ Congregationes abſolutæ Sanctimoniæ Clericorum, ſub oculos, ſive
in Domibus Epiſcopalibus ſitæ, quid aliud poſteritati innuunt, quàm Sodalitates
Canonicorum, Vitæque Communis Regularitatem, juxta Patrum ſententias, ac
inſtituta Apoſtolica; ex quibus, Canonici Regulares, qui ſequuntur: *Apoſtolicam*
vitam,

vitam, nil proprium habentes, & qui: *Apoſtolicè vivunt*, exordia felici ſucceſſu aucta petunt: cui opinioni magis quàm ei, quæ ſtatuit Undecimo Seculo Canonicos Regulares primò apparuiſſe, acceſſiſſe legimus Tillemontium ita ſcribentem de iis, quæ ante Auguſtini tempora acciderant: *Si l'on veut donc chercher la plus ancienne origine des Chanoines Reguliers, il faut remonter juſques à ſaint Euſebe. Il y auroit lieu de croire qu'il avoit pris le modele de cet etabliſſement dans les Monaſteres qu'il avoit veù en Egypte, & en Orient durant ſon exil: mais Saint Ambroiſe nous aprend que ce fut avant ſon baniſſement qu'il fit un Monaſtere de ſon egliſe.*

Tillemont tom. 7. pag. 532.

VI. Certè hęc Clericorum Vita longâ intercapedine ſive interſtitio quatuor Seculorum, ab Apoſtolis, videlicet, ad Auguſtinum, ab naſcentis Eccleſiæ diſciplinâ, veluti ab ejus fonte effluxit; quo ex fonte, poſt tantam omnimodę auctoritatis nubem teſtium, extra omne dubium eſſe deberet, apud cordatos viros veritatis amatores, Canonicos Regulares Originem traxiſſe; Porrò, Vita Communis Auguſtini tempore mirandum in modum ſolidius viguit; ſub quo ſimiliter pręſtantiſſimo Pręſule Canonici Regulares per Reformationis viam Eccleſię refloruerunt; ac proinde Canonicorum Regularium Vita, ſi Res à ſuis initiis repetatur, ablegatiſque omnibus pręjudiciis, ab Apoſtolorum Cætu Originem, & in perſona primorum Clericorum, pręcipuè reſpirante ab ęſtu Belli Eccleſiâ, fermè ſucceſſivâ propagatione, apud non pauca Epiſcopia, perſeveravit; tandemque ſub Auguſtino glorioſiſſimo Reformatore in Hipponenſis Eccleſię ędibus florentior reſurrexit, magiſque roborata eſt, Hanc porrò Communem Clericorum Vitam ex Apoſtolorum gremio enatam, continuaque imitatione, recenti præeunte Apoſtolorum exemplo prognatam propagatamque fuiſſe ad uſque Auguſtini aurea tempora, non eſt hìc loci, ut pluribus oſtendam: nihilominus altero ſolùm momento confirmare haud omittam. Obſervavimus ſuo ſupra loco Rerum Eccleſiaſticarum providum fuiſse moderatorem Epiſcopum, Hujus religione ac pietate Bona Eccleſiæ diſpenſabantur etſi adhuc nulla extaret Conciliaris Lex aut Canonicum præceptum, quadripartitâ portione alendi Pauperes, Eccleſias reparandi, Epiſcopum Clerumve ſuſtentandi. Hoc autem ut Lege fixâ, ac perenni uſu veniret, ineunte Seculo quinto, haud prius: *Quinto non ante Seculo*, ait Thomaſſinus, ſancitum eſt. Cur autem hoc ſolummodo ęvo decretis ſuis ſtatuerint Eccleſię Patres diſtributionem ſacri quadripartitam ærarii; ſeſe offert primùm læta illa Societas modicis contenta, quæ Clericos inter & Epiſcopum florebat, ex qua Bonorum Communione, ne dum regnabat Cor unum & Anima una, verùm etiam omnis neceſſitas partitionis exularat: *Communis Societatis vinculo*, Teſtis eſt auctor diſciplinæ, *connexi vitam agebant Clerici; ita nihil opus erat partitione: aut victu & veſtitu contenti degebant, unde nec erat, quòd de juſtâ ſua portione litigarent cum Epiſcopo*. Quoniam verò avaritiæ ſtudium penes Eccleſiaſticos adminiſtratores magis magis æſtuabat, cujus causâ pauperes: *Clericorum rapacitati iraſcebantur*; æquum fuit ſucceſſione temporum Eccleſiaſticâ Lege deffinire quadripartitam partitionem: neceſſitas charitatis egenorum gratiâ ad hanc adſtrinxit Eccleſiæ Prælatos. Hac nihilominus minimè obſtante Lege; *Longè antiquiſſimum ſuaviſſimumque fuiſſet Gregorio, ut Clerici Communi Omnes cum Epiſcopo ſuo vitæ ſocietate vincirentur, ne ulla rerum inter eos partitio fieret, ſed portio illis omnibus, & ampliſſima eſſet Deus*. Hanc animo ſuo infixam diſpoſitionem exploratam voluit Auguſtino Anglorum Epiſcopo, eique conſilium præſtitit, ut eandem converſationem teneret, *Quæ initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his quæ poſſidet, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.*

Part. 3. l. 2. c. 13. n. 8.

Ibid. n. 6.

Ibid. n. 9.

Ibid. cap. 14. n. 9.

Lib. 12. epiſt. 3. cap. quia ſua fraternitas.

VII. Hac ergo ex Clericorum feliciſſimâ Communitate, Priſco Eccleſiæ Ævo, uti fas eſt judicare, ac nonniſi maximo delectu, extrahebantur Parochi Sacramentorum Miniſtri, Vitæ Communis caractere inſigniti, Certè nequaquam ex Clero aliquâ Proprietatis fœce fœdato. Non enim tam citò, Prioribus Seculis, ſed neque grandeſcente Eccleſiâ eâque planè conſentiente, Clerici, divitiarum blanditiis attracti, à veteri majorum doctrinâ, ac diſciplinâ dęviavere. Quæ cum ita contigiſſe præſumendum ſit, ut nos quoque ſupra notavimus, Primis Eccleſiæ Seculis inhęrentes, ſcitiſſimè Ivo, antiquiorum Patrum Sanctimoniam conſiderans, Paſtorum officium, regimenve Animarum Sanctuarii pondere librans, nec non vetuſtæ conſuetudinis veſtigia ingreſſus egregiè aſſeruit: *In Primitivâ Eccleſiâ nullus eſt conſtitutus Rector animarum, niſi de Communi Vitâ aſſumptus.*

Quoniam igitur in horum Clericorum Vitâ Canonicorum Regularium Inſtitutum,

tum, Vocatio, & Finis apprimè repræſentantur ac reperiuntur, ut ſupra inſinuavimus; Satius eſſet eoſdem Canonicos Regulares potius in partem ſollicitudinis Epiſcoporum adſumere, quàm à regendis Populis arcere; cùm eos conſtet in Animarum guberniis præferendos eſſe cæteris paribus, qui in Clauſtris igne tentationum examinati ſunt, ſimiles facti iis, ut vult Concilium Bituricenſe: *Qui ſibi ipſis imperare norint*. Utique credere juvat hujus perfectionis eos fuiſſe Clericos Regulares incolas Clauſtri apud Sanctum Laurentium (Romæ) foris muros, per quos reparatum fuit illud Monaſterium ſub Clemente III. laxatum, ac laceratum per Commendatarios Abbates: *Quòd*, ſcilicet, rationem affert Lupus, *quòd apud iſtos Clericos magnus tunc eſſet omnium virtutum theſaurus, magnus in Eccleſiâ fructus*. Abſit ergo, à regendis Populis Canonicos Regulares abjici debere, quos, nemo, ambigit, de iis eſſe Clericis, quorum vigili cuſtodiæ, ab initio Eccleſiæ, Populorum gubernacula commiſſa legimus; etenim veroſimile valde eſt, Prælatos illos, Primitias ſpiritus, Traditionis Apoſtolicæ tenaces, peritoſve, ac propiores diſcipulorum Chriſti exemplo, concordi, atque uno animo, Clericos auri, argentique appetitores, ſecularitatemque redolentes, præferre noluiſſe, Clericis Paupertatis Evangelicæ Sectatoribus, in Officiis Paſtorum obeundis, ſive in regimine Animarum. Cordatorum Conſilio, ſeu venerandis auctoritate, ac prudentiâ Viris, vel hoc judicandum relinquimus. Certè apud nonnullos non abſque admiratione auditur, & excluſio eorum Clericorum, qui Regularitatis privilegio iis conformiores ſunt, qui agebant Curam Animarum Prioribus Seculis, Vitamque Apoſtolicam in Epiſcopalibus ædibus ducebant, pietate, ſapientiâ, & eruditione illuſtres, & electio eorum Clericorum Secularitati confœderatorum, hominum Laicorum conſortia frequentantium, qui rerum temporalium Domini ſunt, ac Poſſeſſores; cæteris paribus, ut dixi.

Tit. 35. ann. 1584

Lupus in 1. Concil. Roman. S. Gregorii Septimi.

§. VI.

Ut Lux amplior affundatur rebus huc uſque digeſtis, nonnulla, unde Vocabulum Clerici, Canonici, Canonicique Regularis petatur, recenſere, raptim tamen & perſtrictè, hìc mei conſilii eſt.

I. QUantumvis eo quod à me dictum eſt, ſatis apertè inſinuaverim Clericatus confæderationem ratam, & inconcuſſam cum Ordine Canonicorum Regularium, nèc non ubertim expenderim iteratis typis Clericorum Dignitatem; nihilominus pauca recolere neceſſe habeo, quo magis perſpicua ea reddantur, quæ in hoc Opere protulimus. Eccleſiæ ſuæ in Terris Chriſtus Dominus quoddam peculiare genus hominum, quorum operâ arcana Divina, Sacramentorum Collatio, Verbique Evangelici diſſeminatio in myſticum corpus effunderentur, ſelegit, adoptavitque. Una omnium eſt Vox Gentem hanc Sanctam in Domini Sortem vocatam, Dei cultui Sacram, propagandis, gignendiſque fidelibus ordinatam, Clericos, nuncupari à Patribus Concilii Aquiſgranenſis hunc in modum: *Omnes qui in Eccleſiaſtici miniſterii gradibus ordinati ſunt, generaliter Clerici vocantur*. Hi enim ſunt per quos Fidei rudimenta infunduntur, Oveſque Eccleſiæ paſcuis cæleſtibus nutriuntur, juxta Divi Hieronymi ſententiam: *Clerici paſcunt oves, ſive ex Clementinâ exivi de Paradiſo*: *Clericorum eſt oves paſcere*. Congregatio ergo Clericorum Hierarchicis miniſteriis addicta, haud ſilentio, ſolitudini ac planctui, ea eſt illa, quæ Eccleſiaſticarum functionum ex Inſtituto, ex innatâ Status Dignitate munera implet, Poteſtateque præfulget, cui populorum gubernacula concredita ſunt ab Eccleſiæ exordio: *Clericatus* ajebat Auguſtinus ſui Epiſcopii Clericis, *propter populum*; *magis onus, quàm honos*; Plebique ſuæ; *Vobiſcum hìc vivimus, propter vos vivimus*. Gens, inquam, ea eſt, *cujus virtus eo mirabilior, quo difficilior*, cùm ſibi inditæ indolis ſit vivere *ubi vivere diſcitur, non autem ubi vivitur*, uti docuit Auguſtinus. Hoc inſigni caractere clareſcere Canonicos Regulares, Directè, Per ſe, ex vi Sui Inſtituti ac Status, ac Fine primario, ita exigente Ordinis Canonici Profeſſione, non eſt hìc ut multum laboremus, quia, ex nuper aſſertis, nedum haud obſcurè, imò luculenter ac graviter, id nos inculcaſſe, nemo non videt.

Can. 99. ann. 818.

A Heliodor. Archid. in C. mandamus 19. q. 3.

Serm. 355. c. 4. n. 6.

Lib. de mor. Eccl. Cathol.

II. Ex his, quæ fortè nimiùm prolixè aliàs Prelo commiſimus, pro explicanda voce *Canonicus*, nemo inficias ire poteſt, quin ex Græcâ hac voce *Canon* dimanet,

quę

quę multis ſignificandis rebus adhibetur, quęque latinè Regulam ſonat, ac exprimit. Hinc palam fit, ne ultra limites moderationis evagemur, propriè iis Canonici nomen competere, qui juxta Regulas, Conſuetudines, Legeſque Patrum, Conciliorum, Canonumque Eccleſiæ vitam tranſigunt, deque Communi Eccleſiaſtici ærarii Patrimonio vivunt. Africanis Conciliis cautum fuit, ut Sacræ Ordinationis tempore Libri Canonum recitarentur; quo Ritu Clerici ad eorundem Canonum obſervantiam intelligerent ſe obligari. Baſilii exemplo, à quo fortè primùm uſu venit Canonici & Canonicę Vocabulum, hoc titulo eos nuncupantis, qui rectæ vitæ Canones cuſtodiebant. Gręci, Latinique Patres Canonici nomine condecorare cæperunt Clericos illos, qui genus Vitæ Apoſtolicę imitantes, ſub & cum Epiſcopo in Communi vivebant. Quoniam autem, illibatâ licet remanente Clericatus dignitate ac decore, Vitę Communis antiqua diſciplina, permagnâ ex parte ferè exolęvit, malo deſuetudinis Jure, extremis Eccleſię Sęculis, refrigeſcente charitate, & regnante cupiditate, ut ſuo etiam Ævo dolebat Ivo; nemo non videt ſenſim in duas quodammodo Claſſes Ordinem Clericorum partitum, ſecatumque: Alii propterea Seculares nuncupati, quòd cuperent extra Epiſcopium manere, deque Proprio vivere; Alii verò Regulares vocitati, quia firmâ ſtabilitate Communitatem Vitæ, quam primò cęperant juxta Regulas Patrum, Canoneſque Conciliorum, profiteri non deſtiterunt, Eccleſię Fiſco, omnibus omnia, prout opus erat, conferente. Hâc porrò minimè obſtante Sectione, unitatem Clericatus nullâ diviſionis maculâ aſperſam, nec ullam læſionem paſſum Canonici nominis decus ultrò ſentimus, utriſque ęquè ac indiviſè Commune.

Concil. Carthag. II. Can. 3. *Diſcorſo Storico... pag. 159. A cap. 10. variar. regul.*

Cap. 113.

Canonici ergo Regulares ii ſunt, omnium tum Veterum tum Recentiorum ore, qui Clericali caractere inſigniti, & ad Hierarchica miniſteria ſpecialiori providentiâ ſelecti, de Eccleſię Ærario, more Pauperum vivere ſtudent, ſub Obedientia in Canoniis, ſive in Epiſcopiis: *Ideo Canonici appellati eſtis*, Canonicos ſuos alloquens Ivo Carnutenſis dicebat, *quòd Canonicas Regulas vos velle obſervare cæteris arctius devoviſtis. Græco nomine Canonici, ideſt Regulares ſunt vocati ii*, ait Hugo de S. Victore, *qui in Monaſteriis conſtituti juxta Regularia Inſtituta Sanctorum Patrum Canonicè, atque Apoſtolicè vivunt*. Nicolaus de Cuſa Conſtantienſis Epiſcopus ita ſcribit: *Canonicus quaſi Regularis, quia ſe Regulis Sanctorum adſtrinxit*. Sanxerat Concilium Moguntinum ſub Carolo Magno: *Ut Canonici Clerici Canonicè vivant*. Concilium Remenſe ſtatuit, ut legantur Canones, *ut quiſquis Canonicus legem, vitamque ſuam minimè ignoret*. Colonienſe decrevit hoc modo: *Ut de Canonicis dicamus paucis, reſpondeat eorum vita titulo, reſpondeat nomini, ſint re ipſa ut ſunt nomine, ideſt Regulares*. Longè pluribus Patrum teſtimoniis aliàs argumentum communivi; ſuperſedeo nunc ne eadem recudamus, neque, mediocritatis oblitus, ultra modum, Scriptorum priſcorum nuperorumque authoritate, Canonicum Ordinem proveham. Omittere tamen non debeo magni nominis Virum, eximiique ponderis monumentum quo, monemur, apud Epiſcopum Eboracenſem Octavi Seculi Scriptorem, Canonici Vocabulo Clericos Regulares donari: *Canonici ideſt Regulares Clerici*. Hæc ſi amaro animo minimè percurrantur, nemini in mentem veniet unquam, Canonici vocem nudius tertius audiri cæpiſſe, paucorumque auribus inſonuiſſe. A Baſilii Ævo ad noſtra uſque tempora conceptis verbis miſſa hęc Vox eſt, eodemque ſenſu ſucceſſivis Seculis uſurpata; niſi turpiſſimè hallucinari velimus. Verùm etſi diſertis terminis hujus nominis, *Canonicus, ſivè Clericus Regularis* nulla mentio extaret apud reconditioris eruditionis viros; nihilominus ſemper fuere qui Re ipſa Canonicum ſive Clericum Regularem vivis coloribus exprimerent, videlicet, in Clericis imitatoribus Diſciplinæ Evangelicę, Paupertatiſque Apoſtolicę. Quantumvis recens nonnullis recentioribus Criticis Canonici Regularis nomen appareat, Res ipſa, certò certiùs, hoc nomine ſignificata vetuſtiſſima eſt; quapropter Viri cordatiores, qui à Veri Orbitâ nec tantillum deflectunt, ea quę in vulgus ſparguntur proſcindendi gratiâ Canonici Regularis Vocabuli antiquitatem, ęquiore judicio, modeſtè tamen Silentioque irrident. Noſtri Conſilii fuit nunquam buccis crepantibus, tubâque in compitis canere, Eccleſię naſcentis ævo nihil ſolennius, nihilve tritius audiri conſuevîſſe voce hac: *Canonicus Regularis*. Rem ipſam quidem hoc nomine ſignificatam conſtanter aſſeruimus, minimè contemnendis exemplis, ab exordio fuiſſe Eccleſię.

Epiſt. 69.

In cap. 1. Reg. S. Auguſt.

Lib. 3. Sermon. Accepiſtis.

Cap. 9. anno 795.

Cap. 8.

Cap. 4. anno 1536.

Præfat. in excerp. tom. 6. Concil.

III. Dixerat Auguſtinus: *Ea eſt noſtris temporibus Chriſtiana Religio*. Ne autem Notâ novitatis inureretur Chriſtiana religio, ſtrictiſſimè acceptis illis verbis: *Noſtris tempo-*

Retract. lib. 1. cap. 13, n. 3.

temporibus; Sanctus Doctor amputare cupiens omnem verborum digladationem, ea haud expunxit, ſolummodo clarius ſeſe expreſſit, dicens: *Secundùm hoc nomen dictum eſt, non ſecundùm ipſam Rem, cujus hoc nomen eſt, Nam Res ipſa quæ nunc Chriſtiana Religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani quouſque ipſe Chriſtus veniret in Carne, unde vera Religio quæ jam erat, cæpit appellari Chriſtiana. Cùm enim eum poſt reſurrectionem adſcenſionemque in Cælum cæpiſſent Apoſtoli prædicare, & plurimi crederent, primùm apud Antiochiam, ſicut ſcriptum eſt, appellati ſunt Diſcipuli Chriſtiani. Propterea dixi, hæc eſt noſtris temporibus Chriſtiana Religio: non quia Prioribus temporibus non fuit, ſed quia poſterioribus hoc nomen accepit.* Hæc Auguſtinus. Noſtri conſilii eſt, fuitque ſemper, Rem ipſam hoc nomine indicatam minimè defuiſſe ab exordio Eccleſiæ; quoniam in idem duo hæc redeunt, *Canonicus Regularis,* quo ad vim ſignificandi, ac Clericus Vitam Communem profitens juxta Canonicas Patrum Regulas, ſive Communitatis Apoſtolicæ cultui addictus; hoc autem Clericorum genus aureis extitiſſe Eccleſiæ Seculis, jam iteratis prælis palam produximus. Hujus concepti nominis: *Canonicus Regularis,* Epocham concludat quiſque intra eos fines, prout ſibi placet. Lubens aſſentior fortè figendam vel Concilii Aquiſgranenſis tempore, vel potius etiam ſerius; indubiè autem eo quo Seculo ortam volumus diſtinctionem Canonicorum in Regulares Seculareſve, utriſque ſalvâ *Canonici* nominis honorificâ dignitate; qua partitione premiſsâ, ut aliquo caractere duæ he Claſſes diſtinguerentur, majoribus noſtris placuit Canonicos eos, qui Vitam Apoſtolorum omnis Proprietatis expertem, ſectabantur, Regularitatis honore cohoneſtare; Seculares compellare è contra eos, qui de Proprio vivere cuperent, propriiſque in domibus, cum Secularibus converſari. Hec ad faſtidium uſque aliàs prolixè commonſtravimus. Num autem hæc diſtinctio prodierit Undecimo Seculo, quo Canonicus Ordo, ut ait P. Alexander, viris Religioſis ac Sanctis florentior ſurrexit, ac propagatus eſt, qui Seculo Decimo ab obſervantia ceciderat, mea non intereſt. Unum eſt, eo quo tempore Canonici cepere Regulares vocari, ordo Canonicus minimè exortus eſt; cum ab incunabulis Eccleſie ſecundùm ipſam Rem, ſive Re ipsâ extiterit. Quamvis ergo noſtris, ut ita dicam, temporibus primò auditum hoc eſſet Vocabulum: *Canonicus Regularis;* nequaquam ex eo contingit id, quia Ordo Canonicorum Regularium Prioribus temporibus abſolutè non extiterit; ſed quia poſterioribus, hoc nomen accepit. *Canonici Regulares dicti ſunt propter neceſſitatem determinandi ambiguitatem vocis Canonici*, ut ait Suarez.

Actor. 11. 26.

Secul. XI. & XII. par. 1. c. 7. art. 7.

Tom. 1. de Relig. l. 2. de variet. Relig. c. 9. Item tom. 4. lib. 1. c. 9.

Vindicare cupiens Auctor Diſcipline retrò Eccleſie Seculis extitiſſe, *Capitula*, Cleri Cathedralium Eccleſiarum, plurimis auctoritatum preſidiis ab antiquitate conquiſitis, propoſitionem ſuam conatur reipsâ communire, eſto nullum teſtimonium compererit, quo conceptis verbis, hæc Vox *Capitulum*, exprimatur, He voces, videlicet, Seminaria, auribus ejus nil aliud ſonant, quàm *Capitula* Eccleſiarum; litemque omnem abſolvit hac perſuaſione ac principio, nempe, rerum quidditates inveſtigandas eſſe, minimè verò blandiendum auribus vocis ſono: *Si ablegatis præjudiciis penſitentur, quæ de Seminariis ſupra diſſeruimus*, ait, *liquebit ea tum vera fuiſſe Capitula, & Collegia ipſa Cleri Cathedralium Eccleſiarum.. Non hìc ſonat Vox iſta Capitulum, ſed Res ipſa vociferatur. Non vocum ſonus, ſed ſenſus attendendus hìc eſt.* Exuenda ergo ſunt omnia partium præjudicia ab amatore veritatis; neque unius verbuli voce aliquando fortè incompertâ vel inuſitatâ acriter contendendum litigandumque eſt. Nihil uſitatius, nilve pervulgatum magis apud veteres, quàm Apoſtolorum, Priorumque Eccleſie Clericorum Communitas Vite, Proprietatis expers; itemque omnium ex ore, ac calamo prodiiſſe crediderim, ſcilicet, Canonicos Regulares Apoſtolicam Vitam colere in Paupertate ſitam, juxta mores, leſque Clericorum primitivæ Eccleſie, ſive ſecundùm Canonicas Regulas, majorumque uſus. Quid ergo procul à vero, ſi Clericos Communiter viventes, Canonicos Regulares vocitemus, quando Canonici Regularis nomine, nil aliud re ipsâ occurrit, cordatis hominibus, quàm Clericus Vite Communis Sectator? Velis, nolis per Priora quinque Eccleſie Secula, Seminaria Clericorum fatetur Diſciplinæ Auctor; Ulterius Seminariorum vocabulo, Capitula Cleri Cathedralium interpretatur; cuinam ergo ab eo fieret injuria, qui ingenuè proferret, Capitula hæc, Canonicorum Regularium fuiſſe Collegia, ſi Capitula hec & Seminaria erant Clericorum, ſub, & cum Epiſcopo, vitam agentium? Eſto non hìc ſonet vox iſta per Priora Secula, *Canonicus Regularis;* Res ipſa tamen vociferatur: *Non vocum ſonus, ſed ſenſus attendendus hìc eſt. Non enim ſonum Litterarum, ac ſyllabarum*, ajo cum Auguſtino,

Part. 1. l. 3. c. 8. n. 2. Item c. 7. n. 7. pag. 635. fin.

Tract. 101. in Joann.

guſtino , *ſed quod ſonus ipſe ſignificat , & quod eo ſono rectè , ac veraciter intelligitur .* In hunc fortè dicendi modum , Gerſon Cancellarius Pariſienſis celebris Scriptor , & auctoritate gravis reſpexit , quando , nullâ urgente partium neceſſitate , nec temerè nec præfractè , ut ſentire par eſt , immò veritatis dicendæ gratiâ , dijudicatis antè apprimè rebus , aſsertionem hanc defendendam ſuſcepit , nempe : *Apoſtolos fuiſſe Canonicos Regulares ſub Abbate Chriſto .* Nomine tenus nequaquam, ipsâ verò Re . Diſplicuerat Arianis novitas nominis , *Omouſion ;* non enim erant gratis , & abſque Sacræ Scripturæ auctoritate , adoptanda vocabula ad inconcuſſa , revelataque Fidei dogmata firmanda , ajebant ipſi . Nicænis Patribus nihilominus , ut Hæreticorum obſtruerent Os , abundè fuit , Petavio teſte , aſſerere, nominis *Omouſion* Vim ac Rem ſignificatam , fundamento ſolido Sacræ Scripturæ inniti , in eaque reperiri , & ſi diſertè ac expreſsè ſyllabæ *Omouſion* in ſacris Paginis minimè pateant , nec vocis hujus ſonus , ſtrepituſque audiatur . *Et ſi totidem ſyllabis in Scripturâ vox iſta non compareat , ejus tamen vim & ſententiam reperiri docebant .* Cùm igitur in re tam magni momenti is reſponſionis uſus ſatis firmiter receptus ſit , totâ conſentiente Eccleſiâ ; quis liberè ac impunè vitio vertet Canonicis Regularibus parem defenſionis modum , qui apud ipſos natus non eſt , ſed à priſcis Patribus , qui primis Seculis floruerunt , inventus uſurpatuſque ; & ulterius, quia à Canonicorum Regularium moribus fuit alienum ſemper , aurem prębere Quęſtionibus de Nomine , ſive curare de Nominibus .

Alphabeto 41. de Cœna Domini .

Tom. 1. de Trin. l.4.c.5.n.50.

IV. Num autem contradicendi ſtudio , an veritatis diſquiſitione adverſus Canonici Regularis nuncupationem inſurrexerint certatim quaſi & olim , & nunc , Eruditi nonnulli , victrix veritas id ipſa oſtendit , quæ antiquioribus innixa Patribus , ne dum virtutem ac intellectum hujus nominis , aureis Eccleſię Seculis ſe adinveniſſe gloriatur , immò ipſum Canonici Vocabulum obvium conſtanter habet , eundo per Secula, ut veterum teſtimonia , magno conſenſu , tradunt ac probant . Baſilius Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopus Seculi IV. Sacer Scriptor , ut ab inobedientiâ ad virtutis ſemitam quoſdam revocaret, pænarum comminatione , quos clarè & expreſsè Canonicos ac Canonicas compellavit , nonnullas Regulas ad eos direxit , hoc titulo inſcriptas, Interprete Sonnio : *Animadverſiones adverſus Canonicas delinquentes conſtitutæ : Animadverſiones adverſus Canonicos delinquentes conſtitutæ .* Conſtantinopoli coactum eſt Concilium ſub Menna Patriarcha , Anno Quingenteſimo Triceſimo ſexto , in quo Canonicę , certè , Religioſę , Canonicas Regulas colentes , à Seculi Virginibus diſcretę , haud ambiguè commemorantur : *Stephanus & alter Stephanus Preſbyteri dixerunt . . . Venit Epiſcopus noſter Petrus . . & introduxit Canonicas* . . Novellum ergo non eſſe Canonicarum Inſtitutum ſatis probant pręfati Concilii Patres . Concilium Aurelianenſe III. diſertis verbis ponit : *Canonicos Clericos .* Ex Gregorio Turonenſi , Baudinus Turoni Epiſcopus : *Inſtituit menſam Canonicorum.* Ex eodem Gregorio colligitur , Patroclum Diaconum , Vitæ fuiſſe adeo pęnitentis tantęque auſteritatis , ut recuſaret : *Ad convivium Menſæ Canonicæ cum reliquis accedere Clericis .* Apud Egbertum Archiepiſcopum Eboracenſem , uſu tritiſſimo dicebantur : *Canonici, ideſt Regulares Clerici .* Addo hîc Alcuinum, Venerabilis Bedę , & Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi Diſcipulum , deinde Caroli Magni Magiſtrum, qui ajebant : *Canon Gracè , Latinè Regula . . & inde Canonicus Regularis , quòd regulariter vivere debeat.* Concilio Turonenſi III. ſtatutum fuit : *Ut Canonici haberent Clauſtra, & dormitoria . .* Decrevit quoque Concilium Cabilonenſe , Presbyterum ordine ſuo dejectum , concludi oportere in Monaſterio : *Aut Canonico , aut Regulari .* Certè ut non ſeculariter viveret . Seculo itidem Nono ineunte apud Mabillonium, de Re diplomaticâ, legitur charta Johannis Epiſcopi Siſtaricenſis , in qua patet ipſum ædificaſſe : *Sacra Monaſteria ſeu Regulares Canonicas .* Demum ex Concilio Aquiſgranenſi plura referuntur , quę indicant Canonicorum Vitam Regularem : *Canonicorum vita ſparſim in Sacris Canonibus , & in Sanctorum Patrum dictis erat indita . . Canonicâ cenſentur profeſſione . . Plerique auxiliante Chriſto devotè , ac religiosè cum ſibi ſubjectis Canonicam ſervant inſtitutionem . . idem Ordo pleniſſimè ſervatur:* & ut Rex piiſſimus ipſe fatetur : *Pleniſſimè cuſtoditur . Quia Canonica profeſſio ,* ita Patres Aquiſgranenſes , *à multis* (non ait ab omnibus) *partim ignorantiâ , partim deſidiâ dehoneſtabatur , operæ pretium duximus . . .*

Tom. 2. p. 658. edit. Græc. latin. Sonnii .

Act. V.

Anno 538.

Can. II.

Anno 540.

Hiſt. Franc. p. 597. edit. Baſil. tom. 6. c. 31. §. ſextuſdecimus .

Anno 573.

Apud Fur. tom. 6. pag. 440.

Anno 747.

Præfat. in excerp. tom. 6. Concil.

Anno 780.

Lib. de Divin. offic. cap. 36.

Anno 813.

Can. 24.

Anno eodem .

Can. 40.

Anno 812.

Lib. 6. pag. 614.

Anno 816.

Præfat.

Ibidem .

Capitul. 1. c. 3.

Hinc , utrumque huc uſque , ex antiquitatis monumentis, per varia tempora diſcurrentes , delibavimus , Proprietatis libertatem , non verò Paupertatis arctiſſimum vinculum redoleant apud Canonicos Clericoſque Priorum Eccleſiæ Sæculorum , veritatis amator , judex ſit . Quid luculentius , ſplendidiuſque occurrere poteſt

teſt inter denſiſſimas temporum tenebras, quo Regularitas Canonicorum, Clericorumque vindicetur, diu à Patribus cuſtodita, à Conciliis imperata, ab omnibus ſemperque collaudata? Quæ aliæ clariores loquendi formulæ poterant in mentem venire majoribus noſtris, ut Canonicos Regulares, ſecundum ipſam Rem non ſolummodò, verum etiam quoad Nomen, priſcâ Eccleſiæ ætate extitiſſe, exprimerent; cùm omnia, quæ protulimus argumenta, nonniſi Canones, Patrumque ſententias, præſtent, à quorum moribus Peculium, Dominiumque rerum utpote alienum ab ſpiritu Eccleſiæ, prorſus exulavit. Imperitæ, ut mitius loquar, magis quàm improbæ mentis eſt contendere & digladiari verbis vaniſque Nominum Quæſtionibus, ubi de Re conſenſio eſt, eſſeque debet. Neque inveniri poteſt quid Eccleſiaſticę diſciplinę magis diſſonum ſit, quàm, poſt tot inconcuſſa antiquitatis experimenta, Canonicorum Regularium Ordinem, ut Rem penitus dubiam & Novam, Undecimo vel Duodecimo ſomniare Seculo, quia Canonici Regularis Nomen ab his ortum duxit temporibus, quando in Conciliis nil obvium magis venit, quàm Diſciplinæ Eccleſiaſticę Regulas priſtinas vel laudibus extolli in Clericis Canonicis, vel decretis ſanciri, ac firmari. Incomperta & inexplorata minimè ſunt quę aſſeruimus; iis fortè tantummodo Novum quid apparebunt, quibus vel magis placet contentionis certamen, quàm purę diſquiſitio veritatis; vel qui vix verſare manu dignati ſunt, digitoque movere, Acta Conciliorum, Patrumque Scripta; quoniam vetuſta & celebris Canonici Regularis nuncupatio eſt, ut, ſi pacis amore ſtudioſèque quæſita diſcuſſaque fuiſſet, non numero ſolùm, ſed & auctoritate teſtium adeo vallata occurriſſet, quòd nonniſi audacter quaſi parvipenderentur ab affirmativâ qui ſtant quando flocci tantummodo faciendi ii ſunt, qui patrocinium nominum ſuſcipientes, inter nudius tertius ortos Canonicos Regulares reponunt, vetuſtâ Eccleſię ętate incognitos, & Re & Nomine; ignorantes fortè & ipſi ut recens nati: *Fatuum prorſus eſſe aurem præbere Quæſtioni de nomine, & Sapientis eſſe non curare de Nominibus*, ut docet Angelicus.

Rota in Piſana Juriſpatr. 1. Julii 1700.
Pr. part. q. 54. art. 4. ad 5.

ARTICULUS II.

De Capacitate Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia obtinenda, ſi ſpectentur ut Filii Divi Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, qui eorum inſignis fuit Reformator.

§. I.

Auguſtinus Hypponenſis Epiſcopus eſt inſignis Reformator Canonici Ordinis.

I. INſtitutum Canonicorum Regularium ſi ab Apoſtolorum Collegio ſuam Originem trahit, quoniam maxima Similitudo convenientiaque intercedit Status Clericalis, quem eorum Profeſſioni, Directè, Per Se, ac eſſentialiter competere quiſquis agnoſcit; Caracter Clericalis, Rota ait, annexus eſſentialiter eidem Ordini. Hinc hujuſmodi Inſtitutum & ab Epiſcopo Auguſtino derivare fatendum eſt, qui haud alium ſibi præfixit ſcopum, quàm Vitam Communem Clericalem, Apoſtolicamque ſuo in Epiſcopio reſtituere. Hi à Sanctiſſimo Doctore, ait Rota, in ſuiſmet Sedibus, cum ſimultaneo Convictu, & Spiritu de tempore propè, quo Hipponenſem regebat Eccleſiam inſtituti noſcebantur, nimirum ſub anno 397. ad inſtar non abſimilis Primęvę Inſtitutionis Sanctorum Apoſtolorum. Priuſquam hoc probem, minimè dubito, Apoſtolicum hunc Ordinem ad uſque tempora Magni Auguſtini plurima perpeſſum vulnera, tepeſcente Charitate, ac malitiâ in dies gliſcente, ex Ivone Carnutenſi: *Quòd Communis Vita penè in omnibus Eccleſiis defecit, non authoritati, ſed deſuetudini, & defectui adſcribendum eſt.* Non ait Ivo, defeciſſe in omnibus Eccleſiis, ſed *penè in omnibus*. Hoc Hiſtorię Eccleſiaſticæ ac Traditiones, oſtendunt, æqualem, videlicet, ſemper fuiſſe Eccleſiæ

Loco mox citando. Anſaldo Conſtantien. Præcedent. Ven. 27. Januar. 1713.

Epiſt. 213.

ſiæ ſpiritum, conſtantemque ejus propenſionem, ut in Primo Apoſtolico nitore Eccleſiaſticos viros ſervaret, eoſque Vitæ Communi addiceret, ad Primorum Eccleſiæ Clericorum exemplar; & revera, abſit, Clericos in Communi viventes, Apoſtolis morientibus, penitus periiſſe; ut alibi fuſius commemoravimus, & hîc ſummatim perſtringimus.

II. Primi initio Chriſtiani Seculi Eſſenorum ſeu Therapeutarum Religioſa Vita, ex Euſebio Epiſcopo Cæſareæ in Paleſtinâ, Interprete Valeſio, erat: *Eccleſiaſticæ diſciplinæ forma*. Hujus Eccleſiaſticę diſciplinæ forma, circa annum Chriſti ſexageſimum, *ſub Marco Evangeliſta penes Alexandriam*, floruit, Philone Teſte, quem Joannes Diaconus ſequutus eſt, in Vita Sancti Gregorii Magni. Primo pariter exeunte Seculo, Ignatius Martyr, Epiſcopus Antiochenus ſuum collaudans Clerum, dixit: *Saluto Sanctum Presbyterorum Collegium*. Quid poſteris exaratum reliquit aliud Juſtinus Martyr, Philoſophus Chriſtianus, Secundi Seculi Scriptor, niſi Fideles ſui temporis ſpontaneam Paupertatem elegiſſe. Nonne Polycarpus Smyrnenſium Epiſcopus ſecum habebat: *Congregatos Presbyteros Religioſos*? Quantùm in hanc rem extulit Martyr Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis Sacerdotes Chriſtianos? Tertio ineunte Seculo, Epiſcóporum munus erat, referente Origene, ut eam exemplo imitabilem redderent Vitam: *Quam tempore Apoſtolorum fideles agebant*. Valdè conquerebatur Sanctus Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis & Martyr, quòd ſui ævi fideles Patrimonio augendo ſtuderent, obliti: *Quid Credentes aut ſub Apoſtolis antè feciſſent, aut ſemper facere deberent*. Nunquam ei fuit animus, niſi ut haberet, *Fratres Sportulantes*; iiſque in Communi viventibus: *Diviſiones menſurnas*, partiri jubebat. Quid non Romæ Dionyſius Papa egit, quemadmodum aliàs recoluimus etiam de Euſebio Vercellenſi, ut Apoſtolicæ Paupertatis amorem Clericis inſtillarent? Nequaquam obiit Clericalis Vita Communis Apoſtolis decedentibus. Florebat apud Clericos Alexandrinæ Eccleſiæ, ex Thomaſſino; apud Riconorurenſes Clericos; ex Sozomeno; In Aquilejenſis Eccleſiæ Clericis, ex Hieronymo: in Salaminenſibus, ex Epiphanio, Petavio Interprete. De Sancto Turibio, quem nonnulli volunt miſſum Cenomanenſibus Populis à Sancto Clemente Papa I., modernus auctor refert; *Communem omnibus Dei ſervis . . conſtituit ducere vitam*. Nos verò, cum aliis, eum quarto Seculo reponimus, ad eos deſtinatum. Ex quibus hucuſque dictis ſatis, ut opinor, eſt ad omne tollendum dubium, adverſus Communitates Clericorum per Priora quatuor ſecula; quamvis Thomaſſinus, qui Athanaſii Ævo Clericorum Seminaria fuiſſe fatetur; & alibi tradit: *Rariuſcula videntur fuiſſe hæc ſive Capitula, ſive Seminaria, ubi Vita Communis inſtitueretur*; alio in loco aſſerat, quòd: *Nulla fuit Communis Vitæ Societas inter Clericos Cathedralium Eccleſiarum per quinque Priora iſta ſecula, nec inter ſe ſolùm, nec cum Epiſcopo*. Miror cur Eruditiſſimus Vir poſt tantam nubem teſtium, modò conceſſerit, modò negaverit, quæ in quæſtione eſt, Vitam Communem in Clericis, Prioribus Eccleſię ſeculis. Nos quoque memores perſequutionis Eccleſiam depopulantis, ultrò aſſentimur timorem maximum fideles adegiſſe & Clericos ad ſe in tavernis contutandos, raras proinde, neque diu ſtabiles fuiſſe Clericorum Congregationes. Quoniam verò Catholica Fides numquam omnino extincta permanſit, multoque minus, ubique, eodemque tempore; minimè dubitamus, maximè Eccleſiâ reſpirante Pacis auram, revixiſſe Clericorum ſpiritum, ac refloruiſſe, quem occultatum viderunt, devorante Bello; indeque in unum coiviſſe, arctiſſimo vinculo Paupertatis, Apoſtolico more, Eccleſię naſcentis ſtrenuos Clericos. In eandem ſententiam ſcripſit hoc modo Suarez: *Satis veriſimile eſt Religionem illam* (Clericorum) *non periiſſe cum Apoſtolis, ſed continua ſucceſſione fuiſſe in eorum Succeſſoribus, ac Diſcipulis conſervatam, . de tempore verò, & ſucceſſione continua hujus ſtatus Religionis à temporibus Apoſtolorum uſque ad Auguſtinum non invenio ſeriem hiſtoriæ omnino certam. . quamvis ex decretis Pontificiis, quæ retuli, veriſimillimum ſit nunquam hoc vitæ genus in Eccleſiâ, & ejus Clericis defuiſſe. . Semper tamen obſervatum videtur*, addit Sotus, *non ſolùm uſque ad Auguſtinum, ſed etiam uſque ad Gregorium*.

Verùm quidquid de his, quæ modò indicavimus, ſit; Res eſt magno conſenſu tradita, ideſt Sanctum Auguſtinum Apoſtolico zelo ferventem, toto niſu, contra eorum temporum vitia, Communem Apoſtolorum Vitam, quæ fuit in Clericis Eccleſię naſcentis, innovatam voluiſſe in Clero Hipponenſi; quocum florentior ſurrexit Ordo Canonicus, qui ab Apoſtolico Clero dimanans, ac in Hipponenſi venuſtior refulgens, integer, puruſque poſt tot Secula perſeveravit, vivitque adhuc in

Cano-

Diſcorſo Storico-Cronologico-Critico della Vita Comune de' Cherici.
Lib. 2. cap. 7.
Anno 58.
Lib. 2. num. 12.
Anno 100. circ.
Epiſt. 5. ad Antiochenos.
Anno 141.
Acta Polycarpi ap. Bolland. cap. 6.
Anno 167.
Anno 179.
Comment. in Matth. pag. 383.
Anno 211.
De Lapſis.
Anno 248.
Lib. 4. epiſt. 5.
Anno 258.
Anno
Anno 311.
Anno 365.
Anno 376.
Anno 370.
Anno 400. circ.
Veter. Analect. Pariſ. 1682. pag. 63. & 64.
Tom. 3. pag. 67. n. 61.
Part. 1. l. 3. cap. 8. n. 3.
Ibid. cap. 7. n. 1.
Tom. 4. l. 1. de varies. Relig. cap. 7. n. 3. pag. 326.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Canonicis Regularibus, qui Apoſtolici Cleri Succeſsores ſunt. Poſſidii & Auguſtini teſtimonio diſertè hęc veritas manet ſixa & ſirma. Novimus ſiquidem ex Poſſidio, Auguſtini Convictores eocum vivere cępiſse: ***Secundùm modum, & Regulam ſub Sanctis Apoſtolis Conſtitutam***. Pluribus id ipſe oſtendit Auguſtinus, qui Clericis Hipponenſis Epiſcopii, Codicem Sacrum Actuum Apoſtolicorum, diſpiciendum, contemplandumque propoſuit: ***Ut videatis***, ajebat ipſe, ***ubi deſcripta ſit forma, quàm deſideramus implere***. Neque aliter agere ei viſum fuit, quemadmodum obſervat Auctor diſciplinę, utpote Sanctus Doctor: *Contentus exemplo, & Regulâ Apoſtolorum*. Atque ita pateſcit, elucetque, Apoſtolorum Communem Vitam, nativumque Cleri naſcentis nitorem, Auguſtini, omnium linguis laudatiſſimi, ope ac zelo, Hipponenſi Clero, & eocum, Ordini Canonico, poſtliminio rediiſse.

Cap. 5.

Serm. 356. item 355. n. 2.

Part. 1. l. 3. c. 11. n. 9.

III. Quoniam Canonicus Ordo ab ipſo ſtatim limine Apoſtolicæ Vitę Communis, Priorumve Clericorum, Ortum, exordiumque duxit, qua de re nullum, apud cordatiores Viros, dubium jure remanere deberet, poſt ea quę ſuo ſupra loco allegavimus; Si hujus Apoſtolicę Vitę Communis, quę propagata eſt ad Clericos Eccleſię naſcentis, Sectatorum ejuſdem Sanctus Auguſtinus auditur Reformator auguſtiſſimus, quia ſatis clara ea ſunt à quibus mox diſceſſimus; Hęc vera eſt Cauſa cur appelletur Canonicorum Regularium Ordinis Sanctus Doctor Inſtaurator Celeberrimus, quæ Res nunc in Quęſtione eſt. Multa hîc eſsent dicenda. Verùm, quoniam pervetuſtam ſatis ac manifeſtam eſse apud Eruditos hanc veritatem, credimus, minimèque dubitamus; ferè obiter Res tangenda videtur. Memini Sanctum Pium V. Pontificem Maximum pronunciaſse Canonicos Regulares ab Apoſtolis deſcendere, & à *Sancto Auguſtino eorum Reformatore, iterum per Reformationis* viam mundo genitos eſse. Id ipſum ſentire novimus alios Summos Pontifices, quos, in Bullario Lateranenſi, conſuluiſse Lectorem nequaquam pigebit. His adſtipulatur Sigebertus Monachus, cui conſentit Vincentius Bellovacenſis; Canonicos, ideſt, Regulares ***Primùm*** ab Apoſtolis, *poſtea* ab Auguſtino Epiſcopo Regulariter eſse inſtitutos. Quemadmodum de Sancto Benedicto Petrus Cellenſis, ait, quod fuerit, *Abbas & Monachus*, ita de Sancto Auguſtino tradit, quòd fuerit, *Epiſcopus & Canonicus*. Addimus Petrum Bleſsenſem, ſeu Petrum Comeſtorem, qui ſummis laudibus extollit Sanctum Auguſtinum, propter eruditionem, *Canonicorum Regularium*; etenim Vitam Canonicam *Reſtauravit, non inſtauravit, ipſa eſt enim Vita Apoſtolorum*. Demum Canonicos Regulares à Sancto Auguſtino deſcendere tradidit Divus Bernardus, qui de Fulcone quodam teſtatur: *Fulco Canonicus eſt Reguleris*, &, quòd fuerit, ***Sancto Auguſtino*** ſubreptus, obſervat etiam idem Bernardus, nonnullos Canonicos Regulares declinaſse: *Ab Inſtitutionibus Beati Auguſtini, ad obſervantias Sancti Benedicti*. Sed quid prolixius hîc immoror?

Pag. 165. 277. 299. alibive.

Sigeb. Chronic. edit. German. ad ann. 1078.

De diſciplina Clauſtralium c. 2. parte 5.

Serm. in Feſto S. Auguſt.

Epiſt. 2. ad Fulconem poſtea Lingonenſem Archidiac.

Epiſt. 3. ad quoſdam Canonicos Regulares.

Unum autem antequam ab his rationum momentis abeam, monere volo, Reformationem Hipponenſium ſcilicet Clericorum adeò eximię Perfectionis extitiſse, quòd eos Communem Vitam voviſse, omnes, & rectè, credant ac exiſtiment; juxta ea quę alibi & fuſius tradidimus, tàm Priſcorum, quàm Recentium auctoritate, pręeunte Apoſtolorum exemplo, qui ipſi etiam Vota Religionis nuncupaverunt, ut eodem loco ſatis ſolidè docuimus. Cernere Clericos Hipponenſes & Monachos, ex odore virtutum, revera idipſum erat. *Clericos* conſentit Thomaſſinus, ***addocuit virtutes imitari monaſticas***. Et fortè ob hanc Cauſam Petilianus, vel neſciens, vel potius neſcire fingens, inter Propoſitum, Profeſſionemque Monaſticam, & Monachorum Virtutes diſtinguere, Monachorum Inſtitutionem Auguſtino falſiſſimè attribuit, qui, ex Auctore Diſciplinę, *Clericalem Ordinem purum, impermiſtumque ſervavit, appictis ei tantùm quibuſdam Sanctimoniæ Monaſticæ luminibus, & ornamentis*.

Diſcorſo Storico-Critico.

Part. 1. pag. 666. col. 2. init. & pag. 626. n. 15.

Ibid. l. 3. c. 2. n. 10. & pag. 629. & 634. n. 1.

IV. Minimè verò hîc quemquam movere deberet, quòd ego velim, gratiâ veritatis, Petilianum miſerrimè hallucinatum paucis, at ſelectioribus oſtendere, qui ineptiſſimè Auguſtinum, ſin minus Monachum, Monachorum ſaltem Inſtitutorem egiſse, aſserere non dubitavit. Verè Petilianus ſi Monachi Planctum ac Solitudinem apud Hieronymum, Ambroſiumque, quos cana Antiquitas ſemper venerata ac ſequuta eſt, addidiciſset, & Auguſtinum intentiſſimum & occupatiſſimum in Eccleſiaſticis, Hierarchiciſque functionibus, & Sacramentorum ac Verbi Dei adminiſtratione ſemper & indefeſsè, conſpexiſset, innumeros lapſus hac in Re fortè effugiſſet, neque in tot figmenta incidiſset.

Auguſtin. lib. 3. cont. Petil. c. 40.

Hieron. cont. Vigilant. Fin. item epiſt. ad Heliodor. Ruſticum, Paulum. & epiſt. 284.

Ambroſ. epiſt. 25. lib. 3.

Abſit opinari Auguſtinum, jam Sacro Fonte renatum, Mediolano Romam redeuntem Monachos in itinere inſtituiſse; multo minus apud Oſtia Tiberina, ubi

Diſcorſo Storico.

Moni-

Monicę Matris Funeri adſtitit; ulloque modo, quando Romę expectans Africæ tranquillitatem, in ſcribendis Libris, toto animo, intentus, occupatuſque erat. Hujus enim tàm ſanctæ piæque Inſtitutionis, in Operibus Auguſtini aut Poſſidii, ubi veſtigium, ubinàm ſemita? Porro Auguſtino, verè Laico, in Africam reduci, adhærebant quidam Deo ſervientes, at ii conditione ac caractere ſimiliter Laici. *Erat Congregatio Laicorum*, novit eos Thomaſſinus, *piè & religiosè viventium*. Laici nuncupatione veniunt illi, ex Gloſsa, qui, *Ordinem Clericalem non habent*. Auguſtinum Hippo Clericum ordinavit, haud Tagaſtha; ubi cùm degeret, eum fuiſse Laicum Poſſidius pluries meminit; quinimmo Se Romæ commorantem ſæpius Laicum nominat ipſemet Auguſtinus. Quotieſcunque autem abſolutè & ſimpliciter, abſque ullo addito, Laicus quis nuncupatur, ut Laicus, ideſt, unus ex Populo, habendus eſt, vulgariter, ſecularis. Quando homo quidam Renatus nomine erat fortè Secularis, ab Auguſtino, in Libris de Anima & ejus Origine, ſcriptis ætatis ſuæ anno 65., Laicus abſque addito Monachi dicitur; & quidem in Editione Lovanienſi in his Libris, tantummodo apparet Laicus; quidquid addiderint Editores nuperrimi Operum Sancti Auguſtini. Verùm quia Renatus forſitan Monachum agebat eo tempore, hoc eſt, anno Auguſtini 72. vel 73., quo Libros Retractationum compoſuit, jure in hiſce Libris Monachus compellatus eſt. *Renatus Monachus*. Ex quo igitur Bonos illos Viros apud Tagaſtham Auguſtini Convictores nemo adhuc ſomniaverit Clericos fuiſſe, Laicos omnino, id eſt, Seculares, nemini dubium eſſe debet, indigitandos eſſe. Mirùm valde; imò vix credibile eſt, Auguſtinum adhuc Laicum erexiſſe Congregationem hominum pluſquam Laicorum, & de tàm præclarâ hac Fundatione nullum extare monumentum in ejus Operibus ac Poſſidii, nullamque mentionem fieri eorum Monaſticæ Profeſſionis, ſive Propoſiti, cum apud priſcos, tum apud recentiores ſeriò ſcribentes. Erat certè inter Laicos diſcrimen non leve, quale reperire eſt inter infimas plebeculas, & inter eminentes Laicos, in quorum numero, vel pietate, ſin minus Poteſtate, ſublimitate ac Primatu, Tagaſthenſes Auguſtini Socios computare, nobis viſum eſt. Pietate, inquam, conſpicui erant, Deique ſervitio dediti, quos, minimè abnuo, voluiſſe congregatos ſecum in eo Monaſterio, quòd adhuc Laicus Auguſtinus quærebat, quodque nonniſi Hippone fuit ei Presbytero conceſſum à Valerio. De cætero, Monachi quidem erant Servi Dei, imò peculiari ratione; non verò omnes Servi Dei Monachum agebant. Servum Dei Auguſtinus vocavit Comitem Bonifacium, Nebridium mortuum apud ſuos, Epiſcopos Carthaginenſes, innumeroſque alios, qui à Monachatu penitus alieni, proculque erant.

De dono perſev. c. 12. n. 30.
Poſſid. cap. 4. & 5. n. 1. Vita S. Aug. nov. edit. l. 3. c. 4. n. 1.
Part. 1. l. 3. c. 2. n. 8.
C. 1. Verbo perſolvant de verbor. ſignificat.
Epiſt. 126. n. 7.
Loc. cit.
De dono perſev. loc. cit.
In cap. duo 12. q. 1.
Cap. ult. & lib. 3. c. 3.
2. Retractat. c. 56.
Lib. de Cathechizandis rudib. c. 21.
Poſſid. c. 9. epiſt. 134. & alibi.
Poſſid. c. 3.
Serm. 355. n. 2.
Epiſt. 220. n. 3.
Epiſt. 126. n. 11.
Epiſt. 220. n. 4.
Confeſſ. l. 9. c. 31. n. 6.

V. Nunc ad Auguſtinum Presbyterum, compendioſiori verò methodo, progrediamur. De Auguſtini Presbyteri Sodalibus Thomaſſinus ſcribit, ſic: *Excuſſis ventilatiſque ſummâ qua potui diligentia Auguſtini, & Poſſidii ſcriptis omnibus*, Monaſterium illud Auguſtini Presbyteri *intra Eccleſiam non aliud fuiſſe ſuſpicor, quàm Cætum Laicorum, qui Communis Vitæ Societate, & temporalium omnium abdicatione vincirentur*. Dixerat etiam alibi, laudatus Vir; *Diſſimillimæ ſunt Clericorum, Monachorumque functiones*. Concilio demum Chalcedonenſi Monachos deſcribere placuit ſic: *Soli jejunio, & orationi vacare, nec Eccleſiaſticis, nec Secularibus negotiis ſe ingerere, vel communicare*. Auguſtinus Hippone Presbyter, id eſt, Parochus erat. Egebat ergo eorum ope, qui Eccleſiaſticis functionibus vacarent, & in Vinea Domini operarentur. Hæc erat Parochi neceſſitas, & Populi Civitatis utilitas. Eos ergo quos habuit Laicos Thagaſtenſes, admovit Eccleſiæ Hipponenſi, hoſque, jure credimus, diſciplinis Eccleſiaſticis erudiſſe, Cypriani exemplo; quoſque poterat abſque ſcientiâ Epiſcopi ad Lectoris & Pſalmiſtæ officium, qui Clericorum Albo adſcribebantur, ipſe Auguſtinus Parochus promovere. Poſſumus meritò eos vocare: *Clericos minoris officii* cum S. Leone, ſeu Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos. Moris tunc minime erat Eccleſiæ Profeſſione, ac Propoſito Monachos Urbes incolere, Evangelium coràm predicare, & Sacramenta Populis miniſtrare. Quid ergo contra Petiliani fictilia ſophiſmata de contubernalibus Auguſtini Presbyteri cogitandum ſit, conferat ſecum prudens Lector; & ſi lubet, ea, quæ alibi copioſius obſervavimus, conſulat, adeatque.

Serm. 357.
Part. 1. l. 3. c. 3. n. 8.
Ibid. c. 2. n. 9.
Can. 4.
Lib. 3. Epiſt. 22. nunc 24.
Edit. Pamel.
Tolet. Concil. 2. Can. 1.
Concil. Carthag. 4. ann. 398.
Cabaſſuc. p. 169.
Concil. Carthag. 3. Can. 21.
S. Leo in Epiſt. 12. ad Anaſtaſium Theſſalon. c. 4. & Epiſt. 10. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ.
Diſcorſo Storico.

VI. Profectò quòd demum hoc loco adverti velim, eſt; Auguſtinum Epiſcopum fateri ſe voluiſſe in Epiſcopii ſui Domo *Monaſterium Clericorum*, adſtipulante idipſum Poſſidio, his verbis: *Cum ipſo ſemper Clerici*. Quæ Thomaſſinus candidè perpendens, in hæc prorupit: *Quo expreſſius nihil deſiderari potuit, ut intelligeretur*

Serm. 355.
Cap. 23.

Con-

Part. 1. l. 3. c. 2. n. 10. Ibid. pag. 629. & 634. n. 1. Apud P. Hommeii in ſuplem. Patrum Edit. Pariſien.

Breviar. dictum extat apud Reverendiſſimum P. Abb. Clapinium Viſitat. Generalem Cong. Lateranen. à me lectum die 16. Martii 1732.

Epiſt. 216. prop. fin.

Epiſt. 214.

Epiſt. 216.

Poſſid. c. 22.

Serm. 355.

Epiſt. 216.

Congregatio Clericorum, cum Auguſtino; & ſub Auguſtino degens. Hîc addo, Beatum Jordanum de Saxonia Eremitam Auguſtinianum in Prologo Vitæ S. Auguſtini, nuncupaſſe Sanctum Poſſidium Calamenſem Epiſcopum: *Sancti Patris Auguſtini Diſcipulum, & in ſuo Monaſterio olim Canonicum.* Floruit B. Jordanus circa annum 1370. Hic etiam in Germania Vicarii Generalis totius Ordinis Eremitarum functus eſt munere, Clericos certè fuiſſe haud Monachos neque Eremitas, oſtendit ulterius Breviarium quoddam, cui Titulus, Breviarium Romanum de Camera editum anno 1494., ubi legitur in hymno Sancti Patris Auguſtini, incipiente, *Magne Pater: Tu de Vita Clericorum Sanctam ſcribis Regulam*, patet hoc luculenter in binis ſermonibus de Moribus & Vita Clericorum ſuorum. Hos Hipponenſis Epiſcopii Convictores: *Dominos Clericos*, Abbas Valentinus Monachus ex Adrumeto appellavit; cujus Monaſterio conſulere volens Auguſtinus, ob diſſidia, quæ circa gratiam, inque rebus Fidei vergebantur, nonnullas Regulas petitus dedit. Quàm malè ex his accipimus, Auguſtinum Monachorum Adrumetinorum Inſtitutorem fuiſſe, quando Auguſtinus ipſe Creſconium & Felicem Valentini Abbatis Monachos non noverat, niſi quia ipſi ſeſe jactavere de Valentini eſſe Congregatione. Deploranda inſipientia, eos opinari ideo Monachos extitiſſe, quia erudiri meruerant ab Auguſtino, à quo omnis ſexus homines, tanquam ab uberrimo doctrinæ & ſanctitatis fonte, cum conſilia, tum morum regulas hauriebant. Nec huic quicquam favet ſententiæ, quòd Evodius Auguſtini diſcipulus, Uzalenſis Epiſcopus hoſpitio Monachos Valentinianos excipere conſueviſſet; Auguſtini certè exemplo, qui Hoſpitalitatem Clericis, Laicisque ſemper exhibuit; quinimmo inhumanum dicebat eum eſſe Epiſcopum, qui humanitatem hanc minimè coleret. Et hæc vera eſt Cauſa, cur Evodium Valentinus cum Monachis conſuluit, circa Gratiam & Liberum Arbitrium, quia Evodius, uti diſcipulus Auguſtini, horum Librorum auctoris, præſumebatur facilius ejus mentem intellexiſſe & Scripta, ac proinde quòd ea ruſticis illis ac ignaris expreſſius aperuiſſet, quàm omnis alius extra Auguſtinum Epiſcopus. Placuit demum Valentino ejuſque Monachis Auguſtinum appellare Patrem; erant ergo ejus Filii, quemadmodum Marcellinus, Bonifacius, Laicique innumeri, à quibus viciſſim Pater nuncupabatur Sanctus Doctor. Utque brevitati ſtudeam, Evodium audiamus Auguſtino referentem mortem cujuſdam Pueri prenuntiatam ab ejus Condiſcipulo, qui Lectores erant ambo Monaſterii Evodii. Hinc rectè intelligitur Evodii Monaſterium Clericorum fuiſſe, non Monachorum. Obiter hîc noto, Puerum illum quidem ęgrotaſſe aliquot diebus apud Parentes ſuos. Quid inde? Potius habendus eſt Monachus, quàm; ex hoc capite Clericus? Fortè erat tunc laxior, ſolitudini ac planctui addictorum regula, quàm Clericorum, qui nequiviſſent urgente cauſa brevi commorari apud ſuos? Nil ſeriò addimus de Pueri Patre Presbytero, poſt mortem Filii, in Monaſterio recepto; quia ſub poteſtate Theaſii Epiſcopi erat, utpote Dięceſis Membloſitanę prope Uzolam; idcirco, pro Monachatu Monaſterii Evodii, nihil ad rem dici poteſt, Armeni Presbyteri, defuncti Pueri Patris, teſtimonio.

Epiſt. 153. inter Auguſtinianas.

V. M. du Bois tom. 4. pag. 352. dans le note ſur cette lettre.

VII. Prolixum foret, pluribus hanc demonſtrare veritatem; ex profeſſo fecimus id jam & abundè. Ut verò rectius id aſſequamur, ſcire licet ultimò, Auguſtini Epiſcopatus initio Carthagine ſub Aurelio Monachos degere cępiſſe, quos inter deploranda orta fuere diſſidia. His ſedandis, Aurelii juſſu, manum Auguſtinus poſuit Libro de Opere Monachorum *Juſſit*, ait Auguſtinus, *& feci*. Quia impulſu Aurelii & cogente neceſſitate, nequaquam ex officio, volumen edidit Auguſtinus ad ſollicitandum Monachorum Opus. Ubinam ex hoc ſolida ratio apparet, ut à Petiliano Monachorum auctor Auguſtinus appellatus ſit. Nihil etiam eſt cauſę cur Monaſtici propoſiti Inſtitutor aſſeratur, quoniam cordi erat Auguſtino, hujus vitæ genus tàm Bonum, tùm ſanctum propagatum iri per Africam omnem; quis enim Epiſcoporum non cuperet Sanctos Viros populis exemplo ſanctitatis perutiles, ubique terrarum pullulare ac dilatari? Hęc cùm ita ſint, imponat ori ſuo manum Petilianus, qui quemadmodum ore maledico in vituperationem Monachorum, Auguſtino teſte, perrexit; ut & mendaciter Auguſtinum Monachorum Patrem effecit. *Arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum.* Liceat ergo & verius Auguſtinum Clericorum Reformatorem audire, Congregationemque purè pureque Clericalem, impermixtamque ſervaſſe in domo Epiſcopii Hipponenſis, ubi, ſicuti Clericum agebat Carthagine Aurelius, ita Clericum agebat Hippone Auguſtinus; itaque fatetur de Aurelio, deque ſe Auguſtinus, eidem ſcribens:

Cap. 1.

Lib. 3. con. r. Petil. c. 40. n. 48.

In quorum numero, ideſt Clericorum, *ſumus*. Advertendum hîc occurrit in Epiſco- *Epiſt.60. n. 1.*
pio Auguſtini Clericos fuiſſe in minoribus Ordinibus ac majoribus, ſive Sacris con- *Epiſt.78. n.2.*
ſtitutos. Convictor quidam Auguſtini Epiſcopi nomine Spes petiit ut Auguſtinus
ei: *Manus Ordinationis imponeret*. Hæc verba innuunt Sacram Ordinationem. Erat
ergo Spes in Epiſcopio cum Auguſtino Clericus minoris officii, ſeu in minoribus
Ordinibus Conſtitutus. Apud Thomaſſinum legimus ex Chryſoſtomo in Actis *Part.1. l.1. c.51.*
Apoſtolicis Diaconis ordinandis Apoſtolos cum oratione manus impoſuiſſe: *Ordi- n.11. fin.*
nati ſunt per preces, hoc enim eſt manuum impoſitio. Manus ab homine imponitur, totum
autem Deus operatur. Poſt hæc verba auctor Diſciplinæ ſic loquitur: *An Clarioribus,*
an aliis unquam verbis ſignificata Sacra Ordinatio eſt? Qua ratione, num Canonicos
Regulares ab Apoſtolis exortos, in perſona Clericorum ſuorum, ad Eccleſię recens
natæ Clericorum normam Reformatorum, reſtauraverit Auguſtinus, id candido
Lectori excutiendum relinquimus. Conatus autem noſter in id potiſſimùm tandem
ſe ferat, ut Diſſertationis hujus ſcopus, Inſtitutumque adducatur, id eſt, ut Cano-
nicorum Regularium ad Beneficia Secularia Capacitas ritè expendatur, atque ſimul
Scribentium variæ Opiniones concilientur.

§. II.

Clerici Hypponenſes à S. Auguſtino inſtituti Hierarchica munia obeunt, Populorum Regimini deſtinantur.

I. POſtquàm certis rationibus comprobatum eſt S. Auguſtinum Canonici
Ordinis Reformatorem fuiſſe eximium; poſtquàm veritas hæc confirma-
ta quoque eſt, oſtendendo Monachos nullos à S. Doctore inſtitutos; il-
lud ſupereſt examinandum quænam fuerit vocatio eorundem Auguſtini Epiſcopi
Clericorum.

Ac primò quidem Auguſtinum Epiſcopum eos Dei Servos, quos ſive jam Cle-
ricos, ſive Clero proximos in Monaſterio, quod conſtruxerat adhuc Presbyter,
erudiebat, ut Clericalia munia poſtmodum exercerent, ad Sacram Ordinationem
promoviſſe, teſtatur Poſſidius his verbis: *In Monaſterio Deo ſervientes Eccleſiæ Hyp- Cap. 11.*
ponenſi Clerici Ordinari cæperunt; Ut autem conditionis, ad quam evehebantur di-
gnitatem intelligerent, muneris ſui eos S. Pater admonuit: *Clericus duas res pro- Serm. 355. n.6.*
feſſus eſt, & Sanctitatem, & Clericatum: interius Sanctitatem: nam Clericatum propter
Populum ſuum Deus impoſuit cervicibus ipſius, cui magis onus eſt, quàm bonos; pro uno-
quoque ſatagere magnum onus; alibi Auguſtinus aſſeruit, *magnum pondus, magnus do- Epiſt.21. n.1.*
lor... perículoſiſſimum miniſterium. Plebi item Hypponenſi edixit tum Se, tum Cle-
ricos ſuos medio in Populo gregis commiſſi incremento ſtudere, ac fidelium ſalu-
tem operari: *Vobiſcum hîc vivimus, & propter vos vivimus*: ſupra quæ verba Tho- *Serm. 355. n.6.*
maſſinus: *id verò*, inquit, *inſigne decus eſt, ea gloria Clericorum, ut cum fidelibus ver- Par. 1. l.3. c.3.*
ſentur, & ſe totos eis impendant; ita profectò res eſt; dum Auguſtinus conterritus *n.2.*
mole Peccatorum ſuorum fugam in Solitudinem meditabatur, ut ibi Animę ſuæ
ſordes lachrymis abſtergeret, prohibitus eſt; & confirmatus à Domino, his eum
verbis zelo proximorum ſalutis accendit: *ideo pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, ut Conf. l.10. c. ul-*
qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt: illi ergo Se ſuaque ſtu- *timo.*
dia debebat tantus Vir, qui Se pro noſtra Salute lubens obtulerat Deo Patri Sacrifi-
cium: *ad id vocabatur, ut ſordes everreret Peccatorum in ſubeundis Clericalis vitæ labo-*
ribus, propriamque procuraret ſalutem in ſalute proximi promovenda, ut commentatur,
Thomaſſinus.

II. Et ſanè Auguſtinus dum Presbyter eſſet, quid non egit? Valerius certè Or-
dinator ejus exultabat uberius hominem ſibi talem datum divinitus: *qui poſſet Ver- Poſſid. c.5.*
bo Dei, & Doctrina ſalubri Eccleſiam Domini ædificare; ipſi propterea impoſuit onus il-
lud periculoſum Prædicationis Evangelicæ: *tractandi verba veritatis propter vos*; *Epiſt. 29. n.2.*
conciones eum habere permiſit, ac juſſit *coram ſe: coram Epiſcopis*, qui ad Conci- *Poſſid. loco cit. re-*
lium Hypponenſe convenerant. Auguſtinus interim, ne irritam faceret Vocatio- *tract. l.1. c.17.*
nem ſuam totus erat *in rebus Eccleſiaſticis.... curâ Eccleſiaſticâ*; munus ipſius erat *Epiſt.21. n.4.*
Populo miniſtrare Sacramentum, & Verbum Dei; confeſſus à Deo Se ad hunc finem à *Epiſt.22. n.2.*
Solitudine avocatum ad Urbium frequentiam: *me ſic miniſtrare voluiſti*; collocatus *Epiſt.21. n.3.*
propterea fuit non ſub modio, ſed, ut dixit Paulinus: *Lucerna digna ſupra Candela- Ibidem.*
brum Eccleſiæ poſita eſt, ut eam regeret velut Nauclerus, dicente ipſo, ut *ſecundus Epiſt.25. n.1.*

locus

locus gubernaculorum mihi traderetur; utpote Divinorum Sacramentorum miniſtro:
Epiſt. 26. num. 33. 27. *Fontibus infantum præfecit*; & Verbi Dei Prædicatori; *& abdita juſſit ubertate animi & longè ructare fluenta*. En igitur quænam erant munera Auguſtini Presbyteri, quænam ejus ſtudia! *Et docebat, ac prædicabat ille privatim, & publicè in Domo, & in Eccleſia*
Poſſid. c. 7. *ſalutis verbum*. Id ab eo exigebat character; quo inſignitus erat; hæc erat ejus Vocatio; tranſiit porrò tàm pium, tàm ſanctum lucrandarum Deo Animarum deſiderium in Clericos Monaſterii ſui Epiſcopalis, à quo, tanquàm uberrimo agro: *prognati ſunt illi vel Epiſcopi, vel Cleri proceres*, quos, inquit Thomaſſinus: *in omnes Africæ Eccleſias diſſeminavit*. Audiatur Poſſidius Auguſtini diſcipulus ne dum, ſed etiam ejus geſtorum fidiſſimus Scriptor; & meridianâ luce clarius conſtabit Hypponenſes Clericos conſueviſſe: *magno deſiderio* ab Africanis Eccleſiis poſci, ut Po-
Poſſid. c. 11. pulorum regimini præficerentur; & ab Hipponenſi Præſule, qui ſe Providum Patrem gerebat juxta Eccleſiarum neceſſitates, fideliſque populi indigentias: *Epiſcopos & Clericos* conceſſos eſſe; qui Africanas Eccleſias divino melle reſpersêre. Alipium Thagaſta popoſcit, & Auguſtinus, *rogatus dedit*; Uzala Evodium, & Auguſtinus *rogatus dedit*; alioſque plures magnus ille Clericalis vitæ Magiſter *rogatus dedit*: *nam ferme decem*, ſunt Poſſidii verba; *quos ipſe novi Sanctos, ac venerabiles viros continentes & doctiſſimos B. Auguſtinus diverſis Eccleſiis, nonnullis quoque eminentioribus rogatus dedit*. Demum, nonne idem Poſſidius teſtatur quàm ſedulus fuerit Auguſtinus in viſitandis Catholicorum Eccleſiis; narrans etenim Circumcelliones perditos homines vias etiam armatos, contra famulum Dei, obſediſſe, id conti-
C. 12. giſſe, ait, *dum fortè iret rogatus ad viſitandas, & inſtruendas, & exhortandas catholicas plebes quòd ipſe frequentiſſimè faciebat*; at cùm S. Præſul Dei quidem Providentiâ, ſed ductoris hominis errore manus impias evaſiſſet, illi poſtmodum nec comitatui ejus, nec Clericis pepercerunt; non ſecus: *cùm fortè unus ex iis* (forſan Poſſidius ipſe) *quos de ſuo Monaſterio & Clero Epiſcopos Eccleſiæ propagaverat, ad ſuam curam pertinentem Calamenſis Eccleſiæ Diœceſim viſitaret*, cùm in eorum inſidias incidiſſet, in-
C. 18. juriis, & cede graviſſimâ affectus eſt. Enarrat etiam idem Auguſtini Encomiaſtes fructum, ac progreſſum Catholicæ fidei ope tanti viri Hyppone primùm: *cui maximè præſidebat*; poſtea etiam: *in aliis Africæ partibus, ſive per ſe ipſum, ſive per alios, quos ipſe dederat Sacerdotes*. Porrò Epiſcopi iſti in Africa ſparſi juxta indolem eorum Magiſtri, cujus hæredes fuerant, propagarunt & ipſi genus illud Clericalis vitæ, quòd in Scholâ Epiſcopii Hypponenſis didicerant; ad cujus imitationem Monaſteria Clericorum fundarunt, Sacerdotes & Parochos in Eccleſiis Africæ populorum
C. 11. utilitati deſervientes conſtituerunt: *ſimiliterque & ipſi*, enarrat Poſſidius: *ex illorum Sanctorum propoſito venientes Domini Eccleſiis propagatis, & Monaſteria inſtituerunt, & ſtudio creſcente ædificationis Verbi Dei, cæteris Eccleſiis promotos fratres ad ſuſcipiendum Sacerdotium præſtiterunt*. Nobis certò conſtat plures in Africâ Paræcias extitiſſe ſub Alypii Thagaſtenſis Epiſcopi juriſdictione; id ſatis indicat Paulinus No-
Epiſt. 24. n. 6. inter Auguſtin. lanus in fine Epiſtolæ ad ipſum directæ, ſic loquens: *Benedictos Sanctitatis tuæ Comites, æmulatores in Domino Fratres, ſi dignantur noſtros, tàm in Eccleſiis, quàm in Monaſteriis, Carthagini, Thagaſtæ Hyppone regio, & totius Parochiis tuis; multo affectu,*
Epiſt. 83. ad Alyp. inter Aug. *& obſequio ſalutari rogamus*; & profectò Thiavenſi Eccleſiæ præerat, uti Parochus, Honoratus Thagaſtenſis Monaſterii ſub Alypio Alumnus; qua in re libet obſervare, quòd etiamſi Poſſidius dum meminit Congregationum, quas Epiſcopi ab Auguſtino in Eccleſiis Africanis conſtituti inſtituebant, Monaſteria eas nuncupet: *Monachi Monaſteria inſtituerunt*; non tamen eorum Monaſteriorum Convictores: *Monachi*
Poſſid. c. 11. Par. 1. l. 3. c. 2. n. 9. *ab eo dicuntur nunquam*: ut notat Auctor Diſciplinæ Eccleſiaſticæ: *quin Clerici ſemper vocantur, nec deſcribuntur niſi ut Clerici*; neque Monachi ullatenus erant ii, quoniam, ut advertit laudatus Vir, Monachi ad Sacros Ordines promoti non ideò
P. 1. pag. 622. n. 10. Monachorum nomen amittebant: *ne ſanctiſſimæ Profeſſionis fraudarentur gloriâ*.

III. Clericos igitur, quibuſcum in Epiſcopali Monaſterio Auguſtinus vivebat conſueviſſe in Epiſcopos ordinari, extra omnem controverſiam eſſe debet, quin etiam eoſdem præcipuas dignitates in Eccleſiis Africanis obtinuiſſe certum eſt: *Complures*, namquè Beatiſſimus Præſul, *& aliis donavit Eccleſiis, ut primariis ibi Dignitatibus, & ipſo ornarentur Epiſcopatu*; *nedum ipſe*, inquit Poſſidius, *tanquàm ſpe-*
Ibidem num. 9. C. 19. *culator à Domino conſtitutus Domui Iſrael prædicans verbum, atque inſtans opportunè, importunè, arguens, hortans, increpans in omni longanimitate, & doctrinâ*, quod ſui erant muneris ritè adimplebat; ſed etiam *præcipuèque operam dans inſtruere eos, qui eſſent idonei, & alios docere*; Convictores ſuos Clericos ad ſalutem Animarum

pro-

procurandam verbo, & exemplo excitabat; nec eſt locus ambigendi, *ex Seminario ſuo Epiſcopos illum atque adeo & alios majores Clericos acceſere ſolitum fuiſſe*; imo ſi Presbyteratus, & Diaconatus: *Beneficia erant, non tantum Ordines*, evidens eſt Sacerdotes ab ipſo ordinatos Parochias, & Canonicatus obtinuiſſe, ad cujus exemplum Africani Epiſcopi: *quos manu ſua effinxerat, perpoliveratque*, Eccleſiis tum ſuis, tum alienis proſpicientes Clericos ad Sacerdotium promovebant: *& cæteris Eccleſiis promotos fratres ad ſuſcipiendum Sacerdotium præſtiterunt*: *Presbyteratus, & Diaconatus peræque ac Epiſcopatus, Beneficia erant, non tantum Ordines*: *& id genus erant Beneficia, quibus incumberet ſalutis Animarum Cura pro ſuo certo modo*, affirmat ſupralaudatus Thomaſſinus. Veritatem hanc inficiari, aut diſſimulare nullatenus poteſt cordatus Vir, Doctuſque; potiſſimùm ubi de Auguſtino Sermo eſt, cui Regularitas ferme Monaſtica ſuorum Clericorum neutiquam obſtitit, quin Parœcias illis, aliaque Eccleſiaſtica Beneficia conferret; quin immò cum ea Regularitas Clericos plurimùm deceret, eo libentius ipſe Animarum ſaluti proſpiciens earum regimen illis committebat, qui nihil Proprium habebant, quorum pars Dominus erat: *Negare ſaltem nemo jure poteſt*, ſcitè Thomaſſinus, *quin ubi Auguſtinus Epiſcopus ſui ex Seminarii Clericis majoribus Parochos deligebat, ii ſin minus Monaſticis, certè Regularibus inſtitutis eſſent informati*: *& pro Monachis ferè haberi poſſent, qui Patrimonio, & quacumque terrenâ poſſeſſione ſe ſe abdicaverant*. Nota ly *pro Monachis ferè*; Non, ait, Monachi verè.

Thomaſſin. p. 1. pag. 626. n. 16.

Ibidem pag. 636. n. 8. §. præcipua.

Poſſid. c. 11.

Thomaſſin. loc. cit.

Par. 1. l. 2. c. 25. n. 8. pag. 303.

§. III.

Canonici Regulares Succeſſores Clericorum Divi Auguſtini, in eandem indolem vocati ſunt Eccleſiis miniſtrandi, & Animas regendi.

I. SI à Clericis Sancti Auguſtini per Propagationem, & Inſtitutum rectâ dimanat Ordo Canonicorum Regularium, nullus, jam meo judicio, relinquitur ambigendi, locus, utrum Canonicis Regularibus, eadem competant jura, quæ eorum Prædeceſſoribus annexa fuerunt, & an, cum Clericatus honore, contrahant etiam pondus illud: *magis onus, quàm honos*, functionum Hierarchicarum in Populorum utilitatem, juxta auream illam Patris noſtri ſententiam: *Clericatus propter Populum*, cum utrique eundem venerentur, & habeant communem Patrem, & Reſtauratorem Auguſtinum, quem Deus lucernam lucentem in Epiſcopali throno Hypponenſi conſtituit, ut Populo illi præeſſet, totique Africæ prodeſſet per Se ipſum, ac per ſuos Convictores, quos ipſe jam in hæc ſtudia excitaverat, eodemque inſtinctu imbuerat, ut non jam ſibi viverent, ſed Deo in procurandâ Animarum ſalute; eos ita inſtructos S. Præſul Plebi Hypponenſi expoſuit: *Vobiſcum hìc vivimus, & propter vos vivimus*; Clericis ipſis edixit, Clericatum, ſi æquâ lance penſetur, plus oneris afferre, quam honoris, utpote quem Deus eorum cervicibus impoſuerat, ut non aliud ambirent, quàm Oves paſcere, eaſque in vitam æternam dirigere: *Clericus duas res profeſſus eſt, & Sanctitatem & Clericatum*: *interius Sanctitatem, nam Clericatum propter Populum ſuum Deus impoſuit cervicibus ipſius, cui magis onus eſt, quàm honor*.

Serm. 355.

Ibidem.

Clericatus igitur iſte, ille idem eſt, qui omnino cum ſuo onere in Canonicos Regulares tranſiit: *res cum onere ſuo tranſit*. Hypponenſes Clerici ii ſunt, quibus noſtrates ſuccedunt in Vocatione & indole, & à magno Auguſtino ſe regeneratos eſſe glorianttur, *qui ab Apoſtolis Originem traxerunt, quique ab eodem Sancto Auguſtino eorum reformatore iterum per reformationis viam mundo geniti*, ut alibi obſervavimus referentes oraculum Sancti Pii V. Juxta juriſprudentiæ regulas, naturalis deſcendentia adſtruit in filiis legitimum Jus, ut ſint hæredes neceſſarii, quod Jus in ipſa natura fundatur, cujus inſtinctus, utpote commune votum naturæ, *vult potius deſcendere, quam aſcendere*; ſicque in filios transfunditur nedum eſſe ipſum, verùm etiam quidquid ſpectabile peculiariter enituit in ſanguine genitorum: *non enim Patris conditionem in ſervitute ſequitur* filius, *ſed in curiali conditione, & in honoribus*.

3. Decretal. de decimis C. cum non ſit 33.

Bullar. Later. pag. 299.

Authent. coll. oct. de hære. ab inteſt. tit. 1. c. 1. ſi quis gloſſa.

Ad l. 7. de his qui à non Dominis tit. 15. c. 3.

II. Hanc porrò Succeſſionem, in ſpirituali etiam progenie obtineri poſſe affirmare audeo, adeout poſteritas ipſa ſpiritualis hæredes conſtituat Nepotes, & Filios eorum bonorum ſpiritualium, quibus inclaruere progenitores, ut cum æquâ naturæ, & gratiæ œconomiâ loquamur. Si ita Res eſt; quoniam Clerici Auguſtiniani ab Apoſtolicis Clericis jure ſuam Originem trahunt, eorum etenim vitam renova-

novarunt, Auguſtiniani Clerici hæreditarium habent Clericatum Apoſtolicum, nedum quoad honorem, ſed etiam quoad onus Populos regendi, adeo quòd ſi Primis Eccleſiæ Sæculis idem prorſus erat Presbyterum ordinare, ac Parochum creare, *ſit Presbyter ergo Parochus . . . Parochi enim* (ut affirmat Gonzalez) *in veteribus Eccleſiæ Canonibus ſimpliciter Presbyteri dicebantur*; ita etiam in Epiſcopio Hypponenſi quoties ad Clericatum ex iis Convictoribus quiſquam promovebatur, unâ ſimul conſtituebatur Altaris Miniſter, Populorum, pro ut opus erat, inſtructor ac Sacramentorum adminiſtrator: *Clericatus propter populum . . . vobiſcum hic vivimus, & propter vos vivimus: ſit Presbyter, ergo Parochus*; quod certè ſaltem in Auguſtino controverti minimè debet, de quo Thomaſsinus aſſeruit. *Auguſtinus ex Poſſidio antè Presbyter Hypponenſis, ideſt Parochus, quàm Epiſcopus fuit*; non ſecus in Canonicis Regularibus continget, *qui ab Apoſtolis* exordium habuerunt, & ab Hypponenſi Antiſtite *iterum per reformationis viam mundo geniti ſunt*; ab his duobus fontibus Originem ſuam trahentes Jus ad Clericatus onus ac honores habenti; iis, ut ſcitè ait S. Thomas, *competit Per Se, ut ſint Clerici Religioſi*, quorum Congregationem Summi Pontifices dixere *divinam in terris familiam . . . ad exemplum naſcentis Eccleſiæ . . . qui primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum normam ſectantur*; his porrò Pontificibus concinit omnis Eccleſiaſtica Antiquitas, & inter alios Clericatum oneri, honorique conjunctum, eſſentialem eſſe Canonico Regulari teſtatus eſt Petrus Bleſenſis, verius Petrus Comeſtor, qui circa duodecimum Sæculum ſcripſit; is in quodam Sermone de dedicatione Eccleſiæ cujuſdam Ordinis Canonici, poſtquam Myſticè expoſuit unctiones, quæ fiunt in Conſecratione Eccleſiæ, ſic alloquitur Canonicos Regulares: *duodenariam unctionem veſtram poſſumus intelligere imitationem Apoſtolicam; quam propoſuiſtis vobis; alii enim Cænobitæ, quos Monachos vocamus, ne alter alterius onere premeretur, ſingularem quiſque ſui cuſtodiam elegerunt, inde eſt, quòd nec baptizare, nec aliis prædicare, nec pænitentias injungere eis licet; vos autem imitatores Apoſtolorum multitudinis, quorum eſt Cor unum, & Anima una, vobis, & aliis providere poteſtis, & debetis; hæc ſunt elementa Religionis veſtræ, quibus initialem Canonicum imbui oportet*; quid expreſſius? Clerici igitur ſunt Regulares Canonici eâdem prorſus indole præditi, eadem inquam Vocatione, ut Clericatus munia obeant, qui ſemper unus erit, ſcaturiginem ſuam habens à Sacerdotio Jeſu Chriſti in Sanctos Apoſtolos primùm, tum mediis ipſis in Epiſcopos, ac Eccleſiam omnem transfuſus: *ab hac ſcatebrâ manarunt deinceps rivulorum inſtar dignitates, & ordines omnes Epiſcopali apice inferiores*; hinc eo ipſo, quod Canonicum quis profitetur, Clericus conſtituitur: *dignitatis Clericalis . . . ſtatim quòd Profeſſionem emittunt inſignitos eſſe oportet*; illud propterea evincitur, quòd ſi in Primitivâ Eccleſiâ poteſtas conficiendi Corpus Chriſti phyſicum adſtruebat etiam in Sacerdote poteſtatem ſupra Corpus Chriſti myſticum: *in Primitivâ Eccleſiâ omnes Sacerdotes erant Presbyteri Eccleſiarum*. Deinde cùm certum etiam ſit in *obſcurioribus locis* Animarum regendarum Curam: *Presbyterorum regimini* fuiſſe commiſſam, iis nimirum temporibus, quibus Paræcias *in Urbe nullas aut nonniſi pauciſſimas* numerare erat, Epiſcopis ſibi eligentibus gubernationem omnimodam Eccleſiarum in Urbibus, juxta præceptum Pauli ad Titum: *Conſtitue per Civitates Presbyteros, & cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros*, ut legitur in actibus Apoſtolorum; ſi, inquam, verum eſt iis Presbyteris Animarum regimen concreditum eſſe, cum hodierni Canonici Regulares verè ſint ex iis Clericis, qui in naſcentis Eccleſiæ primordiis, & in Hypponenſi Epiſcopio, ſub S. Auguſtino floruerunt, & iidem prorſus declarentur peculiaribus Diplomatibus Summorum Pontificum, & Scriptorum nube immensâ; ecquid jam incapaces reputantur abſque ſpeciali indulto, ac diſpenſatione ad Hierarchica munia obeunda Animaſque regendâs, aliaque id genus, quæ Clericatui veluti intrinſeca ab eo ſeparari non poſſunt? *Clericatus propter Populum*. Cùm cordatus nemo inficietur Ordini Canonicorum Regularium competere ut directè Per Se ſint eſſentialiter Clerici, non video cur debeant arceri ab Animarum regimine. Si iidem tenentur etiam orare pro populo, adeout Canonici deſinant eſſe niſi orent; *ſentio etiam* ſcripſit Caramuel, *Regulares Canonicos teneri orare pro populo, non ſecus ac Cathedrales: ubi exiſtimo idem eſſe, poſſe aliquam communitatem offerre orationes pro ſe, nec teneri orare pro populo, quam illam eſſe Monachalem, & non Canonicam; unde, ſi qui Canonici Regulares dicuntur, & tamen hanc characteriſticam obligationem non cognoſcunt, ſub Canonicorum nomine veri Monachi ſunt*. Si hæc ita ſunt, quî fieri poterit, ut iidem Canonici teneantur orare pro populo non ſecus ac Cathedrales, &

Paræ-

Bordon. tom. 4. p. 638. col. 2.
Lib. Decretal. de ParochiisC. in Dominicis 2. n. 3. V. can. 37. Apoſtol. Con. Carthagin. 4. ann. 398. c. 36. Epaunenſe ann. 517. c. 7.
Par. 1. lib. 2. c. 23. num. 1.
2. 2. q. 188. ar. 6.
Bullar. Late. pag. 164.
Apud Deſnos pag. 339. Serm. 36. in BB. PP. recenſionis Jo. Buſæi.
Thomaſſin. p. 1. l. 1. c. 1. n. 9.
Pius IV. Bullar. Later. pag. 277.
Bordon. ibidem n. 3.
Thomaſſin. p. 1. l. 1. c. 1. n. 9.
Cap. 1.
Act. 14. 22.
Lib. de præceden. Ciſtercien. art. 25.

Parœcias adminiſtrare populumque regere, non debeant uti Cathedrales? Mirum videri jure cuipiam poſſet, quòd Filii nominentur & ſint Magni Patris Reformatoris eorum Auguſtini Hypponenſis Epiſcopi, & ab Hypponenſibus Clericis, ad Eccleſias per omnem Africam ſparſas gubernandas, miſſis, Canonici Regulares ſecernantur in Onere Clericatus, quando utriſque Ordinis Clericalis hæreditas communis eſt, quæque cum Oneribus ac Honoribus ad filios tranſire ſolet, quorum Una Vocatio eſt, unaque indoles.

III. Quæ omnia ſi rectè percipiantur, poterunt ſuaviter demulcere cordatorum animos, veritatiſque amatores, ne nonnullorum præjudiciis excantari ſe ſinant. Uti jam ſparſim diſſeminavimus, Votorum Solemnitas, ac Regularis Diſciplinæ profeſſio neminem movere deberet adverſus Canonicorum Regularium Clericalem ſtatum, quoniam Clericatus inſigne ornamentum, decuſque eſt, eritque ſemper, amor, ſtudiumque perfectionis; quemadmodum ad Beneficia Capacitati, permaximi exiſtimatur adjumenti, morum probitas, Vitaque cupiditatibus, Concupiſcentiiſve mortua; *Nemo rectius præponitur vitæ alienæ, quàm qui prius cuſtos eſt factus vitæ ſuæ.*

Ivo ad Joan. Aurelianen. epiſt. 213.

Nemo neſcit Statum Religionis Tribus Votis fulciri, firmarique; Apoſtolos Tria hæc nuncupaſſe, nec non Primos eos fuiſſe Eccleſiæ Beneficiarios, Animarumque Curæ præ aliis ſollicitiores, minimè ad hoc reſiſtente eorum Regulari Votorum emiſſione. Congregationemque itidem Clericalem Epiſcopii Hypponenſis Votis fuiſſe obſtrictam, una omnium, & concors, Vox eſt, perlectis duabus illis Concionibus Auguſtini de moribus Clericorum ſuorum; atque ſic quidem eos ſimul cum Apoſtolis veros Religioſos extitiſſe. Quæ ſanè Res ſatis indicat, Regulares in eis mores, minimè obfuiſſe Capacitati ad Populorum regimen ſubeundum, quum, eâ ſtante Regularitatis ſpecie, Hypponenſes Clericos quamplurimis donatos fuiſſe Africæ Eccleſiis ſupra tetigerimus.

Biblioth. Præmonſtr. pag. 66. Natal. Alex. ſec. 5. art. 3. de Clericor. Congregat. Thomaſſin. part. 1. l. 1. c. 40. n. 6. Poſſid. cap. 11.

IV. Nos ita exiſtimamus Canonicorum Regularium Vota, Vitamque Communem, reipſa nihil differre ab eâ, quam profeſſi fuere, Apoſtoli ac Clerici Hypponenſes, Votivâ Vitâ Communi. Hujus certè ratio eſſe poſſet, quòd cum in Apoſtolis, tum in Clericis Hypponenſibus ſaltem Vota ſimplicia autumare, ne dum non aberrabit à vero, imò maximæ modeſtiæ eſſet. *Simplex*, autem, *Votum*, ex Celeſtino III. *apud Dominum non minus obligat quàm Solemne*. Quumque inſuper Votorum Solemnitas, à Roderico, & rectè, judicetur Religioni eſſentialem nequaquam eſſe: *Cùm olim apud priſcos Religioſos non eſſet in uſu; quippe quos ſancta ſimplicitas & verecundia ſatis retineret*; nova certè videri omnibus debet, & ad vitandas fraudes ab Innocentio II. indicta; niſi fortè malis Solemnitatis hujus præcipuum effectum, id eſſe, impedimentum ſcilicet dirimens Matrimonium; Hoc autem antiquitus, in Provincia ſaltem Cæſarienſi, Baſilii tempore & præcepto, annexum erat Voto Caſtitatis. Reſtat nulli dubium fore debere, nihil obfutura Canonicorum Regularium Vota, Vitæque communis Solemnem emiſſionem ad functiones Hierarchicas obeundas, Apoſtolorum ac Hypponenſium Clericorum exemplo, qui omnes veri, perfectiſſimique Religioſi extitere; ac proinde, quum Apoſtoli ac Clerici Hypponenſes excluſi certè non fuerint à Sacramentorum miniſterio, neque erit conveniens Canonicos Regulares, qui ab Apoſtolorum Collegio, & ab Epiſcopio Hypponenſi prodiere, ab Altari repellere, ob rationum identitatem, Clericatuſque Regularis convenientiam; quinimo eos recenſere licere in illorum numero, quibus Animæ hominum prætioſæ concreduntur, Jus, Faſque dictat, & cogit.

Tit. 6. quæ Clerici vel voventes. C. Rurſus 6.

qq. Regul. tom. 3. q. 1. n. 2.

Anno 1139.

Apud Juvenin. to. 2. de Sacram. pag. 1003.

AR-

ARTICULUS III.

Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia Capacitas, congeſtis Conciliorum, & Canonum teſtimoniis quæ Juris Communis fundamenta ſunt, Chronologicâ Methodo illuſtratur.

§. I.

Auctoris intentio aperitur.

L. 1. Decrétal. tit. 7. de Translat. Epiſc. c. 4.

1. SI procul nimis ab argumento propoſito ea fortè videntur, quæ ab exordio Eccleſiæ ad Auguſtinum, qui obiit anno 430., uſque collegimus; propiora promittimus fundamenta ex Jure Communi, id eſt, ex Pontificum, Patrumve Epiſtolis deprompta, nec non ex Conciliorum; & Canonum collatione enata: *Quibus forma Eccleſiaſticæ Conſtitutionis exprimitur*, qua cuncta reguntur, cuique ſpeciatim, hiſce in rebus, ſtandum, & duximus, & neceſſe habemus. Rem noſtram omnem Canonum Conditori committimus, Proprio judicio, quo regulariter quiſquis fallitur, nuncium mittentes; ſcimus enim: *Neminem ſibi eſſe judicem, vel jus ſibi dicere debere*. Nec, dum hoc Opus in gratiam Canonicorum Regularium moliri ſtudemus, Conciliorum, Canonumque auctoritati innixi, Conſilii noſtri eſt, eorundem Conciliorum & Canonum, ut plurimùm arcanum, ſenſum aperire, interpretarique; memores adeundam eſſe Apoſtolicam Sedem, ad quam: *Nodi quæſtionum difficiles referuntur*; *Noſtra enim intereſt*, ajebat Cæleſtinus III., *jurgiis obviare ſuſcitandis, & ſuſcitata decidere*; *Ne lites litibus inculcentur*. Hoc ſanè fit Legum Eccleſiaſticarum dilucidatione per eorundem Legum auctores, quibus Solis & oportet & licet inſpicere quibus aſſiſtat veritas, ac ubi lateat, ſi aliquando contingat eaſdem Leges obſcuris terminis involutas prodire: *Ut ſi quid dubietatis emerſerit, id oporteat conventui Sacerdotali ſanctoque judicio reſervari*.

Qui legitimam perſonam tit. 5. Generali.

L. 2. Decretal. tit. 6. ut lite non conteſtata c. 1. Ad hæc Deus.

In Cap. contingit 8. de Fide Inſtrument. tit. 22. l. 2. decretal. p. 2. 2. decretal. tit. 12. c. 5. Paſtoralis.

De Sacroſanct. Eccleſ. tit. 2. omni.

Quæ mihi ad Rem noſtram occurrere potuere Decretalium Libros pervolventi, quidem hoc in unum congeſſi Volumen; verùm haud eâ animi affectione quæ apprimè explorata ſatiſque comperta me propoſiturum momenta credam, quorum ope finis controverſiæ abruptè conſequatur, cùm meum meque omnium judicio ſubmittam. Eo maximè fine, minimè diſſimulo; hoc à me Opus adgreſſum eſſe, quòd eos Tyrones, qui vix, rudique minervâ Sacros Canones à longè ſalutaverunt, inſpexeruntque, monitos velim, ne incautè iis utentes folia impleant, prælaque defatigent, coacervando ac confarcinando, abſque prævio delectu ingentes Textuum copias, qui ſæpè à propoſito procul ſunt, vel alios, à Canonicis Regularibus, ſpectant, quos, contra omne Jus, Monachis immiſcent; teſte ad Heliodorum Hieronymo ſcribente: *Alia .. Monachorum eſt vita .. alia Clericorum*: ac demum veluti pecudes errantes quod audiunt credunt; itaque quoſdam Canones ſibi favere autumant, qui contrà Canonicis Regularibus proſunt magis quàm obſint, eo quòd eos expreſsè ac nominatim, ut deceret in odioſis, nullo interdicto ſupponunt, minìmèque feriunt; juxta illud tritiſſimum effatum: *Quòd enim non prohibetur, permitti intelligitur*.

Nonnullos quoque fallit Canonum Novitios quidam alius error, quòd, nempe, Favori ac Privilegio adſcribatur, ſi quid Lege Conciliari, Pontificumque Conſtitutionibus pro Canonicis Regularibus cautum eſt; immemores vel neſcii id minimè ſimplici Gratiæ adtribuendum, quod Juris feris ſive finibus clauditur; immo eſſe quid Jure debitum hoc præciſè titulo: *Quia non eſt extra jus commune. Tunc enim dicitur favor vel privilegium cùm eſt extra jus commune, nam dicitur privilegium, id eſt, privata lex*. Quoniam autem ab ſtudio partium abhorrere cordati viri eſt; Canonum Textus nudâ, purâque recenſione referre duximus, cum ut ſola veritas affulgeat,

De legib. & Conſtitution. princip. tit. 14.

Quod favore Gloſſa.

geat, tum ne interpretationibus imperitis, Opus, erroris maculâ, adſpergatur, neque mihi audaciæ culpam inuram; Candido Lectori Æqui, Bonique vindici vices, ſorteſque meas ultrò, ingenuèque committens. Ipſe judicet, num Jus Commune Canonicorum Regularium Capacitati, obſiſtat, vel proſit. *Æquum ab iniquo ſeparet, licitum ab illicito diſcernat.* *Juſtinian. ex Vulpian. in lege 1. ff. de juſtit. & jure.*

§. II.

Quid in hanc Rem ex Concilio Vaſenſi, Anno 529., colligere eſt.

I. POſt Auguſtini Obitum Centeſimo uno minus Anno, coactum legimus Concilium Vaſenſe, cujus ope ſatis liquidò apparet, quinam fuerint ſui Ævi Clericorum mores, Parochorum zelus, & Epiſcoporum ſtudium, ne quid pro bono & optimo Animarum regimine prætermitteretur. Parochorum Domus ceu Seminaria erant juniorum Clericorum, ubi cultui Dei dicati, in Hierarchicis functionibus, ac in Eccleſiaſtica Diſciplina, de virtute in virtutem quotidie euntes, erudiebantur & exercebantur. Magni momenti eſt primùm, quòd Patres Vaſenſes apertiſſimè produnt, vetuſta, ſcilicet, exempla Italiæ totius, exteris etiam regionibus haud obſcura, ubi uſu venerat Clericorum cultura ſub oculos Seniorum, conſocialis Vita eadem in Domo, tanquam Filii obedientiæ, Presbyterorum juriſdictioni, præceptiſque ſubordinati. Secundò, minimè prætereunda ſunt poſtrema verba Canonis Vaſenſis, ex quibus elucet ſalubribus documentis Clericos eo animo à Parochis imbui, ut iis tantâ pietate inſtructis, iidem Parochi ſibimetipſis, Eccleſiæ, Populiſque utiliter conſulerent, & gloriarentur eos fore futuros eorum Succeſſores, quos ipſimet ſanctiſſimis, moribus, Legibuſque informatos poſt Se relinquebant, juxta ritum, qui, ut præmonuimus, totam Italiam feliciſſimè invaſerat. En aurea verba Concilii Vaſenſis: *Hoc enim placuit, ut omnes Presbyteri, qui ſunt in Parochiis conſtituti ſecundùm conſuetudinem, quam per totam Italiam ſatis ſalubriter teneri cognovimus, Juniores Lectores ... ſecum in Domo, ubi ipſi habitare videntur, recipiant; & eos quomodo boni Patres ſpirituales nutrientes, Pſalmos parare, divinis lectionibus inſiſtere, & in lege Domini erudire contendant, ut & ſibi dignos Succeſſores provideant, & à Domino præmia æterna recipiant.* *Can. 1.*

II. Ecce qualis erat Seculo ferè ineunte ſexto Parochorum delectus; Clerici videlicet, ab adoleſcentiæ annis religioſiſſimè eruditi; quadam Vitæ Communis imagine aſpectuque; Eccleſiaſticis litteris, optimis moribus, ſalubribus regulis inſtructi, qui proficientes ætate ſimul & meritis, idonei reputabantur, in locum decedentium Parochorum ſubrogari. Haud neſcii Concilii Patres quàm grande eſſet Onus, à vero tramite exorbitantes, ad ſemitas virtutis exemplo magis quàm linguâ revocare, omnibus Parochis, Generali Lege, indixerunt, ut quos ſibi vellent Succeſſores, eos haberent convictores, eademque cum eo menſâ, Domoque contenti eſſent ii, qui tandem ad Paſtorale munus promovebantur, omni ſuſpicione non probatæ vitæ expertes. Non contemnendo hoc exemplo, veluti ſpeculo, conſpici poteſt, vel à longè Regularitas illa Vitæ Clericalis, ſummis laudibus à Patribus exaltata, quæ ab ineunte Eccleſiæ ætate communis erat Epiſcopis ſuo cum Clero in Epiſcopiis commorantibus ac conviventibus, quorum normâ feliciter utiliterque derivabat in Parochos, adeo quod ferè hac religioſâ diſciplinâ, tota vel ab exteris reſperſa Italia dignoſcebatur. Poſteriorum Seminariorum, hæ Parochorum Congregatiunculæ ceu rudimenta fuere, quarum ex ſinu extrahebantur Parochi jam Hierarchicis muniis aſſueti. Horum ſub Parochorum diſciplinâ, Vita omnibus perſpecta, procul à Seculi rebus, mundo nequaquam immixta, implicataque, num cenſenda à nobis ſit affinis Regularitati minus, quàm Secularitati, alii dijudicent. *Diſcorſo Storico.*

III. Novâ obſervatione digna ea ſunt allata verba Vaſenſis Canonis, nempe: *Secundùm conſuetudinem, quam per totam Italiam ſatis ſalubriter teneri cognovimus.* In dubium vix verti poteſt hoc valde excellens Bonum Italiæ eveniſſe magis ac magis ex Africanis Oris, Auguſtini Ope, ac imitatione. Vandalis ſiquidem Africanas partes durè vaſtantibus, ſpecialiſſimâ providentiâ actum eſt, ut exules extorreſque Epiſcopi Clericique novas progignerent Clericorum Congregationes ad inſtar Hipponenſis Epiſcopii, converſationemque hanc ſanctam in omnes ferè orbis fines diſſeminarent, ſparſis quaquaverſum Auguſtini diſcipulis, Belli debacchantis crudelitate

litate fugere coactis. Hujus rei elucidamenta venari licet ex fideliſſimo Auguſtini amico Poſſidio ajente in ejus Vitâ: *Unde per multos, & in multis, non ſolùm per omnes Africanæ partes, verum etiam in Tranſmarinis, favente Deo, multa innoteſcere meruerunt*. Roma felix aliis regionibus magis quòd Gelaſium Africanum Auguſtini Diſcipulum exceperit, quàm triſtis ob manichæorum ſuperplenas Naves Romana littora implentes: *Quaſi examen Veſparum, vel locuſtæ. Sicut ſuccisâ ſilvâ feræ Beſtiæ aliò migrant*. De hoc inſigni Pontifice Panvinius Ordinis Eremitarum loquens ore Joannis Diaconi, linguâque Codicum Baſilicæ Lateranenſis, ait: *Gelaſius Papa circa annum Domini 490., Clericos, qui ab arctiore vitæ inſtituto, Canonici ideſt Regulares vocati ſunt (hi Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ more ſecundùm Beati Auguſtini Regulam in communi vivebant) Laterani collocavit*. Huic adſtipulatur Oldoinus in notis apud Ciaconium in Gelaſium; his verbis: *Gelaſius Beati Auguſtini Diſcipulus, in perſecutione Vandalicâ ex Africa cum cæteris ejuſdem Auguſtini Diſcipulis profugus ejus Regulam Romam attulit, & ſub Leone I. juxta illam Canonicorum Inſtitutum in Lateranenſi Baſilicâ reformavit*. Onuphrio robur addit Eminentiſſimus Petra eum ſequens, hunc in modum: *Ne Eccleſiæ matricis (id eſt S. Joannis Lateranenſis) cultus diminueretur, fuit Inſtitutus proprius Clerus dictæ Baſilicæ, ut in ſpiritu proficeret, ac munera Eccleſiaſtica, ut par erat, in ſancto illo Loco perſolveret ſub Regula Divi Auguſtini, idque evenit tempore Divi Leonis Magni poſt annum 440. Sed magis communiter tempore Gelaſii I.*

Cap. 31. — Diſcorſo Storico. — Ciacon. in Leonem I. — De Eccleſia Lateranenſi pag. 132. — Apud Ciacon. — In Commentar. ad Conſtitution. Apoſtol. tom. 1. p. 372. & ſeqq.

Non id hîc nobis ſumpſimus ſcilicet ut multis probaremus Hypponenſis Inſtituti in varias Provincias propagationem, ne magni momenti quæſtiones excitaremus, neve eruditionis mole defatigati audire mereamur, ut vulgò dicitur, Nos extra Chorum ſaltaſſe. Unum nequaquam omittendum putamus, nullis apud notitiæ Conciliorum Auctorem ſeptum eſſe difficultatibus, cùm ſic in laudem Auguſtini nihil cespitans pronunciet: *Conſuetudo erat ab antiquis ducta temporibus, ut prope Eccleſiam, vel in ipſo Epiſcopio, vel in ædibus Epiſcopio continuis Canonici Clerici in communi viverent perinde ac in Cænobiis, communi utentes menſâ, & in communi quieſcentes dormitorio. Ex Auguſtini Sancti Doctoris exemplo pervaſerat in diverſas regiones laudabilis iſta conſuetudo, de quo fidiſſimus ejus Diſcipulus Poſſidonius hæc perhibet vitæ ipſius Capite 25. Cum ipſo ſemper Clerici unà etiam domo, & menſâ, ſumptibuſque Communibus alebantur & veſtiebantur*. Pontificis Gelaſii exemplo, qui propius Auguſtinenſem converſationem æmulabatur, Epiſcopi Itali optimi, Supremique Paſtoris zelum imitantes eandem Inſtitutionem eorum in Domibus Epiſcopalibus ſolito amplius fortè extendêre; indeque factum eſt, ab Epiſcopis tam laudabilem morem in Parochos deſcendiſſe, ac effluxiſſe, uti à Mari Flumina, à Fluminibus Fontes, à Fontibus rivuli dimanant, qui omnem Italiam poſtea, ac exteras quoque regiones inundavere. Hoc in Concilio numero quidem pauci erant Epiſcopi, merito autem humilitatis fideique conſtantiâ ac puritate Eminentiſſimi; in Subſcriptionibus enim Peccatoris nomine inſigniebantur, exempli gratiâ: *Cyprianus peccator conſenſi & ſubſcripſi*; atque in deteſtationem Hæreſis Arianæ pro Conſubſtantialitate, Coæternitate, Coæqualitate ac Coomnipotentiâ Filii cum Patre, Verſiculo: *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto*, hunc alium addiderunt: *Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen*.

Cabaſſut. pag. 140 — Can. 5.

§. III.

Concilium Hiſpalenſe II. Anni 619. Capacitati Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia minimè obeſt.

Concilior. tom. 5. colum. 1666. c. 9.

I. Abſtinere nec poſſum nec debeo ab inſcribendis verbis Concilii Hiſpalenſis, cui ille Doctrinâ Sanctitateque eminentiſſimus Iſidorus interfuit, ut quæſita hîc veritas comperta exploratаque ſit. Hiſpanis his Patribus haud abſque dolore innotuerat Epiſcopos aliquot in partem ſollicitudinis Epiſcopalis Seculares homines adſciviſſe, Diſpenſatorum Eccleſiæ rerum titulo ac honore donatos; en verba Concilii: *Laicos homines*. Conſtabat apertiſſimè Hiſpalenſi huic Conventui, ſancitum, & in mores Eccleſiæ jam invectum fuiſſe à Patribus Concilii Chalcedonenſis Æconomos Epiſcoporum deligendos fore de: *Clero proprio*; hinc egrè ferebant Hiſpalenſes Patres hujus diſciplinæ, mutationem, abiiſſeque in deſuetudinem Chalcedonenſe decretum, in Concilio Hiſpalenſi relatum:

Cap. in 9. actione 16. qu. 7. — Cap. Quoniam 16. qu. 7.

Ut ergo huic vulneri mederentur, ob oculos ponunt incongruitatem & deordinationem ſummam, quæ Eccleſiaſticam dignitatem dehoneſtabat, eo quia Epiſcopales vices, Bonorum Eccleſiæ ſcilicet diſpenſatio, ac in Eccleſiaſticas perſonas judicium Laicis hominibus committebantur: *Indecorum eſt enim*, ajunt Patres Hiſpalenſes, *Vicarium Epiſcopi Laicum eſſe, ac viros Eccleſiaſticos judicare*. Adverſus hanc minimè tollerandam abuſionem, videlicet, uni, eidemque tribunali diverſi caracteris homines præſidere, idemque officium occupare, addit Concilium: *In uno enim eodemque officio non debet diſpar eſſe profeſſio*. Inculcat demum Rem tam monſtruoſam Veteris Teſtamenti Paginâ ludibrio verti qua cavetur ſub eodem aratro ſociari Bovem & Aſinum, illis verbis: *Non arabis in Bove ſimul & Aſino*. Quæ juxta interpretationem Patrum Hiſpali adunatorum, in idem recidunt, ac ſi dictum eſſet; *Homines diverſæ profeſſionis in uno officio ſimul non ſociabis*. Poſtremò Concilium admonet ac præcipit, ne in poſterum in adminiſtrationibus Eccleſiaſticis immiſceantur niſi ii, qui: *Nec profeſſione diſcrepant aut habitu*: *nam cohærere & conjungi non poſſunt, quibus ſtudia & vota ſunt diverſa*. Habes erudite Lector Textum, Litteralem ſenſum, & ob quam cauſam Canonicorum Regularium Capacitati ad Beneficia Eccleſiaſtica Secularia Concilium Hiſpalenſe allegatur ut infeſtum, quæ eſt, Regularitas Perſonæ, & Secularitas Beneficii.

Deuter. cap. 22. n. 10.

II. Priuſquàm inveſtigemus num utilitatis vel detrimenti aliquid præſeferat hic Textus Capacitati Canonicis Regularibus controverſæ, commonitum de nonnullis Lectorem volo. Unum eſt, quantumvis Monachi albi veſtium colore ſecernantur à nigris, Profeſſione nihilominus haudquaquam diſcreti ſunt, quòd utriſque una eademque Monaſtica Profeſſio communis eſt, uti elicitur ex Commentariis ad Textum Concilii: *Non eſt ibi diſpar profeſſio, cùm tantùm Monaſtica profeſſio ſit ibi*. Simili modo, licet Clericus Secularis habitu nigro indutus accedat, & candido & byſſino Canonicus Regularis, nullum inter eos diſcrimen notâ dignum reperibile eſt, cùm hinc & hinc una ſola Profeſſio Clericalis inveniatur: *Dummodo Clericalis profeſſio ſit, ibi una profeſſio dicitur*. Veſtium igitur diſparitas haud multum attenditur, ubi Profeſſionis identitas indubia eſt. Gloſſa immò addit., poſſe Monachum agere Epiſcopum vel Prælatum in Eccleſiâ Seculari; indeffinitè idcirco concludit: *Quòd licitè poteſt eſſe in eadem Eccleſia diſpar habitus, quantùm ad colorem veſtium*. Deinde obſervandum eſt meritò damnatam à Concilio Hiſpalenſi ſociabilitatem, Bovis & Aſini, hoc eſt diverſæ Profeſſionis hominum ſimul in uno eodemque officio conjunctionem, eo quia extrema inter ſe quàm maximè diſtant, & quæ diſſimilia omnino ſunt, ſimul convenire non poſſunt. Verè palpabilis nimis eſt hujus generis hominum diſparitas conditionis, cùm Laicos & Clericos in diverſa trahant eorum ſtudia & vota. Clerici enim ii ſunt, qui gubernant Eccleſiam; Laici autem ii ſunt, qui habent uxores, habent multas divitias; vel, aliud eſt Eccleſiaſticum miniſterium, aliud Conjugalis neceſſitudinis vinculum.

Aug. Pſal. 99. n. 13.

III. Nunc ad Canonicos Regulares reflectenda oratio eſt, quorum Capacitati ad Beneficia Secularia Hiſpalenſis Concilii Canon, prorſus inapplicabilis eſt. Quando de Beneficio Seculari Canonico Regulari providetur, ſi perſona Laica adſciſceretur in miniſterium Parochiale, ad ſupplendas Parochi vices, adeoquod ambo ſimul eodem in officio adſociarentur; quia Laici ratio & Inſtitutum, & Perſonæ Clericalis Profeſſio & finis, omnino diſparata ſunt; proculdubio, Bos & Aſinus, monſtruosâ tunc confæderatione, conjungerentur, idemque aratrum portarent. Verum hæc copulatio quia longè à Re noſtra eſt, nilve horum, nec ſupponitur nec ſomniatur, Textus hic in ſenſu obvio acceptus penitus ineptus eſt infirmandæ Capacitati Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia. Certè Canonicus Regularis de Beneficio Seculari proviſus juxta Decretalem Innocentii III., debet habere ſecum ejuſdem Congregationis Canonicum Regularem, dummodo Beneficii redditus id tollerent, vel, ſi commodè fieri poteſt, cujus, in his quæ Dei ſunt, & Regularis obſervantiæ, tam conſortio quàm ſolatio perfruatur. Quâ in hypotheſi eorum vota ſtudiaque id unum ſpectarent; Profeſſio Clericalis omnino una eademque, nullaque eſſet diſparitas habitus; & quod amplius eſt, Socius Canonicus Regularis non ſe immiſceret in miniſterio Parochi.

Aug. Pſal. 132. num. 4.
Aug. Epiſt. 26. num. 8.
Cap. Quod Dei timorem.

IV. Inſpiciamus oportet nunc utrum indecora difformitas ac monſtruoſa diſſonantia talis ac tanta reſultet ex confœderatione Beneficii Secularis cum perſona Canonici Regularis, quod nonniſi, accedente Apoſtolicâ Diſpenſatione, cohærere ſimul queant, ac proinde vel abruptè ſcindenda, vel planè interdicenda Collatio

ſit.

ſit. Mihi ſanè nil magis cordi eſt quàm quæ ſentio exponere minimè diſſimulem, & in æquos judices, Rem maturius librandam, referre. Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ejuſdem naturam originemque ſpectemus, exigit deſponſari Eccleſiaſticæ Perſonæ, ex proprio Inſtituto ac primario fine, Clericali caractere inſignitæ, ſive in Clericali Ordine conſtitutæ. Hujus generis Canonici Regulares reputantur; ex Gonzalez, eſſentialiter Clerici, ex Angelico, Per Se competit, ut ſint Clerici Religioſi; Primâque Tonſurâ, ex Pianâ Conſtitutione, initiandi, ſtatim quòd Profeſſionem emittunt. Secularitas porro ac Regularitas ab extra circumſtant Clericum ſimul & Beneficium, cui quæ harum antiquior penitiorve ſit, majoris vel minoris utilitatis ac decoris, ſupra multis oſtendimus. Beneficium Eccleſiaſticum Seculare ſive Clerico Seculari, ſive Clerico Canonico Regulari concedatur, indubitanter Clericis ejuſdem Profeſſionis Clericalis confertur, quia Clericatus unus eſt in Eccleſiâ, Dummodo Clericalis Profeſſio ſit, ibi una Profeſſio dicitur. Utriſque enim hujus Profeſſionis Clericis, Clericatus magis onus eſt, quàm honos, & quilibet propter Populum directè ordinatus eſt; hinc Vota & ſtudia minimè ſunt diverſa; ideoque cohærere poſſunt, ſimulque ſociari, Beneficium Seculare ac Canonicus Regularis, eodem planè modo, ac Clericus Secularis, cum Beneficio Seculari.

Addo inſuper, neque Vocabulo ulla indecens diſſonantia relucet, quoniam ex Cardinali de Luca: *Canonici Regulares, ſub Clero Seculari, potius recenſeri ſolent*; & alibi: *De Clero ſeculari juxta Hierarchicum ordinem recenſentur*; & ex Cardinali Petra de Canonicis Lateranenſibus loquente: *Potius de Clero ſeculari participant. Reputantur magis eſſe in ſtatu Cleri ſecularis, licet etiam in iſtis hodie aliqua qualitas Regularis inſpiciatur*. Poſtremò, ſi conſideretur diſcrepantia habitus, Beneficium Eccleſiaſticum, ſit ſub poteſtate Clerici Secularis, ſit ſub Canonici Regularis, nullam omnino patitur monſtruoſitatem. Præmonuimus ſupra licitè poſſe in eadem Eccleſia eſſe diſparem habitum quantùm ad colorem veſtium. Commonefacit ulterius Gloſſa Hoſtienſis, *quòd quantò magis ſe poſſunt tales conformari aliis in exteriori habitu, hoc faciant ne ſcandalum fiat*. Praxis hodierna eſt, ut Canonici Regulares in Beneficio Seculari inſtituti, Secularium Clericorum formâ veſtiantur. Hinc Eminentiſſimus Petra loquens de Socio, ſi commodè fieri poteſt, ita concludit: *Sed, cùm etiam hic uſus deſueverit, indeque etiam habitus fortè retentio non fuit adhibita; quodque tamen habet locum eo magis ſi agatur de Beneficio ſimplici, & de Canonicatu in Cathedrali, quia non convenit habitus regularis talia obtinentibus*. His præmiſſis, quia Canonico Regulari, de Beneficio Seculari proviſo, nullus Laicus homo accedit in partem ſollicitudinis, ſive ut Vicarius, vel ut Diſpenſator, eaque indecentia non aſſurgit, quam innuit Canon Hiſpalenſis; palam fit Hiſpalenſem Textum, in ſenſu obvio acceptum inapplicabilem cenſeri debere pro enervanda Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia invictâ illibatâque Capacitate. E contra, quia Beneficium Seculare iiſdem prærogativis, eodem fine, iiſdemque votis, ſtudiiſque perfrueretur Canonico Regulari collatum, ac ſi concederetur Clerico Seculari; in gratiam mecum meamque ſententiam veniat, oro, lector, quam ab initio prodidi, nempe Concilium Hiſpalenſe Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia Capacitati, minimè obeſſe, immò potius prodeſſe.

In annotat. ad Concil. diſcurſ. 35. num. 7.

Tom. 5. pag. 522. 6. opinor.

Ibid. pag. 81.

In Cad. in 9. act. 16. qu. 7.

Tom. 5. pag. 524. 5. circ. fin.

§. IV.

Conciliis Toletano IV. anni 633. & Meldenſi anni 845., quæ oſtendunt qualis vitæ probitas deſiderabatur in Parochis, haud parùm innuitur eos ſeligendos potius ex Clero Regulari, quàm ex Seculari; cæteris paribus.

I. ESſe juxta hiſtoricam fidem, Eccleſias ſcilicet, ſibi ſuum habuiſſe devinctum Clerum, anteactis præcipuè Seculis, Epiſcopo ſuo cohærentem, quocum vitam ageret, quique Eccleſiæ eidem ſerviret, & obſequeretur, minimè infirma, quæ hucuſque retulimus documenta, id ſatis perſpicuè probant, confirmantque. Clero huic, ut in Eccleſiaſticâ Diſciplinâ eruditiori ac peritiori, potius quàm iis Clericis, quos Iſidorus hoc ævo, *Acephalos* nuncupat, *ſine capite*, commiſſas fuiſſe vices hierarchicas, videlicet onus diſpenſandi Popu-

De offic. l. 2. c. 3.

Populis Sacramenta, & verbum Evangelii, ex quadam prælationis ac præferentiæ honeſtate perfectioribus Clericis debitæ, pluſquàm probabile eſt. Hunc morem floruiſſe ſeptimo ferè ineunte Seculo in regionibus Hiſpaniæ, in dubium vocare nemo poteſt, qui Concilii Toletani Canones rimatus ſit. *De familiis Eccleſiæ*, ſanxerunt Patres Toletani, *conſtituere Presbyteros per Parochias liceat: quos tamen vitæ rectitudo & probitas morum commendat*. Cautum voluere Epiſcopi Toletani, ut eximiæ integritatis addicerentur Parochiis Presbyteri, minimè verò utcunque de familiis abſtracti; immò ii ſolummodo quos vitæ laus morumque perfectio à cæteris diſcreviſſet. Quonam autem modo ſervitio addicti Eccleſiæ tranſire potuerint ad Hierarchicum ordinem, indeque ad regimen Animarum, merito præexcellentis ſanctitatis, vitæque commendabilis conſuetudine, num Seculariter vivendo in Laicorum domibus inter utriuſque Sexus homines, ac de Proprio, an religiosè vitam agendo in Epiſcopiis ſecundùm Conciliorum Hiſpaniæ Leges, nemo inficiari jure poterit, qui ejuſdem Concilii 4. Canones vel à longè perſpexerit, ubi decernitur in hunc modum: *Ut igitur excludatur deinceps omnis nefanda ſuſpicio aut caſus, & ne detur ultra ſecularibus obtrectandi locus, oportet Epiſcopos teſtimonium probabilium perſonarum in Conclavi ſuo habere, ut & Deo placeant per conſcientiam puram, & Eccleſiæ per optimam famam*. *Non aliter placuit*, pergit Concilium, *ut quemadmodum Antiſtites ita Presbyteri, atque Levitæ, quos fortè infirmitas, aut ætatis gravitas in Conclavi Epiſcopi manere non ſinit, ut iidem in Cellulis ſuis teſtes vitæ habeant, vitamque ſuam ſicut nomine, ita & meritis teneant*. Hæc quoque retroactis Seculis vigebat Diſciplinæ Lex; ita ſiquidem decrevere Patres Concilii Toletani II. Anno 531., nempe: *De his quos voluntas Parentum à primis infantiæ annis Clericatus officio mancipavit, ſtatuimus obſervandum, ut mox cùm detonſi, vel miniſterio Lectorum contraditi fuerint, in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentiâ à Præpoſito ſibi, debeant erudiri*. Hæc cum eſſet Hiſpaniæ conſuetudo, eos præcipuè Clericos Eccleſiaſticâ Diſciplinâ, ſanctiſque moribus inſtructos, quos vitæ rectitudo ac probitas morum ad Parochiale faſtigium promovebat, par eſt judicare eorum ex numero fuiſſe, qui in Conclavi cum Epiſcopo, uti appetitores arctiſſimæ viæ, vitam ducebant, Caſtimoniæ profeſſione præmiſsâ. An verò Clerici Toletani vitæ laudabilis honore inſigniti, Epiſcopo conviventes, ut merito teſtimonii officio ipſiuſmet vitæ Epiſcopi fungerentur, nuncupandi ſint Clerici Regulares magis quàm Seculares, qui melius novit, ſplendidius lumen benignus impertiat.

Concil. Tolet. 4. Can. 74.

Can. 22.

Can. 23.

Can. 1.

II. Huic veritati pulchrius concinnat Concilii Meldenſis Diſciplina pro ſuarum regimine Diœceſum. Hujus Concilii vota & conſilia eò operam Canoneſque ſuos direxerunt ut ordinandi ex Parochiis Epiſcoporum Meldenſium ſpecialiori providentiâ erudirentur, eo in loco quo Clerici ſtabili conſuetudine fixaque ſede religioſam vitam agebant; vel, ſi cujuſdam tollerantiæ ſpecie permittebatur, ut in Civitate etiam degerent, ſanxère tamen, ut in ea integrum annum tranſigerent, omniumque oculis paterent ibique ut perſpectos haberent eorum mores, qui odore bonæ converſationis optimæque conſcientiæ & famæ fragrantes, Albo Ordinandorum mererentur inſcribi: *Qui verò*, en aurea verba Meldenſium Patrum, *ex noſtris Parochiis, aut ad Titulum, aut abſolutè, ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, niſi, aut in Clero certo & Religioſo, vel etiam in Civitate, ſaltem uno Anno immorentur, ut de vita & converſatione atque doctrina illorum certitudo poſſit agnoſci*. Si in Parochos hac ętate meliores ex Clero aſumebantur, ut ſemper apud Eccleſiæ Pręlatos hic mos convaluit, neceſse eſt eos, ex eorum fuiſse ordinandorum numero, qui educati fuerunt ſanctiſſimis legibus & in Eccleſiaſtica Diſciplina inter Clericos religioſos; ſic enim jure antecellere eos poterant, quos Civitas excipiebat, nutriebatque, turbulentioris Seculi periculis expoſitos. Veniant etiam mecum in unius ſententię conſenſionem, qui in Animum ſuum induxerunt Canonicos Regulares, per hęc verba: *In Clero certo & Religioſo*, expreſsè indigitatos, undecimo ſeculo apparuiſse; cum ulterius hoc Nono ineunte Seculo inveniantur *Canonicæ Regulares*, Canonicorum Regularium domicilia, Mabillonio teſte.

Can. 52.

De Re diplom. l. 6. pag. 614.

§. V.

Ex Concilio Pictavienſi Anni 1078. *Canonicos Regulares cum Monachis nonnulli abſolutè malè confundunt*.

I. CAnonis VI. Concilii Pictavienſis lectione quidam corticum rerum inſpectores, Canonicos Regulares pares cum Monachis effecere, quia utrique iiſdem legibus à Concilio jure ſubduntur. Corruente Caroli Magni Progenie regnatrice, erat in Galliâ videre miſeriam; exundante Laicorum rapacitate, & graſſante lue nimiæ libertatis in Clero, ut teſtatur auctor Gallus: *Extremis illa Clericorum incontinentia Undecimo Seculo; tanta enim*, refert & Thomaſſinus, *in Clerum penè omnem Occidentalem exundaverat incontinentiæ colluvies, ut cohiberi eam deſperatum ſit, niſi Clerici Superiores*.. Illa Laicorum ſitis rebus, Eccleſiiſque ipſis, præcipuè Parochialibus, minimè parcebat; cuncta involabantur. Hâc ideſt, Clericorum incontinentiæ colluvie juriſdictioni Epiſcoporum, Parochorumve in immenſum nocebatur. Epiſcopi expoliabantur Parochiis, quæ in Laicam poteſtatem transferebantur; neque redimere permittebatur, obnitente decolorato Clericorum faciei ſplendore. Ita miſerrimè ſe habebant Res. Senſere tandem conſcientiæ obſtrepentis vocem nefarii Patrimonii divini prædones; ac compellente interiori ſtimulo, tandem eis in mentem venit ſaluti æternæ proſpicere, ſibique conſulere, ſpoliorum reſtitutione, ſpoliatorumve reintegratione, nonnullis conſimili exemplo præeuntibus. Zelus ne fuerit an lucri ſpes; unum eſt Laicos illos Nobiles aſſenſiſſe nunquam, ut Epiſcopis, Parochis, Clericiſque reſtituerentur Eccleſiæ ſive earum Bona: *Neſcio quo Cleri faſtidio*, ut ſentit Thomaſſinus, *qui non ita forſan moratus tum eſſet, ut par erat, nec ea qua olim ſanctimonia morum ſplenderet*. Conſenſere potius ut Monachi, Canonicique Regulares Parochias retinerent ac colerent, quàm Parochis ipſis cedere, nullius tunc auctoritatis apud Nobiles. Huic conſilio manus dederunt victas ipſique Epiſcopi, ſatius cenſentes utilius eſſe patrimonium Chriſti in Regularium jura transferri, quàm Laicorum eſſe poteſtati obnoxium. Monachis Canoniciſque itaque devolvebantur Eccleſiæ Parochiales, utpote pietate, ſcientiâque præcellentibus. Verùm Laicorum aliqui, avaritiæ vinculo detenti, non ſine pecunia: *optimam prædam* reſtituere acquievere; hinc ſacrilego furto ſimonia quoque addebatur. Convenerunt ergo in unum Patres Concilii Pictavienſis hoc Anno, ut tanto malo mederentur; ac Monachis, Canoniciſque eodem jure interdixerunt, ut in poſterum Eccleſias minimè emerent, neque ullo alio modo ſibi vindicarent: *Niſi conſentiente Epiſcopo, in cujus fuerint Diœceſi*; *qui*, ut vult auctor Diſciplinæ, *non ante aſſentiretur, quàm profiterentur Monachi his Eccleſiis Parochum à ſe, vel Vicarium præſtitutum iri, qui in procurando Animarum regimine Epiſcopo ſubeſſet*. Diffiniere itaque Patres, ut interveniret Epiſcopi conſenſus, &: *Monachi ſolo primitivi & Principis Parochi nomine contenti, Clericum Epiſcopo præſentarent, à quo ille inſtitueretur & ſpiritalis regiminis ratio ſubinde exigeretur*. Juſtum valde conſentaneumque erat, ut cum Monachis tum Canonicis Regularibus eadem imponeretur Lex, quia æqualis ab alterutris Clero imminebat gravis irreparabiliſque jactura, ſi Diœceſum omnium Eccleſiæ omnes Parochiales, ſive decimarum jura, in Regulares tranſiiſſent; ſancitum itaque hoc modo eſt: *Ut Abbates, Monachi, Canonici Eccleſias, quas nunquam habuerunt, non emant, nec alio modo ſibi vindicent, niſi conſentiente Epiſcopo in cujus fuerint Diœceſi*. Emptione ergo ſive alia calumnioſa appropriatione Eccleſias Epiſcopali moderationi ſubjectas ſibi vindicare, idem reputabatur ac Epiſcoporum jura perturbare, immo auferre. Perinde autem erat ſi à Monachis vel à Canonicis Regularibus, Epiſcopis injuria hec fieret. Hinc æquali Canone eademque lege, utriſque talis modus acquirendi alienas Eccleſias prohibetur. Nec mirum, ſi Presbyter de Curâ Animarum & de Chriſtianitatis miniſterio Epiſcopo reſpondere deberet; Nam, quotieſcunque conſenſus Epiſcopalis, vigore laudati Concilii neceſſarius erat, eorum in poſterum arbitrio pariter commiſſum erat, proprias Parochias Regularibus permittere, vel non; aut nonniſi eâ adjectâ conditione, quæ, ex condicto, Epiſcopis Regularibuſque arrideret; Nil ergo abſurdius, nil à veritate longius aberrans, quàm Canone Concilii Pictavienſis velle uti, aſſerendi cauſa, Monachos Canonicoſve Regulares Parochialia munia eadem lege exercere, inhiberi; cum hîc tantummodo

Cabaſucc. Notit. Concil. ſec.11. p. 394. §. de Communi.

Part.1. l.3. c.12. num. 11.

Part.3. l.1. c.10. num.3.

Idem ibid.

Can. 2.

Loc. cit.

Ibid. num. 4.

Can. 2.

modo de malis acquirendi, quod alienum eſt, artibus, minimè autem de Capacitatis negotio, ſive de ſpirituali regimine Animarum, agatur.

§. VI.

Urbanus II. Canonicis Regularibus licere declarat regimini Animarum deputari poſſe in Eccleſiis Monaſteriorum juri ſubjectis.

I. Litteris Urbani II., qui, ut ſcribit Eminentiſſimus Petra: Prius Canonicus Regularis, poſtea Monachus Cluniacenſis, Abbati Sveſſionenſi Canonicorum Regularium ſignificatum fuit in Parochiis juriſdictioni ſuæ obnoxiis, liberum ei eſſe ſubditos ſuos Concanonicos deſtinare, nulla adjectâ conditione, aut impoſito gravamine; immò altum ſilentium indictum fuit, de Socio vel de Presbytero Seculari. Mos invaluerat, ac in viridi obſervantia Canonicæ Sanctiones erant præcedentium Conciliorum, id eſt, ut Monachi, quorum officium non eſt in medio Eccleſiæ aperire os ſuum, *ſed*, ut ait Ivo, *eſt ſedere & tacere*, regiminis Animarum ſollicitudine minimè defatigarentur, ac proinde in Clericos rejicerent moderationi Populorum incumbere, Animarumve Saluti pro viribus ſatagere; Itaque functiones Parochiales Monachis interdicebantur, horum temporum ita exigente obſervatiſsimâ Diſciplinâ; *Conſtantiſſime Epiſcopi*, advertit Thomaſsinus, *antiquam Eccleſiæ Diſciplinam retinuere, ut ne Monachos Parochiarum gubernaculis admoverent*. Abbati Sveſsionenſi forſan aliquis ingerebatur timor, ne Canonici Regulares ob hanc ipſam Regularitatis notam cum Monachis confunderentur; Seculo enim octavo pro uno eodemque computabatur, vivere Monaſticè ac degere: *Sub ordine Regulari*; hinc ut latum diſcrimen Canonicos Regulares inter & Monachos liquidò pateret, opus fuit Urbani II. providâ hac declaratione, videlicet: *Ut in Parochianis Eccleſiis, quæ ad veſtrum Monaſterium pertinent, Regulares vobis liceat Clauſtri veſtri Clericos ordinare, qui Eccleſiis ipſis ſerviant, & populi adjacentis Parochiam, ſalvo Epiſcopi jure debito, ſollicitè procurare non negligant*. Hæc Diſciplina Monachis hoc ævo minimè convenit; Presbyterum Secularem præſentare tenentur, qui ſervitium integrè valeat adimplere; eumque inſtituere debet Epiſcopus, quem idoneum judicabit. Urbanus autem II. aliter de Canonicis Regularibus diffiniit, ſanxitque; quo nil apertius ut ne Monachis comparentur; & ubi agitur de Parochiis ſive unitis, ſive non, Canonicis Regularibus præ Monachis ſpirituale regimen ampliori jure conceditur. Neque ſtupendum ſi aliquando idem obſervaretur in Eccleſiis Canonicorum Regularium quo ad Presbyteri Secularis deputationem; cùm enim ſecundùm variam temporum Diſciplinam Concilia ſtatuerint minimè transferri debere ad Regularium manus Parochiales Eccleſias Diœceſum niſi conſenſu Epiſcoporum interpoſito, hinc fiebat ut conſenſionis gratiam minimè indulgerent, quin adjectis pactis & tranſactionibus de præſentatione Preſbyteri; proptereaque arbitrii voluntatiſve tranſigentium Canonicorum erat huic cedere juri, dummodo redditus ad Monaſterii fiſcum devolverentur. *Neceſſe eſt nobis aliquid cedere, ut poſſimus eandem cauſam ad compoſitionem perducere*.

Novitati adſcribere Urbani II. declarationem, veluti novum quid eſſet hoc ævo Canonicorum Regularium Inſtitutum, maximus error eſt, eoque intollerabilior ac gravior, quo majoris eruditionis viri Patrocinio fulcitur. Canonicorum Regularium Vita, Clericorum communiter viventium converſatio eſt; eamque in deſiderio fuiſſe retroactis Seculis, nec ſuadet nec jubet hiſtoriæ fides; Noſque, minimè obſcurè, integro volumine contrarium inſinuavimus.

Tom. 1. pag. 317.

Epiſt. 280.

Part. 1. l. 3. c. 22. num. 2. fin.

Anno 755. Concil. tom. 3. col. 1997. Can. 2. Hard.

Epiſt. 18.

Part. 2. lib. 2. decretal. tit. 22. de fide Inſtrumentor. c. 1. Petiit.

§. VII.

Ivonis Epiſtolâ ad Abbatem Stirpenſem ſcriptâ, Anno circiter 1089. *aut* 1090., *Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia Capacitas, mirificè defenditur.*

I. Sedente Romano in Solio Urbano II., Ivo in Carnutenſi Eccleſiâ Epiſcopum agebat. Hic eſt Ivo ille, qui in Concilio Turonenſi Anni 1096. in Galliis ſubſcriptus legitur. Hujus inſignis Eccleſiaſticæque eruditionis Viri, Binæ, præſenti argumento faventes, Epiſtolæ extant; Prima ad Abbatem

Stirpenſem, quam hîc expendendam ſuſcepimus, & ad Epiſcopum Aurelianenſem altera, de qua mox agemus. Ambæ ut conjicimus ſcriptæ priuſquàm Viam univerſæ carnis ingrederetur Urbani II. Succeſſor, Paſchalis II., qui, referente Eminentiſſimo Petra, *prius fuit Canonicus Regularis Lateranenſis, poſtea Monachus Cluniacenſis*. Quæ hîc diſcutienda occurrit, in ordine Epiſtolarum ſexageſima nona, Præpoſito Eccleſiæ Stirpenſis Gualtero ſive Galtero Viro celeberrimo inſcripta eſt, qui Ivonem conſuluerat ſuper quodam Synodali decreto Epiſcopi Lemovicenſis, quo omnes Canonicos Regulares in Lemovicibus à regimine Animarum, & ab adminiſtratione Sacramentorum privatos abruptè voluit. Qui partium ſtudio incumbunt, tumultuſve ſuſcitare haud extinguere ſatagunt, paci Religioſorum Ordinum exitiales, crepantibus buccis, impudenterque decantare pergunt, Canone Concilii Lemovicenſis Canonicos Regulares juribus Parochialibus expoliatos, Clericatumque eorum ad Monachorum tramites redactum, ſoloque nomine à Monachorum Propoſito diſcerni, longèque abeſſe.

Tom. 1. pag. 349.

Hîc Lectore opus habeo, magni animi Viro, cui diſcretio & charitas moderentur, qui minimè ignoret quàm inter ſe diſcrepent Decretum Concilii Epiſcoporum Provinciæ Convocatione coacti, & Proviſio Synodalis Diœceſana, dignitate ac auctoritate conventu Epiſcopali inferior præcipuè adverſus inſignem, inauditumque Ordinem Canonicorum, videlicet, Regularium. Hi enim minimè locum accepere ſe defendendi ad abluenda crimina, quæ iiſdem objiciebantur, contra omne Jus. Præerat igitur Lemovicenſi huic Synodali congreſſui, malâ utique notus famâ Epiſcopus, cui nomen Humbaldus, in quem extant infelices notæ ex Labbeo in Harduiniana Collectione, ubi agitur de Concilio Lemovicis celebrato, Anno 1095. hunc in modum: *In Concilio depoſitum fuiſſe Humbaldum Epiſcopum Lemovicenſem narrat Gaufredus Prior Voſienſis ad Annum M. XCV. his verbis: decimo, inquit, Kalendas Januarii, devenit Urbanus Papa. . Tunc Lemovicenſis Pontifex Humbaldus ab adverſariis accuſatur, accuſatus convincitur, & apud S. Martialem, in conſpectu Ademari Abbatis, quo Contradicente electus fuerat, à Domno Papa publicè deponitur. Qui Humbaldus apud Sanctam Severam ceſſit: ibique inter Laicos laicaliter multo tempore vixit*. In idem recidit, confirmatque Chronicon Malleacenſe eodem Anno: *Lemovicas veniens* (Urbanus Papa) *depoſuit Humbaldum Epiſcopum ejuſdem Urbis*. Hoc fuit fatum, exituſve tragicus Humbaldi, qui quo jure inſurrexerit adverſus Lemovicenſes Canonicos Regulares, adhuc ignoratur; *Eadem de re & in eamdem ſententiam ſcripſit Ivo*, ut refert Thomaſſinus, *ad Congregationem Canonicorum Regularium in Lemovicibus*. Nos infra ex Ivone diſcemus permotum Humbaldum fuiſſe, præfatæ prohibitioni edicendæ, probabiliter mali Animi impulſu in Canonicos Regulares; itaque ſcripſit Ivo: *Hæc tamen prohibitio licet aliquo forſitan livore Canonici Ordinis facta eſſe videatur*. Canonicis Regularibus Lemovicenſibus ſi poſſet juſtè inuri culpæ ſpecies: *Ob excuſſum ab eis obedientiæ Epiſcopalis jugum*; Ivo Vir ſanctiſſimus, ſontem nullo modo, parem ſibi in infulâ declaraſſet. Epiſcopali potius libertate, auctoritateque impetere minimè veritus fuiſſet Religioſorum pervicaciam ac ſpretum; prohibitionemque Synodalem tanto facinori imparem celebraſſet. Conſuluit quidem Ivo, ut Canonici Regulares Lemovicenſes Parochiis deputati ſe ſiſterent coram Epiſcopo, in reverentiæ teſtimonium, regimen Animarum ſuſcepturi; Verùm abſtinuiſſet utique Epiſcopum Livoris maculâ, modeſtè licet, aſpergere, ſi inobedientia præceſſiſſet: *Aliquo forſitan livore Canonici Ordinis*. Cauſam livoris ortam èx quodam neſcio invidiæ dolore conjicimus; etenim cùm Abbas Stirpenſis ingenti famâ potiretur apud Apoſtolicam Sedem plurimiſque Privilegiis locuples redderetur: *Obnitentibus quibuſdam Epiſcopis*: Humbaldi Zelus, hac de Causâ commotus, patientiæ limites fortè exceſſit, haud valens obliterare, ac funditus evertere, immò tantillum imminuere optimam, quam ſibi lucratus fuerat Gualterus opinionem Pontifices apud, ac Sanctam Sedem. Synodus hæc ſilentii tenebris involuta ad hæc uſque tempora extitiſſet, niſi eam mala Humbaldi merita promulgaſſent, & publici juris feciſſent; ideoque ſcitur quia, qui eam indixit, pœnâ ſuâ celebrem reddidit; expoliatus Epiſcopali honore publicè fuit, ab ipſo Pontifice, ab Urbano II., natione Gallo, in Concilio Lemovicenſi ſedente: *Huic nobili & præcipuo conventui præfuit Dominus Urbanus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Apoſtolicus*.

Ex Labbeo apud Hard. tom. 6. col. 1741.

Hard. ibid.

Part. 1. pag. 199.

Thomaſſin. loc. cit.

V. Marbodum in VitâGalteri Stirpenſis cap. 3.

Hard. loc. cit. col. 1741.

II. Ivonis Epiſtola, expoſitione nequaquam opus eſt, ut intelligatur. Ejus ſententiis quid contrà opponi poſſit, non video ſi perfunctoriè non ponderentur. Hæc ſunt

ſunt verba quę cordi maximè inſigenda ſunt, videlicet, grave exitialeque vulnus Ordini Canonicorum Regularium infligi, ſi ii ab Animarum gubernaculis indiſcriminatim excluderentur: *Canonico Ordini indigna ſit injuria*. Quem loc endi modum Ivo fortè deprompſit ab Auguſtino, apud quem omne Monachi um genus abſque ullo delectu ad Sacros Ordines promovere, idem erat ac: *Ordini Clericorum facere indigniſſimam injuriam*. Hęc eſt Ivonis Epiſtola Abbati Stirpenſi inſcripta; parumque refert, Gualterus an Galterus vocitetur. Epiſt. 60. n. 1.

Quantùm intellexi ex litteris à veſtra parte mihi nuper oblatis, graviter fert veſtra fraternitas, quod Lemovicenſis Epiſcopus in Synodo agens, interdixit omnibus Regularibus Clericis & regimen animarum & confeſſionem pœnitentium, qui rectiùs quidem feciſſet, ſi omnes Sacerdotes ad regularem vitam invitaſſet, quàm regulariter viventes à Dominicarum ovium cuſtodia penitus removiſſet, quibus tantò plus diſplicet aliena malitia, quantò longius diſceſſerunt à ſua; hæc tamen probibitio licet aliquo forſitan livore Canonici Ordinis facta eſſe videatur, quantò ſalubrior tantò fraternitati veſtræ debet eſſe acceptior. Vos enim eò per viam Dei expeditiùs inceditis, ſi alienorum criminum deprimentes faſciculos, cum quotidianis veſtrorum exceſſuum lapſibus non portetis. Hoc interim ad inquiſita reſpondeo, quia Clerici Regulares ab hoc officio nec penitus ſunt removendi, nec indiſcretè admovendi; nam ſi penitus removentur, Canonico Ordini indigna ſit injuria, cui tantò ſecuriùs eſt credenda correctio vitæ alienæ, quanto majorem diligentiam adhibuit vitæ ſuæ corrigendæ. Si qui ergo ſunt in Collegio veſtro viri prudentes, & maturi, & igne tentationum examinati, quibus hoc onus imponi velitis, eos deducite ante præſentiam Epiſcopi, ut ab eo Curam Animarum ſuſcipiant; ſic enim facientes & Epiſcopali reverentiæ quod ſuum eſt deferetis, & Canonicæ inſtitutionis nulla diſpendia facietis; qui ideo Canonici appellati eſtis, quòd Canonicas Regulas vos velle obſervare cæteris arctiùs devoviſtis. Apud Deſnoſium pag. 340.

§. VIII.

Idem Ivo de eodem argumento ad Epiſcopum Aurelianenſem ſcribit.

I. IVonem Carnutenſem Canonici Regulares Aurelianenſis Diœceſis ipſum conſulturi adierunt, ut de eorum Capacitate ad regendas animas, quid ipſe ſentiret oretenus explorarent, conſcientiæ ſtimulis, ut nonnulli falsò putant, ſolito fortè ſcrupuloſiùs excitati. Eo acceſſu quid expoſuerint, Ivo ſcripto reliquit ad Epiſcopum Aurelianenſem, directo: *Venerunt ad nos quidam fratres*, ait Ivo, *qui in Epiſcopatu veſtro communiter vivunt ſollicitè quærentes, utrum Clerici regulariter viventes, Parochias regere poſſint, & animarum habere cuſtodiam*. Ad Joann. epiſc. Aurelianen. 213. Quoniam nuſquam deſunt, qui non rectis oculis Canonici Ordinis jura ſeu decus aſpiciunt, imò minimè laudabili genio id labefactare non verentur, veritatiſque lumen obſcurare privatis affectibus non ceſſant; in malam partem ſollicitam flagitationem Aurelianenſium Canonicorum Communiter ſanctèque viventium vertunt, autumantes diffidiſſe eos in Cauſa regendarum Parochialium Eccleſiarum; propterea quod conſideratiſſimè Ivonis conſilio ſeſe ſubjecere, à qua utique inveſtigatione, abſtinuiſſent, ſi hoc eos jure potiri, ſeu innatâ poteſtate, blandiri ſibi valuiſſent.

Humaniorem mitioremque interpretationem non obſcurè nobis hujus ęvi Diſciplina ſuppeditat. Fas eſt advertere, duodecimo ineunte Seculo Collegiatarum aut Abbatialium Eccleſiarum Capitula, animo fortè habuiſſe quòd non alia poterant ratione Regulæ obſervantiam obtinere, Vitæque Communitatem retinere, niſi ad interiora Clauſtri ſe contuliſſent, ſeceſſui, ſilentio, ſoliſque ipſis incubuiſſent; in ipſiſmet Reformationis initiis, immemores illi Canonici Regulares Auguſtinianæ conſuetudinis, quam ipſe Populo Hipponenſi non ſemel ſignificaverat, his verbis: *Vobiſcum hic vivimus, & propter vos vivimus. Clericatum propter Populum, qui magis eſt onus quam honos*. Serm. 356. n. 6. Ut plurimùm manu ipſi contrectamus, ab innatâ vocatione longè nonnullos fieri, qui pietatis Spiritu concepto, abſque tamen directionis ſcientiâ, ad oppoſita vota ſe transferunt, autumantes ſtatim periculoſum vel inutile, ſin minus illicitum, quod juxta leges charitatis maximam continet perfectionem. Magiſtra ſiquidem ac docta charitas hæc duo amplectitur. Audiamus Auguſtinum: *Otium Sanctum quærit charitas veritatis; negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ, atque juvandæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem: ſed nec ſic omnino veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimat iſta* Lib. 19. de Civit. Dei cap. 19.

ne-

neceſſitas. Hinc cum Clericatus ſarcina imponatur Clericis ut onus, Jus, Faſque requirit, uſurpo verba Innocentii III., ut: *Præponatur Doctrina Silentio, Sollicitudo Contemplationi, Labor quieti*.... Item ex eodem: *Majus Bonum minori Bono, Communis utilitas Speciali utilitati*. His minimè obſtantibus nonnullæ Canonicorum Regularium Canoniæ, ut ex integro Deo ſe nuncuparent, pro libito arbitratuque ſuo huic uſui ceſsère, nunciumque misère Parochiali ſollicitudini. Verùm num piâ hac affectione inſtructæ Canonicorum Regularium aliquæ Communitates, à poſſeſſione ac Jure valeant regendarum Animarum integrum Ordinem Canonicum perturbare, cordatiſſimi Viri judicent.

Cap. licet de Regular. Tit. 31. lib. 3. Decretal. 18.

II. Flagitaverunt ergo Canonici Regulares Aurelianenſes ab Ivone: *Utrum Clerici regulariter viventes, Parochias regere poſſint, & animarum habere cuſtodiam*. Et hoc, num ex delicatiore conſcientiâ, vel nonnullâ vetuſtæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſcientiâ, parum intereſt; Unum eſt, eos ſollicitæ indagationis cardinem in eo conſtituiſſe, quia ipſi erant Clerici Regulariter in Communitate viventes. Æquo ac juſto reſponſo omnem amputavit Ivo dubitationem, objiciendo antiquæ Eccleſiæ exemplum, à quo abduci nefas fuiſſet. Antiquis ducta temporibus receptiſſima hæc conſuetudo vigebat, ex Collegiis, nempe, Clericorum Canonicè viventium ſeligi Animarum Paſtores; quo delectu copioſior Meſſis in directione Animarum expectabatur. Hinc arduum non erit inferre, Regularitatis inſigne apud Majores noſtros in Clericis Regularibus Requiſitum fuiſſe, haud impedimentum, adeundis Parochialibus Eccleſiis: *In primitivâ Eccleſiâ nullus conſtitutus eſt Rector animarum niſi de communi vitâ aſſumptus; quia nemo rectius cuſtos præponitur vitæ alienæ, quàm qui prius cuſtos eſt factus vitæ ſuæ*. Nihilominus, hæc eſt & jam noſtris temporibus tota ratio contradictionis, argumentum Regularitatis, Canonicorum Regularium: omnium auribus verè nuperi Scriptores nil aliud intonant; Regulares ſunt, Mundo mortui ſunt. Hæc eſt cantilena illa in Patrocinium vocata, hoc noſtro ævo, adverſus Capacitatem Canonici Ordinis, quam ab auribus ſuis Ivo disjecit, ne amplius reviviſceret in cordibus ſcrupuloſis, dicens: *His rationibus freti conſtanter aſſerimus non eſſe audiendos, qui Clericos Regulariter viventes à regimine animarum judicant repellendos, quia ſeculo renuntiaverunt; ſed ideo potius ad hoc aſſumendos, quia voluptates & pompas ſeculi contempſerunt*. Cum igitur Clericorum Ordini multum decoris ac utilitatis accedat, ſi Clericatui Regularitas reperiatur annexa, ceteris paribus, efficitur, Eccleſiarum regimen, Canonicis Regularibus concreditum, planè culpâ vacare; nec jure perſtrependum, ſi noſtro ævo, Ivonis doctiſsimi, celeberrimive Viri ingenium moremque ſectando, Seculari Clerico, Regularis Clericus præferretur. En Ivonis Sanctiſsimi Antiſtitis epiſtola, documentis prudentiæ, pietatiſque onuſta, quæque ceu ſpeculum proponitur, meditanda magis quàm inſpicienda; utilis, immò neceſſaria Prælatis Collatoribus, Canoniciſque Ipſis Regularibus, onus formidandum angelicis humeris, ſibi imponere cupientibus.

V. Art. 1. §. 6. n. 7. ſup.

Venerunt ad nos quidam fratres, qui in Epiſcopatu veſtro communiter vivunt, ſollicitè quærentes, utrum Clerici regulariter viventes Parochias regere poſſint & Animarum habere cuſtodiam? Quibus hoc reſpondi, quià in Primitiva Eccleſia nullus conſtitutus eſt Rector Animarum niſi de Communi Vita aſſumptus; quia nemo rectiùs cuſtos præponitur vitæ alienæ, quàm qui prius cuſtos eſt factus vitæ ſuæ. Quod nullo in loco melius probatur, quàm inter eos in quibus Regularis vita vigere videtur, quibus tantùm diſplicet aliena malitia, quantùm prius diſplicuit ſua. His rationibus freti conſtanter aſſerimus non eſſe audiendos, qui Clericos Regulariter viventes à regimine Animarum judicant repellendos, quia ſeculo renuntiaverunt; ſed ideo potiùs ad hoc aſſumendos, quia voluptates & pompas ſæculi contempſerunt, non enim mundi contractus eſt Animas à vitiis avocare & ad virtutum celſitudinem provocare; ideo convenientius iſta docent, qui ea quæ dicunt opere complent, quam ii qui ſunt Doctores legis & non factores. Non tamen ad hoc officium alii aſſumendi ſunt, niſi quos vita & doctrina commendat, & Epiſcopalis auctoritas ad hoc agendum idoneos probat. Hæc fraternè ſcripſi dilectioni veſtræ, ut eorum, qui ſua quærunt, rapacitatem adverſus puſillam Dei gregem compeſcatis, & in Clericali militiâ quietè vivere faciatis.

Aurelianen. Epiſc. Joann. 213. Apud Deſnoſium pag. 341.

§. VIII.

§. IX.

Nemauſenſi Concilio anni 1096. Regularitas Religioſa, relatè ad regendas Animas, Secularitati Clericorum præponitur.

I. GAlliç Provincias Urbano II. præſentiâ ſuâ condecorante, Nemauſenſe Concilium coactum eſſe, docet Eccleſiæ Hiſtoria, cui per ſeſe ipſe præerat Romanus Pontifex. Juſſerunt Nemauſenſes Patres, ut in Eccleſiis, Monachorum juriſdictioni ſubjectis: *Quas tenent*, ii, Sacerdotes deſtinarent: *Presbyteros collocent*, in eandem conſenſionem eunte Epiſcopo, cui ratio redderetur: *De Plebis Curâ;* Abbati verò: *pro Rebus temporalibus;* cuique jura ſua ſervando. Quoniam nil alienius à veritate, nilve inſolentius, quàm Monachos amaro animo impetere, obteſtando eos: *Sacerdotali officio indignos*, uti nonnulli calumniabantur hoc ævo; integro Canone Concilii Patres Sanctimoniam, Dignitatemque Ordinis Monaſtici tuendam prædicandamque meritò ſuſcepere, Pontificum, Epiſcoporumve ſanctiſſimos greges Monaſtici Propoſiti in veritatis ac charitatis Patrocinium vocando, ipſumque Monachorum Patrem ac Magiſtrum inſignem Benedictum, Eccleſiaſtica munia filiis ſuis minimè interdixiſſe, aſſerendo, his verbis: *Neque enim Benedictus Monachorum præceptor ſanctiſſimus, hujus rei vel aliquo modo interdicta fuit*. Parùm fuit Concilio Nemauſenſi Monaſticæ Profeſſionis merita attollere, ut abſque invidiâ Sacris Altaribus conſecrari digniſſimi cenſerentur, Clericalis caracteris ac Monaſtici Inſtituti prævià confœderatione. Quod amplius eorum in laudem ſanctitatis ac innocentiç cedit, ipſa eſt Eccleſiarum Parochialium declarata Capacitas; & non ſine admiratione, ſupra Presbyteros Seculares; *& plus valere*, ajunt Urbanus II. Conciliique Patres, *eorum peccata ſolvere, quàm Presbyteros Seculares*.

Can. 1. Can. 2. Can. 3.

Æquum modò eſt ex Nemauſenſibus Patribus Animadvertere Monachos prçferri Presbyteris Secularibus eâ eadem ratione, qua Ivo cenſuerat prçponendos Clericos Regulariter viventes. Monachi, quia Seculo nuncium miſerunt, ſectatoreſque ſunt Apoſtolicç Paupertatis, rerum temporalium abdicatione, Vitçque Communis converſatione, ideoque à Concilio ac ab Urbano II. aptiores ad ſolvenda peccata, pro Fidelibus ad preces fundendas, Sacramentaque adminiſtranda exiſtimantur, in conflictu indiſcriminatim poſiti Secularium Presbyterorum: *Secundùm Regulam Apoſtolicam vivunt, & eorum ſequentes veſtigia, Communem Vitam ducunt ... ideoque videtur nobis, ut his qui ſua relinquunt pro Deo, dignius liceat baptizare, Communionem dare, pœnitentiam imponere, nec non peccata ſolvere .. & plus valere eorum peccata ſolvere, quàm Presbyteros ſeculares. . . credimus igitur, à Sacerdotibus Monachis ligandi ſolvendique poteſtatem dignè adminiſtrari. Si tamen dignè contigerit eos hoc miniſterio ſublimari*. Quo loquendi modo uſus eſt Auguſtinus, dum Monachis Inſulæ Caprariç conſuluit, ne abhorrerent à functionibus Eccleſiaſticis, id poſtulante Eccleſiâ, dicens: *Si quam operam veſtram Mater Eccleſia deſideraverit*.

Can. 3. Can. 2. Epiſt. 48. num. 2.

II. Ad Canonicos Regulares retorquenda oratio nunc eſt, qui Monachorum Albo nequaquam inſcribuntur; quique Apoſtolicç Communitatis non ſolummodo imitatores eſſe gloriantur, immò ſpecialiori titulo & Clericatus, cujus gratiâ Beneficia conferuntur, cuique, ideſt Clericatui pro ornamento ſunt, eruntque ſemper, Vitæ Communis Votum, Expropriationiſque Profeſſio. Non ergo eos Beneficiorum Secularium ſpe exui fas eſt, ex capite Regularitatis, in Monachorum perſonâ, Secularitati Presbyterorum antelatç, eſto Eccleſia Monachis utatur, ut docuit Philippus Bonç Spei: *Cùm . . inter Clericos perſona congrua non occurrit*. Vel ut ſupra meminimus: *Si tamen dignè contigerit eos hoc miniſterio ſublimari . . Si quam operam veſtram Mater Eccleſia deſideraverit*.

Nec tamen diſſimulare liceat, aliquantulâ eſſe admiratione dignum, Beneficiis Secularibus eos, ſuper omnes Eccleſiaſticos, donari, quorum potiſſimum intollerata Prioribus Seculis immò proſcripta fuit, relaxatio ac deviatio à Prima Perfectione Apoſtolici Clericatus; id verò Clericorum genus, in cujus laudem extant innumera Concilia, (quorum Animis nil magis ſemperque inſedit, quàm Vitç Communis vinculo omnem Clerum devincire) prohibitionibus interpoſitis, pçniſque comminatis arcere, ne ſe appropiet iis tangendis Beneficiis, quorum legitima Poſſeſſio ab initio uſque Eccleſiç, quando Clericus Secularis non audiebatur,

huic

huic Clericorum Communiter viventium generi, ſuffragabatur. Et non aliâ potiſſimùm perſuaſione indicta prohibitio eſt, niſi quia Regulares ſunt; cùm contrà, ob hanc eandem rationem, quia Fideliores, tenaciſſimique fuere in retinendâ Veterum Clericorum Perfectione, cunctorum manibus admovendi, præferendique eſſent; omnique conatu eorum Jura ſarta tecta ſervanda, vindicięque aſſumendę.

§. X.

Concilium Pictavienſe anni 1100. *pro Canonicorum Regularium Capacitate Sententiam dixit, Diſſenſiones ac Controverſias omnes conciliavit.*

I. HOc anno milleſimo centeſimo in Galliâ Concilium Pictavienſe aliud celebratum eſt, ex Epiſcopis ac Abbatibus in ſolidum, numero octoginta, conflatum. Hunc Pictavienſem Conventum originem fortè habuiſſe, cum ex opinionibus, quæ tempore Concilii Pictavienſis, anni 1078. ut oſtenſum eſt, fervebant; tum ob Abbatis Sueſſionenſis umbras, ſive Causâ Diœceſanæ Synodi ſub Humbaldo, infeliciſſimę recordationis, Lemovicenſi Epiſcopo; vel probabiliter ex ſollicitâ nuperâ inveſtigatione, ab Aurelianenſibus Clericis Ivoni factâ indigitare licet.

Sive veri ſpecies aliqua affingi iis poſſit, quæ modo tetigimus de origine & Causâ hujus Congreſſus, vel non; veritas eſt, opiniones ac diſſenſiones in hoc Concilio copulatæ ſunt, immo pro Canonicis Regularibus, in conflictu præcipuè Monachorum, Capacitas adeo apertè propugnata eſt, quod ora contradicentium jure obſtruenda fore futuris ſeculis ſperabatur; juxta effatum S. Gregorii Magni

Lib. 7. Epiſt. 61. Indict. 2.

ajentis: *Valde Eccleſiaſticæ eſt moderationi conveniens ut quæ ordinata fuerint vel deciſa, nulla in poſterum debeant refragatione turbari.. Res autem judicata dicitur*, ut in jure docetur, *quæ finem controverſiarum pronunciatione judicis accipit. Quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit.*

Digeſt. l. 41. Tit. 11. de Re judicata.

Æquiſſimum eſt, ut præſenti argumento Thomaſſini auctoritate patrocinemur, qui, qua ex parte propenderit Concilium, fideliſſimè narrat.

Part. 1. pag. 698.

Vexata, ait, *eo tempore fuerat ea quæſtio, & magna hinc inde Animorum contentione excuſſa, an adminiſtratio Parochiarum Canonicis Regularibus permittenda eſſet. Iſtiuſmodi contentionibus ſedandis adlaboratum eſt in Concilio Pictavienſi.* Quo ex Concilio perſpicuum eſt, Canonicis Regularibus jus adjudicatum fuiſſe, ad Animarum

Can. 10.

gubernacula regenda, inconcuſſo hoc Canone: *Ut Clericis Regularibus juſſu Epiſcopi ſui baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, mortuos ſepelire liceat.* Hìc addere congruum ſit: *Cùm leges inſtitutæ fuerint, non erit liberum judicare de ipſis, ſed oportebit judicare*

Diſt. 4. In iſtis.

ſecundùm ipſas. Hoc etiam præ cæteris decretum fuit, ſcilicet: *Ut nullus Monachorum Parochiale miniſterium Presbyterorum, id eſt, baptizare, prædicare, pœnitentiam dare præſumat.* Hæc duo ſimul confert Decreta auctor Diſciplinæ, ideoque, agnito diſcrimine, quod Monachos inter & Canonicos Regulares eſt, ſcriptum reliquit

Par. 3. pag. 30. num. 7.

ſic: *Monachi hîc vetiti ſunt, permiſſi verò Canonici Regulares officia & functiones obire Parochorum... Latum Canonicis Monachiſque diſcrimen interponitur.*

Part. 1. pag. 698.

II. Petrus Bleſenſis poſt excluſos à functionibus Hierarchicis ab eo Monachos, Sermonem ad Canonicos Regulares revolvens hunc in modum effatur:

Serm. 36. apud Thomaſſin. loc. cit. pag. 699.

Vos autem imitatores Apoſtolorum multitudinis, quorum cor eſt unum, & Anima una, vobis & aliis providere poteſtis, & debetis Quæ Thomaſſinus verba perpendens, ullo abſque ſcrupulo addit, Petri Bleſenſis mentem dum explicat, ſic: *Id verò Canonicorum Regularium jus ad regendas Parochias, quàm inconcuſſum ſtaret. & quàm conſtanter illos à Monachis diſcerneret, luculenter prorſus aperit Petrus Bleſenſis.* Novum documentum huic veritati confirmandæ prodit nuper laudatus auctor, in id commonens plurima Concilia eo coacta fuiſſe tempore, quo Eccleſiæ Parochiales potiſſimùm reſtituebantur Monachis, eaque enumerat, nempe; Rothomagenſe Anni 1074., Vintonienſe in Angliâ anni 1076., Pictavienſe de Anno 1078. Pictavienſe aliud, de quo hîc agitur, Anno 1100. His minimè obſtantibus, Monachi conſtanter prohibiti ſunt Parochias per ſe gubernare ac regere; declaratum autem Canonicis Regularibus licere, poſſeque eos ac debere ſibi aliiſque invigilare, hoc eſt Populis Sacramenta miniſtrare, omneſque functiones Parochiales exercere:

Part. 1. l. 3. c. 22. n. 2. fin. pag. 697.

Conſtantiſſimè Epiſcopi antiquam Eccleſiæ Diſciplinam retinuere, ut ne Monachos Parochiarum gubernaculis admoverent. Cicero conſulens Domui ſuæ, hanc ſententiam dixit: *Quæſo Pontifices, Hominem cum homine, Tempus cum Tempore, Rem cum Re comparate.* Canonici Regulares

lares hujus temporis, ſi comparentur cum Canonicis Regularibus Tempore Concilii Pictavienſis, iidem ſunt Inſtituto, Profeſſione & fine; Beneficia quoque eadem ſemper fuere, quia Beneficia Eccleſiaſtica ſunt; expectandum ergo idem eſt judicium, quod à Patribus Pictavienſibus proditum eſt, Canonicorum Regularium favore ac gratiâ.

ARTICULUS IV.

Canonicorum Regularium Capacitati ad Beneficia Secularia, Sacri Canones Alexandro III. adſcripti, ſuffragantur.

§. I.

Cap. Monachi *de Statu Monachorum proponitur*.

Decretal. l. 3. tit. 35. Alex. III. Anno 1179. uſque ad Annum 1181.

I. VICEM ſui Ordinis dolent Canonici Regulares currentis ævi quia contrâ eos, in Cauſâ de qua agitur, caterva recentiorum ſcribentium Sacrorum Canonum armata utcunque pręſidio inſurgere nequaquam veretur, infracto animo opponens, Eccleſię Leges, Capacitati pręfatę, inluctabiliter obſtare; eiſque proinde Jus Commune minimè Patrocinari. Contingit perſępè, pro more quorumdam temporum, nubem Textuum coacervare, & ob oculos objicere, autumantes nonnulli manus victas daturos Canonicos Regulares, in argumentum reverentiæ Sacris Canonibus debitę. Hanc exhibere parati ſunt, reque ipsâ, exhibent; verùm nequaquam Textuum materialitatem attendendo, ſed ſanam, communem, verioremque eorum interpretationem ſpectantes. Num Sacri Canones Canonicorum Regularium prętenſioni ad Beneficia Secularia ſuffragentur, nec ne; ipſamet Sacrorum Canonum lectio dictabit. Si nullâ ex parte claudicarent Canoniſtę; aut ſi in idem expreſsè conſentirent Canonici Textus, certè in eis miraremur controverſię impoſitum finem. Verùm nonnulli Textus licet alieni ab argumento ſint, in oppoſitam allegantur partem; alii quamvis alios pręter Canonicos Regulares feriant, hos nihilominus Scribentes comprehenſos volunt perfunctoriè eos Textus aſpicientes, qui Capacitati Canonicorum Regularium auxiliantur, vel eorumdem prohibitioni minimè patrocinantur; juxta illud: *Quod enim non prohibetur, permitti intelligitur*. Hinc, num Sacris Canonibus Cauſa Capacitatis conſtet, nec ne; Opiniones planè ſunt, & diſſenſiones inter Canoniſtas, non facilè conciliandæ. Id tamen liquidò fiet, ſi Canonum Origo ſpectetur, quo medio, quia clarè Conditoris ipſiuſmet Canonis intentio, menſque elucefcet, nil eo ſatius, nilve opportunius Paci, & Veritati, quæ quęritur, obtinendę. Quoniam verò Canonum Conditores varii fuere Pontifices; lubet, Chronologicâ Methodo, Pontifices ipſos in medium proferre, unâ & Canones eis inſcriptos; ut, quę ſucceſſivis temporibus arctiſſimâ conglutinatione Textuum palàm decreta ſunt, veritati addant graviſſimum robur, in quamlibet partem deflectant. Communis enim Canoniſtarum, Canonumve conſenſus, ſi contrarius; altum ſilentium Parti victę indicet; ſi favorabilis; pruritui Scribentium medebitur, calamique aculei obtundentur; *Ne qui gratiam meruit, pœnam ſuſtineat*; & è contra.

Tit. 22. de fideijuſſor. C. Conſtitutus III.

II. Romę in Concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro III. tercentorum & amplius Epiſcoporum, Lateranenſes illi Patres ſanxerunt, quę Eccleſiaſticę Diſciplinę congrua cenſuere; inter alia de Monachis nonnulla decreta ſunt perperàm ad Canonicos Regulares tranſlata. Pręcepere ergo ſic: *Monachi non pretio recipiantur in Monaſterio: non peculium permittantur habere: non ſinguli per Villas & Oppida, ſeu ad quaſcumque Parochiales ponantur Eccleſias: ſed in majori Conventu, aut cum aliquibus Fratribus maneant: nec ſoli inter Sæculares homines ſpiritualium hoſtium conflictationem expectent: Salomone dicente: Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſublevantem*. Hoc ex Canone exortum eſt, *Caput Monachi*, relatum ſuprà, inter Decretalium Codices collocatum. Conſtat, ex hujus Canonis Lateranenſis ſive Decretalis Lecturâ, apertiſſimè horribiles comminari pœnas in Peculii poſſeſſores, in extremis agentes,

Can. 10.

Eccleſ. 4.

tes, inter anathematizatos habendos, ut nec Sacrificii Altaris compotes fierent, nec Eccleſiaſticâ Sepulturâ donari poſſent; & quia Concilium hanc regulam ad univerſos Religioſos extendit, quos ab Eccleſiâ arcebat, ſi irreconciliati interiiſſent; nequaquam deſunt qui contra Innocentii III. Sententiam, qua de Re prolixè ſuo infra loco, quidquid hoc Canone complectitur, indiſcriminatim omnes Religioſos unâ & Canonicos Regulares comprehendere, plus audent quam probent. En verba quę immediatè ſequuntur: *Qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres recipiat Sepulturam ... quod etiam de diverſis (univerſis) Religioſis præcipimus obſervari*. Hoc ultimum de univerſis Religioſis intelligere fas eſt, minimè verò ea omnia in Canone enarrata. Jure meritò intollerabilis inſcitię culpantur ſimilia autumantes, ceu immemores Innocentii III. diſcrimen interponentis ac diſtinquentis à Canonicis Regularibus Monachos: *Iſtud de Canonicis Regularibus non cavetur*, ſcilicet, nequaquam vetitum eſt, quod Canonici Regulares abſolutè Singuli, per Villas & Oppida, ſeu per quaſcunque Parochiales, ponantur Eccleſias. Titulus ipſe eos ab invicem diſcernit, qui ſic inſcribitur: *De Statu Monachorum & Canonicorum Regularium*; ibique legitur: *Sed quia converſi ad Religionem, vel voventes ingredi, efficiuntur ut plurimùm Monachi vel Canonici Regulares*. Hoc Canone Monachos & Canonicos Regulares longè diſtare ad invicem nec paucis, neque indoctis viſum eſt. Huic opinioni & Thomaſſinus ſe ſubſcribit per hæc verba: *Obſervat autem Innocentius III. in Decreto quodam ſuo, hoc Canone contineri Monachos tantùm, non Canonicos Regulares, quos tamen hortatur, ut Socium Regularem ſecum habeant, ſi commodè fieri poterit, in Eccleſiis, quarum Parochias adminiſtrant: ut mutuò ſe confoveant ſolatio. Unum Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam, cujus in his, quæ Dei ſunt & Regularis Obſervantiæ tam conſortio, quàm ſolatio perfruaris. Ejus autem diſcriminis ratio ex Innocentio inde expeditur, quod Canonici Regulares, non ita ſolitudini & ſilentio devoventur, ut Monachi, ſed Regulæ ſerviunt laxiori*. Hæc auctor Diſciplinæ crebrò laudatus. Ex quo igitur manifeſtum eſt hoc Canone Concilii Lateranenſis, unde enatum eſt *Caput Monachi*, Monachos tantummodo contineri, nequaquam Canonicos Regulares; nullâ proinde prohibitione interdicuntur Canonici Regulares, ne Soli inter Seculares homines commorentur, neve Soli ad quaſcunque Parochiales ponantur Eccleſias. Ex quo itidem Canone, id à Canonicis Regularibus concluditur, eos nempe, hoc ex eodem Textu derivare poſſe eorum ad Beneficia Secularia Capacitatem, quia nullo interdicto ſuppoſiti ſunt; juxta illud centies repetendum adagium: *Quod enim non prohibetur permitti intelligitur*. Audiamus hîc Chriſtianum Lupum: Et hinc nulla unquam Regula, nulla probata conſuetudo permiſit unicum in Cellâ Monachum. Etiam antiquæ Gallicanæ Synodi Cellas appellant Congregatiunculas. Et ſub Ludovici III. Imperio celebratus Abbatum Conventus ſtatuit: *Abbatibus licet habere Cellas, in quibus aut Monachi ſint aut Canonici, & Abbas provideat, nè minus de Monachis ibi habitare permittat, quam ſex.* Poſterior Decreti Pars, obſervat Lupus, omittit Canonicos. *Regulares enim Clerici deſtinantur ad Præfecturam & regimen Populi, præſumuntur eſſe Monachis perfectiores, ideoque poſſint ſimul degere in minori numero*. Ego tamen nequaquam id præſumo: eos maximis laudibus effero.

Cap. quod Dei timorem.

Part. 3. pag. 352. num. 2.

Ad Concil. Beneventanum tom. 4. pag. 266.

§. II.

Caput Monachi, *de ſententia Excommunicationis commemoratur*.

Lib. 5. Decretal. tit. 39. cap. 2.

Ibid. eodem tit. cap. 1.

I. Ejuſdem Pontificis Alexandri III. eſt Caput incipiens: *Super eo*; cujus Capitis pars eſt, Caput præſens: *Monachi* verò. Compilatores hanc Epiſtolam in partes ſecarunt, & diviſerunt, non aliâ de Cauſâ, quàm ut Caſus in eâ deciſos ſepararent, & non ita diffuſam Decretalem relinquerent. Hęc Epiſtola Archiepiſcopo Senonenſi inſcripta, Monachos, Canonicis Regularibus comparat in materia abſolutionis, in Caſu violentæ injectæ manus à Monacho in Monachum, à Canonico Regulari in Canonicum Regularem; hoc eſt, Pontifex indulget, ut Beneficium abſolutionis impenderet reſpectivè Abbas, (tollendi gratiâ divagationis occaſionem, ex Reſcripto etiam Bonifacii VIII.) quoties diſcretio Prælati ſufficiat; ſin autem, eorum correctio providentiæ Epiſcopi reſervata ſit. En Caput præſens immediate ſequens ex his ultimis verbis Capitis *Super eo* primi; *Si ex odio iidem Scholares, vel Seculares Clerici ſeſe percuſſerint, pro ſua abſolutione debent*

bent ad Apoſtolicam Sedem venire; Monachi verò, & Canonici Regulares, quocunque modo ſe in Clauſtro percuſſerint, non ſunt ad eandem Sedem mittendi, ſed ſecundùm providentiam, & diſcretionem ſui Abbatis Diſciplinæ ſubdantur. Pares quidem facit in Privilegio participando; non verò in Propoſito ſectando; ſicut æquales reddiderat in pœna Concilium Lateranenſe, ſi in extremis agentes inventi cum Peculio fuiſſent: *Quod etiam de univerſis Religioſis præcipimus obſervari*. Ly *Quod*, hîc eſt terminus reſtrictivè ſupponens; non omne quod in Canone continetur, complectens. Ad Hebræos ſcribens Paulus de Chriſto Domino, ait: *Qui non habet neceſſitatem quotidie (quemadmodum Sacerdotes) prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro Populi. Hoc enim fecit ſemel, ſe ipſum offerendo*. Pronomen *Hoc* nequaquam ad integram referendum eſt Periodum, ſed ad ultimam tantummodo ejus partem, ideſt: *Pro delictis Populi*. Eadem cautio & moderatio intelligentiæ ad alia Sacrorum Canonum Loca tenenda eſt. Nil certè à veritate longius abeſt, quàm ut Eccleſiaſtici Textus tam miſerandum in modum à nonnullis explicentur. Ubi Canones Monachos inſimul & Canonicos Regulares pares facit, ut contingit, Causâ interitus cum Peculio, vel injectionis manuum violentæ, clauſis oculis nuperi Scriptores nil aliud ſpectantes, concludunt, Monachos & Canonicos Regulares, iiſdem obnoxios eſſe Privilegiis ac præjudiciis; immemores alia eſſe Officia Clericorum alia Monachorum, alia Laneæ Cucullæ munia, alia Linei indumenti, ac, ſpectato radicitus Propoſito utriuſque Inſtituti, toto cœlo diſtare; neſcienteſque futili vanitate duci, qui Canonum plerumque pondere, licet abſque delectu relatorum, Canonicos Regulares obruere, eorumque jura opprimere, haudquaquam verentur.

Cap. 7. num. 27.

II. Quamquam inter Religioſos, ſanctitate ac morum innocentiâ clariſſimi inveniantur plurimi, nihilominus, & fortè ob hanc cauſam, ſuggerente humani generis hoſte, mutuæ inter Fratres oriuntur diſcordiæ, & exercentur violentiæ in Clauſtris, ſeſe plerunque percuſſionis crimine onerantes. Hinc vetitum fuit Religioſis deferre Cultellos acutos, ut de illis Ævi ſui ſcripſit Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis, in hæc verba: *Ac niſi de cultellis eorum pugionem provida ſuſtuliſſet antiquitas, ſæpius uſque ad alternas etiam mortes intemperantia deſæviſſet*. Pro his privatis, amarique animi ſacrilegis manuum in Correligioſos injectionibus, minimè verò pro virtutum ſplendore & famâ celebratiſſimis, nonnullæ extant Regulæ pro abſolutionis Beneficio ritè impendendo. Itaque Religioſus percutiens Religioſum ejuſdem Ordinis, poteſt abſolvi à Priore, Guardiano, Præpoſito ſeu ejus Prælato; dum tamen percuſſio gravis & enormis non ſit. Si verò Religioſus percuſſerit Religioſum alterius Ordinis, poterit abſolvi à proprio Prælato, ſed præſente Prælato Religioſi offenſi; itaque utriuſque Prælati conſenſu imponi debet condigna Satisfactio. Religioſus verò, qui Clericum Secularem percuſſit, non à ſuo Prælato præſente Epiſcopo, ſed ab Epiſcopo tantùm, ſi percuſſio levis fuit, abſolvi debet. Vide Gonzalez hîc.

Epiſt. ad Alexan. Papam.

§. III.

Caput Sanè, *de Regularibus*, *exponitur*.

Decretal. lib. 3. tit. 31. cap. 10.

I. SIgnificatum Alexandro III. fuit Canonicum quemdam Regularem ab Eccleſiâ Aromatenſi, in quâ Vota Solennia nuncupaverat, interpoſitâ Profeſſione, clam aufugiſſe, & ad Monachorum Clauſtra ſe contuliſſe, à quodam Abbate Monacho exceptum. Orta hinc fuit quæſtio, num redire ad Canoniam Regularem eſſet compellendus, an inter Monachos vivere permittendum ei foret. Alexander III. Epiſcopo Ambianenſi reſpondit, inſpiciendum eſſe, num Strictiorem Diſciplinam, aut Laxiorem repererit. Si remiſſius inter Monachos vixit, ad ſuos Concanonicos redire cogatur. Si auſterior obſervantia inibi inventa ſit, ibi remanere permittatur: *Sanè de Canonico*, en verba Alexandri, *qui in Eccleſia Aromatenſi Profeſſionem fecerat, & fugerat, à quodam Abbate recepto in Monachum, id tuæ fraternitati ſignificamus, quod ſi locus ubi nunc permanet, majoris eſt Religionis, quàm Eccleſia Aromatenſis, ipſum in eodem loco cum purâ conſcientiâ remanere permittas, alioquin eum ad Priorem Eccleſiam redire compellas*. Hæc ſpecies eſt facti, hæc definitio Pontificis.

Duo conſiderare ex hoc Canone licet: Primum, Si Canonicus Regularis ad *Gloſſa hîc.*

Mona-

Monaſterium Monachorum tranſeat, causâ Levitatis, vel Vanitatis, non petitâ licentiâ, ad Canoniam reduci cogitur, & in vituperium memoriale Cucullam portet. Alterum eſt, ſi Canonicus Regularis causâ majoris Religionis & bono zelo ad Monachorum Clauſtra, ac Propoſitum tranſeat, ibi manere compellitur. Bono ductos ſpiritu æquum eſt cogitare aliquot Canonicos Regulares tranſiiſſe ad Monaſticum Ordinem, videlicet, teſte Burio: *Stephanum IV. ex Canonico Auguſtiniano factum Monachum Benedictinum . . Leonem Tertium, & Stephanum Decimum.* Quid ergo hoc ex Canone contra Capacitatem Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia concluditur, cùm nonniſi ſignetur Caſus ſcilicet Canonicum Regularem Religioſiori ſpiritu excitatum, ſe recipere inter Monachos poſſe, Monachorumve Albo, ut perfectius vivat inſcribi. Nec eſt qui ſomniet quod Canonicus Regularis, tranſiens ad Strictiorem Ordinem, Votis, Diſciplinæ, Regulis minimè addictus ſit, ejus quam ingreditur Religionis, ac proinde amplius ei Tridentinum ſuffragari, immò agendum eſſe cum illo jure meritò cenſemus, juxta morem Monachorum, & Translatorum Canonicorum Regularium.

Edit. Pata. 1724. Anno 768.

§. IV.

Lib. 3. tit. 31. c. 9.

Caput Super eo, *de Regularibus*, *oculis ſubjicitur*.

I. Hic de nonnullis Clericis agitur quarundam Eccleſiarum Secularium ſervitio addictis, qui Religionis Habitum ſusceperunt, ſed ut ponit Gloſſa: *Eo animo ut ad Seculum non redirent*; ſeu: *Renuntiaverunt ſeculo generaliter*. Verùm antequam Profeſſione eſſent obſtricti, ad Priorem Statum ſunt reverſi, ut habet Textus, vel reverti cupiebant, hoc eſt ad Eccleſias Seculares. Dubitatum fuit, num remanere poterant in iiſdem Eccleſiis Secularibus, causâ ſervitutis, ut prius. Alexander III., Epiſcopo Helienſi, mentem aperuit ſuam, hunc in modum: *Si auſteritatem Religionis ad quam migraſſe noſcuntur, ſervare noluerint, ad minorem Religionem ſunt cogendi tranſire*: addit ulterius: *nec amplius in Eccleſiis Secularibus debent aſſumi*: rationem ponit: *Ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur*. Certè ſi ii, de quibus loquitur Textus, Clerici qui habitum Religionis receperunt, propoſuere abſolutè vitam mutare, vovendo in Communi Statum Religioſum; tunc, etiamſi Profeſſionem non emiſiſſent, in eâ, vel aliâ ſaltem mitiori Religione, ex indulgentiâ Pontificis, cogendi erant, Propoſitum, id eſt, Votum adimplere. Votum autem Religionis generaliter ſeu abſolutè elicitum, minimè abſolviſſent, ſi ad Priorem Statum rediiſſent, videlicet, ad priſtinum Eccleſię Secularis ſervitium. Si verò conditionaliter habitum Religionis ſusceperunt adeo ut, ſi placuiſſet Vita Religioſa; eam profeſſi fuiſſent, Si verò diſplicuiſſet, ad Seculum rediiſſent, proculdubio potuiſſent ad Seculum redire, quia hac in hypotheſi nullum Votum in Communi ſive generaliter emiſerunt.

Gloſſa ibi.

Hinc liquet, quàm perperam utantur hoc Canone nonnulli contra Capacitatem Canonicorum Regularium, attendentes verba ſolummodo: *Nec amplius in Eccleſiis Secularibus debent aſſumi, ne contra votum quod Domino fecerunt, venire probentur*; veluti ſubinferentes, Canonicos Regulares adeuntes Beneficia Secularia, uti fædifragos, contra Votum agere ac æquiparari Canibus ad vomitum redeuntibus. Quare non, pacato animo, ut optatiſſimum eſſet, obſervant Critici ſcribentes Gloſſæ explicationem, videlicet Clericos hos Habitum ſuſcepiſſe: *Eo animo, ut ad Seculum non redirent . . . Renuntiaverunt Seculo generaliter*; Simulque Habitum Religionis minimè induiſſe Conditionatè, immò Abſolutè, renuntiantes Seculo generaliter? Non erat eis amplius igitur locus redeundi ad Eccleſias Seculares; cum amata Secularitas, & Regularitas Votiva omnibus numeris abſolutè promiſſa, quàm maximè inter ſe diſtent, nemo neſciat.

II. Plurimùm prodeſſe Canonem hunc Canonicis Regularibus, ecquis non videt, præcipuè ſi Canonicorum Lateranenſium Formulæ Profeſſionis, memores erimus. Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis, nè dum haud renuntiant Seculo generaliter, ac eo animo, ut ad Seculum amplius redeant, immò in actu Solenni Profeſſionis, explicitè proteſtantur acceptaturos ſe cujuſque generis Beneficia Secularia: *Intra vel extra Religionem*, ſolâ accedente Superioris eorum licentiâ, ut ſuo infra loco. Non eſt abſoluta eorum Profeſſio quo ad omnia; reſervarunt ſibi libertatem egrediendi â Clauſtris Regularibus, Beneficiorum Secularium causâ;

ſâ ; adeoque contra Votum minimè convincuntur venire, ſed potius juxta Profeſſionem ab Eccleſiâ acceptatam per tot Secula, agere prætendunt. Quia ergo Clerici in Textu poſiti, abſque conditione ullâ Domino devoverunt permanere in Statu Religioſo, & nuntium miſerunt Secularitati omni; *Renuntiaverunt Seculo generaliter;* illicitum eis erat redire, ut prius, ad Seculare ſervitium Eccleſiæ Secularis. Ex adverſo Canonici Lateranenſes, quia profitentur hac cum reſervatione redeundi ad Seculum; hoc ſenſu, videlicet, ut Fidelibus Secularibus inſerviant, poterunt de Seculari Beneficio provideri; ac proinde Canonicis Regularibus neceſſe eſt Textum hunc ſuffragari.

§. V.

Capitis, Præterea, *de Præbendis & dignitatibus*, Caſus declaratur.

Decretal. lib. 3. tit. 5. cap. 14.

I. INter Decretales Tertii hujus Libri Alexandro III. inſcriptas, de quodam Gaufrido ſeu Geufrido Canonico Regulari, qui in duabus Eccleſiis, Burdegalenſi ac Toloſanâ, duplici Archidiaconatu potiebatur, quique, *in utraque Eccleſiâ regulariter erat profeſſus*, Caſus narratur. Hic ex indulgentia Alexandri III. optionem habuit, ut quem ex duobus Archidiaconatibus retinere ſibi maluiſſet, ſibi retinuiſſet, alterum verò dimitteret. Obſervat Gloſſa Monachum non poſſe in duobus Monaſteriis eſſe Abbatem, neque ab uno eodemque Clerico, plures haberi poſſe Perſonatus, in eadem ſive in diverſis Eccleſiis. Sicuti enim, duæ militiæ, & duo honores nequeunt poſſideri; multò fortius in ſpiritualibus honoribus obſervandum videtur. Declaraverat idem Pontifex rationi minimè eſſe conſonum, immò omninò contrarium, in diverſis Eccleſiis Clericum officio fungi Archidiaconatus & Decanatus; ſcribens Archiepiſcopo Salernitano, huic fundamento innixus: *Cùm ſingula officia in Eccleſiis aſſiduitatem exigant Perſonarum*. Itaque uniformiter ad id, Alexander III. Archiepiſcopo Burdegalenſi ſignificavit, ut præfatum Gaufridum, *altero, quem maluerit, Archidiaconatu faceret eſſe contentum*. Gonzalez in verbo, *Regulariter profeſſus*, notat ſic: *Olim enim in utraque Eccleſiâ Metropolitanâ, Burdegalenſi videlicet, & Toloſana, Canonici Vitam Regularem profitebantur, juxta Regulam Divi Auguſtini*. Alterum obſervat Gloſſa his verbis: *Eſt Argumentum, quòd Canonicus Regularis poteſt fieri Archidiaconus*. Hìc reflectere licet, Gloſſam indeffinitè loqui; non enim coarctat hanc Capacitatem ad Eccleſias Regulares, ſed ad Canonici Regularis Perſonam. Quid enim novum docuiſſet arguendo in Eccleſiis Regularibus Metropolitanis, ubi regulariter juxta Regulam Divi Auguſtini Vita Communis ducebatur, Unum ex ejuſdem Eccleſiæ Canonicis Regularibus profeſſis munia Archidiaconatus Regularis obire potuiſſe?

Ibi. — *Ibid. cap. Ad hæc 13.* — *Gonzalez hic.* — *Gloſſa hic.*

II. Quàm ſit abſurdum in Canonicos Regulares Canonem hunc convertere, quòd utique nonnulli faciunt, nihil aliud conſiderantes, præter quàm Alex. III. Mandatum de Archidiaconatu dimittendo in Perſona Canonici Regularis. Non juſſit Pontifex, ut Canonicus Regularis Archidiaconatu expoliaretur; immò, ut eum ſibi benè viſum retineret. Suprà diffinierat idem Pontifex, ut unus Clericus in unâ vel diverſis Eccleſiis plures Dignitates, vel Perſonatus non obtineret. Quod etiam prohibuit Innocentius III. in Concilio Generali Laterani habito, addendo: *Etiam ſi Curam non haberent Animarum*. Quomodo ergo Canonicis Regularibus objici poſſit hic Textus, tanquam infenſus, minimè percipio; Imò inſinuat valde firmiter, Canonicum Regularem fieri poſſe Archidiaconum in quacunque Eccleſiâ.

Cap. Ad hæc cit. — *Eod. tit. 5. Cap. de Multa 28.*

AR-

ARTICULUS V.

Anno 1200. circit.

Canones Innocentio III. adjudicati, Capacitati Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia, nequaquam obſunt.

§. I.

Lib. 3. Decretal. cap. 5. tit. 35.

Caput Quòd Dei timorem *de Statu Monachorum & Canonicorum Regularium primò conſiderandum occurrit.*

Al. litt. 5. Gavinii.

I. SUB Innocentio III. Pontifice verè Maximo, omnium Ore laudata Decretalis, *Quod Dei timorem* nuncupata, emanavit. Quænam fuerit Facti ſpecies, nempe; Num Ubaldus, Plebanus S. Gabini, de quo loquitur Textus, Canonicus Regularis extiterit, qui tranſire cuperet ad Monaſticum Propoſitum, an Presbyter Secularis, qui Canonicorum Regularium Habitum aſſumere intenderet, non adeò clara res eſt. Verùm quomodocunque Caſus figuretur, Canonicis Regularibus hic Canon mirificè prodeſt. Eruditionis gratiâ, Prima ſuppoſitio num ſubſiſtat, diſpiciamus. Verba Pontificis in Canone poſita, immò in exordio, ex Sanctis moribus Plebani deducta, videlicet: *Tuùm in Domino propoſitum commendamus.. Ad frugem melioris vitæ tranſire deſiderans.. Promiſſionem de tua converſione feciſti;* ſatis innuunt deſiderium Status virtuoſioris arctioriſque vitæ, quia ut plurimùm ad indicandam Monaſticam Profeſſionem uſurpantur. Præmiſit in hunc finem Reſignationem Plebaniæ in manibus Epiſcopi; declaravit hanc converſionem coram Concanonicis S. Victoris Bononienſis Canonicorum Regularium; verumtamen Solemnem adhuc Profeſſionem neque emiſerat, minimèque habitum ſuſceperat. Adde, indulgentia Pontificis de ſocio Canonico Regulari, valde id probat; ut etiam infra.

Gonzalez hîc. Gonzalez in Cap. cum hic, de major. & obed.

Notandum hîc venit à multo jam tempore extitiſſe in Plebano deſiderium converſionis, ſeu melioris vitæ, uti liquet ex verbis Canonis: Sanè ſicut *jam dudum* auribus noſtris inſonuit, *quondam* ad frugem melioris vitæ.. hinc orto ſcrupulo tam prolixæ Dilationis in adimplendo Voto concepti Propoſiti, angebatur Plebanus timoris Dei plenus, & grave nimis reputabat diu protractam habitus ſuſceptionem. Huic primo Conſcientiæ ſtimulo occurrit Pontifex variis incitamentis in levamen Plebani adhibitis. Non enim ipſe erat in culpâ, ſed potius alii, qui, ut ſcribit eidem Innocentius III.: *Deſiderium tuum hactenus retardarunt;* videlicet, Comes Albertus, & Parochiani Plebis, attendentes eum laudabiliter præfuiſſe, & pro ejuſdem receſſu, eidem loco jacturam non modicam fore futuram. Præceſſerat inſuper conſenſus Epiſcopi Florentini; annuerat & Legatus Apoſtolicæ Sedis; acceſſerat petita ratificatio Papæ à Comite & Populo; & præſertim quia Dilatio ſucceſſerat de licentia Superioris: *Cùm de licentiâ Prioris Sancti Victoris Bononienſis dignoſcaris hactenus id feciſſe.* Æquum erat ergo his rationibus acquieſcere, & Prioris ſcrupuli, quo excruciabatur pius Plebanus, pro dilatâ converſione promiſsâ, anguſtias deponere.

II. Quoniam autem in Plebano fervor pietatis verè erat commendabilis, alius eum ſcrupulus tenebat. Audierat ſiquidem paucis ab eo tunc annis, in Concilio Romano Generali ſub Alex. III. Laterani coacto, Monachis vetitum, ne ſinguli per Villas, & Oppida, ſive per quaſcunque Parochiales ponerentur Eccleſias, ſed in majori Conventu, aut cum aliquibus Fratribus manerent.. Fortè cogitaverat Canonicos Regulares, ob eorum Vota, ſub prohibitione Concilii Lateranenſis comprehendi, ideoque opus ei eſſe abrenunciare Eccleſiæ Parochiali, vel alios ſibi adſciſcere Regulares Canonicos, ne Solus inter Seculares homines ſpiritualium hoſtium conflictum expectaret. Commonendus erat hic Plebanus erroris ſui, Canonicos nempe Regulares comprehendi ſub Canone Concilii Lateranenſis; hinc Innocentius III. errorem depulit, certiorem Plebanum reddens, minimè contineri

neri

neri Monachorum jure, expreſſiſſimis his verbis: *Licet autem in Lateranenſi Concilio de Monachis caveatur ne ſinguli per Villas & Oppida per quaſcunque Parochiales ponantur Eccleſias.. Quia tamen illud de Canonicis Regularibus ſpecialiter non cavetur.. Sic annuendum duximus poſtulatis, ut exercens Plebani officium, ſi commodè fieri poterit, unum Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam: cujus in iis, quæ Dei ſunt & Regularis Obſervantiæ, tam conſortio quàm ſolatio perfruaris*. Placuit Innocentio III. ſic reſpondere, ut ejus menti fortè angenti mederetur, & Poſtulationibus aliorum id eſt: *Prædictorum Parochianorum, ſatisfaceret*; atque, ut zelo pietatis ejus obſecundaretur, pronus fuit Innocentius III. in conceſſione Socii Canonici Regularis, nequaquam abſolutè, neque ex debito, verùm ſolummodo conditione præmiſsâ: *Si commodè fieri poterit*. Jure ergo poterat Plebanus hic in adminiſtratione Parochiæ continuare tutâ conſcientiâ; Concilio Lateranenſi minimè obſtante, ſed neque pietate repugnante, cùm omnibus factum fuerit ſatis ab Innocentio III. ſi hæc eſſet figura Caſus, vel facti ſpecies, colligere liceret etiam ante Innocentii III. tempora, Canonicos Regulares incoluiſſe Eccleſias Seculares, incubuiſſeque regimini Parochialium Eccleſiarum, nullo eis obſiſtente Conciliari Statuto, uſque ad Innocentium III. *Gloſſa hic.*

III. Veriùs tamen figuratur caſus in Perſonâ cujuſdam Presbyteri Secularis laudabiliter ſe gerentis in Plebania S. Gabini, cujus cordi inſederat deſiderium tranſeundi ad melioris vitæ frugem, convertendo ſe ad Canonicos Regulares S. Victoris Bononienſis. Cauſæ retardantes habitus ſuſceptionem eædem ſunt, quę ſupra, quæque huic Presbytero applicantur; motivaque ſimiliter eadem propriæ quietandæ conſcientiæ, proponuntur. Sanatur inſuper hoc etiam in Caſu error ſcilicet, quòd ſi Canonicus Regularis fieret, nil ei reſiſtebat, quin retinere potuiſſet Parochialem Eccleſiam, quia de Canonicis Regularibus nil caverat Concilium Lateranenſe. Et ob hanc præciſè interpretationem obtinendam, conſultò interrogatus fuit Innocentius III., ut ait Gonzalez: *Innocentius III. Conſultus fuit, non ut diſpenſaret cum Plebano S. Gabini, ut vulgò creditur, ſed ut exponeret, interpretareturque prædictam prohibitionem Concilii Lateranenſis*. Eandem opinionem legimus apud Fagnanum: *Argumentum non procedit in Canonicis Regularibus, quia ipſi de jure præfici poſſunt Eccleſiis Parochialibus, ut eſt caſus in hoc Capite, ubi Decretum Lateranenſis Concilii, quo Monachi prohibentur præfici Parochialibus Eccleſiis, declaratur non habere locum in Canonicis Regularibus*. Ubi autem intervenit declaratio, & ubi jus invenitur, nulla dignoſcitur diſpenſatio, ſive legis injuria. Huic etiam adhærens Textui Sacra Romana Rota, quęrendo num Canonico Regulari provideri poſſit de Beneficio Curato Seculari cum licentiâ Superioris, hunc in modum decidit: *Poſſe per Textum quod Dei timorem*. Juxta hanc Decretalem & Eminentiſſimus Petra diſtinguit, *Jus Antiquum & Noviſſimum*; convenitque in eo, Canonicum Regularem Capacem eſſe Beneficii Secularis Curati: *De jure Communi*.

Gonzalez hic.

Cap. quod Dei timorem num. 40.

Suo infra loco. Tom. 2. pag. 11.

IV. Ex his colligere licet pro Priori ſuppoſitione, ut ſupra notavi, ante Innocentii III. ævum conſueviſſe Canonicos Regulares Parochiales Eccleſias excolere, nulla mentione facta penuriæ Sacerdotum, vel prævia diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, immò hìc commemoratur ſpecialiori titulo: *Licentia Prioris Sancti Victoris Bononienſis*. Licentiæ hoc in Capite deſcriptæ, Epiſcopi, Legati, ratificatio petita à Summo Pontifice neceſſariæ quidem reputabantur, ex eo quòd Plebanus quo ad ſe jam renunciaverat Beneficio, ac publicam promiſſionem fecerat de ſe convertendo ad frugem melioris vitæ; ideoque non erat ei licitum diù protrahere concepta adimplere Vota. Nec novum quid ſi compuliſſet eum prius dimittere Curam, ut redderet Domino Votum ſuum. Innocentius idem III. cuidam, qui emiſit Votum Solenniter ſuſcipiendi habitum Regularem in Gratianopolitana Eccleſiâ, & poſtea promiſit quòd intra certum tempus Votum quod emiſerat adimpleviſſet, quique, termino tranſacto nedum Votum ſuum non curavit adimplere, factus Voti tranſgreſſor; verùm etiam interea vocatus fuit ad regimen Eccleſiæ Gebennenſis, huic inquam, conſideranti intra ſe, quòd Votum emiſerat, nec fecerat, quod promiſit, ac ſimul petenti conſilium ab Innocentio III., quid eum facere oporteret; Reſcripſit Pontifex, ut ſi ſuam ſanare deſideraret conſcientiam, reſignaret regimen Eccleſiæ Gebennenſis, & redderet: *Altiſſimo Vota ſua*. Nihil horum egit hìc Innocentius III., fortè quia Plebanus minimè tranſgreſſus eſt Votum ſuum. Pro primâ ſuppoſitione plurimùm facit indulgentia Pontificis de Socio Canonico Regulari ei concedendo. Quia conſtat Profeſſionem ſolemnem minimè apud

Lib. 3. Decretal. tit. 34. c. Per tuas 10.

Monachos emiſiſſe, neque habitum Regularem Monaſticum induiſſe. Si fuiſſet Presbyter adhuc Secularis re & habitu, & perſeveraſſet adminiſtrare ibidem, non benè conveniſſent ſimul in eadem Parochia, Presbyter Secularis, animo tantummodo Canonicus Regularis, & Socius, Canonicus Regularis Profeſſione, habitu ac converſatione. Ulterius, ne fortè Plebanus zelo eximię pietatis, quo ſplendebat Ordo Monaſticus, induceretur habitum Canonicorum Regularium exuere; Pontifex oſtendit ei quòd licet Canonici Regulares laxiori Regulæ incumbant, inſerviuntque; nihilominus: *A Sanctorum Monachorum conſortio non putantur ſejuncti*. Hoc prius dixerant Patres Aquiſgranenſes, his diſertis verbis: *Non tamen in cavendis vitiis & amplectendis virtutibus, eorum, à Monachorum diſtare debet vita*. Placuit inſimul Innocentio III. addere, quòd ſi etiam ad Ordinem Monaſticum tranſiiſſet, minimè adhuc opus fuiſſet regimini Parochiali nuncium remittere, quia: *Per antiquos Canones etiam Monachi poſſunt ad Eccleſiarum Parochialium regimen in Preſbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium, quod Privilegiatum eſt, exercere*. Quæ verba ponderans exponenſque Thomaſſinus ait: *Suprà non Parochos tantùm, ſed & Epiſcopos vidimus ex Monachis ordinatos (unius contemplatione Verbi Divini) quòd illi gnaviter circumjacentibus ethnicis annunciabant*. Propter igitur Verbi Divini Prædicationem, cujus gratiâ meritò Privilegia quælibet concedebantur, & quia ipſi eâ cæteris præcellebant; Parochias Monachi adminiſtrabant.

Can. 115.

Part. 1. l. 3. c. 22. num. 3. pag. 698. init.

Pro ſecundâ verò ſuppoſitione, videlicet, quòd fuerit Presbyter Secularis hic Plebanus deſiderans tranſire ad frugem melioris vitæ apud Canonicos Regulares Sancti Victoris, faciunt verba Textus, id eſt: *Promiſſionem de tua converſione feciſti, neque ſolemnem profeſſionem emittens, neque habitum Religionis aſſumens*; ex quibus verbis aliqui inferunt; *& ita non fuit Canonicus Regularis*. Et quamvis Textus hoc nequaquam exprimat ad litteram acceptus, quidam tamen dicunt, ut notat Gloſſa: *Quòd fecerat Profeſſionem*; ſiquidem non repugnat quod poſtea proceſſerit in Voto, in ſolenni profeſſione, & habitus ſuſceptione. Huic rectè conſonat deputatio illa in Socium Canonici Regularis, ſi commodè fieri poterit: Nam ſi fuiſſet ſolum Canonicus Regularis ex promiſſione ſive ex inclinatione, adhuc tamen fuiſſet in habitu Seculari, neque tam ſtrictè debuiſſet ea quæ erant obſervantiæ Regularis adimplere, velut ſi profeſſus fuiſſet, ac proinde in uno miniſterio non rectè congruiſſent Plebanus Secularis, & Socius Regularis. Poſſumus igitur aſſerere fuiſſe à principio Plebanum Secularem, & ſubinde in decurſu temporis Profeſſionem emiſiſſe, eſto expreſsè hoc non dicat littera quæ non loquitur niſi de tempore quo interrogatus fuit Pontifex. Non erat ſiquidem neceſſe ut hoc poneret; quia Papa hoc in negotio ſolummodo rogatus fuit, ut Plebanus exerceret officium ſuum tutâ conſcientiâ; nec eum excruciaret promiſſio minimè adhuc impleta, quòd ſolus poterat Pontifex. Cæterùm utrum remanſerit in officio Plebani emiſsâ Profeſſione; nec ne; hoc eſt alienum à præſenti Textu, ex quo tantummodo inferre licet, quod ſi emiſiſſet Profeſſionem, potuiſſet adhuc continuare in Plebaniâ, cùm Concilium Lateranenſe, hoc in Canone interpretatum, minimè vetuerit Canonicis Regularibus, ut ſoli habitarent in Villis, & per quaſcunque Parochiales ponerentur Eccleſias. Subſiſtat prima ſuppoſitio, vel ſecunda, utrobique Textus Canonicis Regularibus favorabilis eſt. Addo, etſi per ſolam Promiſſionem tranſeundi ad frugem melioris vitæ debuiſſet hìc Plebanus ea quæ Obſervantiæ Regularis erant adimplere, ſive debuiſſet vivere regulariter tanquam profeſſus, ut ponit Gloſſa, hoc nullam inducit obligationem adſciſcendi ſibi in Socium unum Canonicum Regularem; circumſpectiſſimè enim & moderatiſſimè egit Innocentius III. per illa verba: *Si commodè fieri poterit*. Nam commoditas poteſt deeſſe vel ex Paupertate Plebaniæ, vel ex penuria Canonici Regularis, qui poſſit abeſſe à Clauſtro abſque detrimento obſervantiæ in Monaſterio. *Sic annuendum duximus poſtulatis*; non fuit ergo obligatio impoſita arbitratu ſuo à Pontifice, ſed indulgentia Parochianis conceſſa; *ut exercens Plebani officium, ſi commodè fieri poterit, unum Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam*; non ait ad neceſſitatem; *Cujus in iis, quæ Dei ſunt & Regularis Obſervantiæ, tam conſortio quàm ſolatio perfruaris*. Quo Pontificis conſilio Textus explicit.

V. Obſervanda veniunt verba Canonis, *Quod Dei timorem*, in Perſona Canonicorum Regularium, videlicet: *Qui etſi à Sanctorum Monachorum conſortio non putentur ſejuncti, Regulæ tamen inſerviunt laxiori*. Non facilè adduci poſſum, ut credam, ad comprobandam Capacitatem Canonicorum Regularium ad ſpirituale regimen

Ani-

Animarum placuiſſe Innocentio III. hoc uti fundamento ad differentiam Mona-
chorum, Canonicos nempe Regulares laxiori Regulæ inſervire; intellecto hoc ter-
mino *Laxiori*, pro Regulâ, quæ faciem præſeferat vitæ otio deditæ, libertatis haud
Pœnitentiæ amicæ, relaxationique indulgentis, ut nonnullis autumare perperam
non diſplicuit. Fatetur Pontifex Canonicorum Regularium vitam minimè debe-
re longè diſtare à Sanctorum Monachorum conſortio; & quia excipit Regulam
aliquantulum ratione finis laxiorem Regulâ Monachorum ſolitudini ac ſilentio ex
proprio Inſtituto debitorum, falsâ interpretatione verba convertunt in eorumdem
Canonicorum Regularium, immo in Sancti Pontificis contumeliam, velut doce-
ret mores à virtute remotiores inter requiſita computandos pro fructuoſiore Ani-
marùm directione. Conſultiſsimè voluit Ivo Carnutenſis in ea quam ſcripſit Epi-
ſtolâ ad Galterum, ut ſupra innuimus, Canonicos Regulares gubernio populo-
rum admotos hoc caractere donatos, id eſt, ut eſſent: *Viri prudentes & maturi*,
& igne tentationum probati.. qui Seculo renuntiaverunt .. voluptates & pompas Seculi
contempſerunt. Credi igitur ne poteſt, tam Sancto, doctoque Pontifici arriſiſſe ſive
in mentem veniſſe Canonicos Regulares, ideo Parochiis deſtinari poſſe eo quia
delicatioris Vitæ amatores ſunt?

Non injucunda, ut reor, nec infructuoſa erit hujus termini *laxior* enucleatio.
Indicare ſanè voluit Pontifex Canonicorum Regularium Inſtitutum nequaquam
ſilentio, fletui, ſolitudini ſacrum fore, immò Populis eos oportere vivere, om-
nique ope ac ſtudio eis adeſſe adverſus mundi imitatores, exemplo Clericorum Di-
vi Auguſtini, de quibus ac de ſe concionando Plebi, ajebat: *Vobiſcum hic vivimus,* *Serm. 355.*
& propter vos vivimus; hæc ſiquidem, ut ait, idem in eodem Sermone, eſt Cle-
rici conditio, aliis non ſibi vivere: *Clericatus propter Populum*. Senſus hic termini *Cap. 4. num. 6.*
laxior eſt, ut Clerici, qui licet vincere moribus Monachos teneantur, eo quia ex
Divo Hieronymo: *Patres ſunt Monachorum*, ſoli manere valeant in Parochialibus *Ad Furiam.*
Eccleſiis, cum contra eos nil cautum fuerit in Concilio Lateranenſi, ut diffiniit
Innocentius III. Huic porrò libertati aliundè laborioſę, moleſtæ, ac plurimæ ſol-
licitudinis plenæ, quam ſola Caritas dulcem, ſuavemque reddit, & cui præferre-
tur ſummopere aliquando ſolitudinis, propriæque ſollicitudinis amor, huic, in-
quam, libertati Regulæ connectitur ſumma auſteritas vigore Conſtitutionum, qua-
rum Diſciplinâ Canonicorum Regularium Regula Strictior ac rigoroſior eſſe po-
teſt Regulâ Monachorum, Fagnano teſte in verbo: *Laxior*, his verbis: *Regula Ca-*
nonicorum eſt laxior quam Monachorum, ſed per Conſtitutiones poteſt eſſe Strictior. Et *Tom.2. in 2.part. l.3. decretal.*
quoniam Canonicorum Regularium Profeſsio ea præcisè eſt, non ſibi placere,
ſed pro aliis occupari, & Hierarchicis miniſteriis tota incumbere, juſtiſsimè in
eos animadvertitur, quotieſcunque otio dediti inveniuntur in Villis, in Oppidis,
vel Eccleſiis ſoli habitare. Synodus Eboracenſis Seculo 15. Sancivit, ita exigente
eorum temporum, ac Locorum Diſciplinâ ſi Monachi ſeu Canonici Regulares, per
maneria vel Eccleſias ſoli morarentur, ut: *Vel ſibi unum Monachum, vel Canonicum* *Anni 1466. col.*
Sociare ſtuderent. *1483. apud Hard. tom. 9. Concilior.*

§. II.

Caput Cum Cauſam *de electione & electi poteſtate exponitur*. *Lib. 1. Decretal. tit.6. c. 27.*

I. VAcaverat in Civitate Lucę in Etruriâ in Eccleſiâ S. Petri titulo conde- *Priori S.Frigdiani 5. & 5. Cano-*
coratâ, eo tempore Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Prio- *nicis Lucanis.*
ratus. Ne diu abſque causâ protraheretur Eccleſiæ, Monaſteriique *Innocen. III.*
viduitas, ſtatâ die convenere in unum Canonici Regulares S. Petri pro novi ele-
ctione Prioris. Major pars Vocalium oculos intenderat in quemdam Presbyterum
Monaſterii incolam, cui nomen, Bonus: *Presbyter Bonus à majori parte Canonico-*
rum ejuſdem Eccleſiæ.. in Priorem eſt electus. Quidam Canonici Regulares, quos inter
unus nuncupatus Brunus, acriter reſtiterunt, contradixeruntque electioni eâ gravi
ratione, videlicet, quia Bonus Presbyter: *Non eſt profeſſus Obſervantiam Regula-*
rem. Cardo in hoc præcisè vertebatur, minimè autem in Simoniæ labe in Bo-
num objectâ, ſed neque in modo electionis, eſto eam à Canonum Regulâ recedere
Brunus dixiſſet cum Sociis. Hac nequaquam obſtante contradictione, ea Pars in
Bonum propenſa, Canonicam eſſe electionem contendebat, ac à novitate abhor-
rere, cùm plurima præceſsiſſent exempla Priorum Regularem Obſervantiam mi-

 nimè

nimè profitentium : *Multi Priores continuè unus poſt alium in ipſâ Eccleſiâ per multa & longa tempora fuerint, non profeſſi*. Morem hunc inveteratum difficultati pondus auxiſſe, certa res eſt. Et quoniam judices Cauſæ in ancipiti remanſerunt ex motivo conſuetudinis, conſuluere adiri Innocentium III. ab intereſſe habentibus, qui audiſſent ab eo, num allegata inveterata conſuetudo eam vim habuiſſet ad minimè irritam, caſſamque reddendam Boni Presbyteri electionem. Poſtulatis Papa hunc in modum reſpondit : *Quia verò debemus attendere non ſolùm quid modò factum ſit, ſed quid ſit potius faciendum; diſcretioni veſtræ taliter reſpondemus, quòd cùm ſecundùm Legem Divinam non ſit in Bove arandum & Aſino, nec quiſquam debeat veſtem induere de lanâ, linoque contextam; electionem prædictam . . . irritetis, & compellatis præfatum Presbyterum alioſque Clericos non Profeſſos, ut vel B. Auguſtini Regulam in eadem Eccleſiâ conſtitutam profiteantur, & ſervent; aut ipſam Eccleſiam omninò dimittant*. Hæc eſt facti ſpecies, ejuſque deciſio.

II. Duo obſervat hìc Gloſſa; unum eſt, conſuetudine nequaquàm præſcribi in odium ſive damnum Juris Communis : *Contra iſtud jus Commune non præſcribitur ullo tempore* : alterum ex D. Bernardo, id eſt : *omnes qui in uno eodemque officio deſerviunt, ejuſdem Profeſſionis debent eſſe*.. ut ſuprà adnotavimus, adnotabimuſque alibi. Deuter. cap. 22. 10. 11. Cùm hoc argumento quis utitur hos ſemper Textus divinos allegat : *Non arabis in Bove ſimul & Aſino* : *Non indueris veſtimento, quod ex lanâ linoque contextum eſt*; alioſque id idem ſignificantes verſus adducit : *Nemo Boves Aſinis curvo conjungat aratro*; Ovid. *Nec geſtet veſtem lino lanâ quoque textam*. Demum ex Ovidio : *Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci!*

Qui præſenti in caſu oculos conjicit in enormem eam diſſonantiam, quæ undequaque manifeſtè reſultat ex electione Boni Presbyteri Secularis in Priorem Capituli Canonicorum Regularium ſub Regulâ S. Auguſtini degentium, cohibere nequaquam ſe poteſt quin proferat cum Innocentio III., non eſſe arandum in Bove ſimul & Aſino, nec veſte geſtandam lino, lanâque contextam; neque attendendum ſolummodo quid factum ſit, ſed potius quid faciendum ſit. Non enim juxta eſt Canones in Prælatum Regularem eligere Presbyterum Secularem : ideoque irritandam fore cenſuit Summus Pontifex electionem hanc, ne uno in eodemque Capitulo diverſi generis homines ſociarentur, videlicet Corpus Regulare Paupertatem profitens, Caput Seculare Proprietatem poſſidens; Corpus Canonicorum Regularium in morte Teſtamento carens, Caput verò liberè diſponens; Diſciplina Capitis Regulis Seculi aſſueta, Diſciplina Corporis Clauſtri perfectione enutrita. Ab hac deformitate adeo abhorrent Leges Canonicæ, quòd nulla quantumvis per multa & longa tempora inveterata conſuetudo in contrarium præſcribat, immo tamquam pernicioſa corruptela, de medio tollenda, habeatur. Licèt enim Profeſſionis identitas hac ex parte ſalvetur, id eſt, quia honor Clericalis æquè participatur à Presbytero Bono ac à cæteris Canonicis Regularibus; nihilominus ea quæ reſultat deformitas etiam ex diverſitate habitus Secularis in Capite, & Regularis in Corpore ſanari nullo modo poteſt; ſiquidem Bonus minimè quiviſſet induere veſtem Canonicorum Regularium, niſi Profeſſus fuiſſet eorundem Regulam, quo in caſu Canonicus Regularis evaſiſſet. Erant igitur inſociabiles hæ qualitates in uno eodemque Capitulo; ac proinde Presbyter Bonus Innocentii III. juſſu, vel ad Vota Canonicorum Regularium tranſire tenebatur, vel Eccleſiam omninò dimittere compellebatur.

III. Quâ autem ratione Textus præſens Canonicis Regularibus applicetur, ſi Parochum in Eccleſiis Parochialibus, aut ſi Canonicum in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis agere velint, clarè minimè percipio; quoniam in mea hac ſuppoſitione nequaquam agitur de Presbytero Seculari præficiendo Capitulo Regulari, ut habet Textus, *Cùm Cauſam*. Tantummodo ergo ex oppoſitâ Regulâ ſive ex contrario ſenſu arguere poſſumus, quod nempe, neque Perſona Regularis ſocianda ſit Corpori Seculari ob eamdem deformitatis rationem. Verùm deformitatis cauſa in medium proferatur, quæ Canoni adverſetur, ne Canonici Regulares admoveantur Beneficiis Parochialibus Secularibus. Certè alibi diximus non eſſe Cap. in 9. act. ſupra. diſparem Profeſſionem, ubi tantùm Monachalis profeſſio reperibilis eſt; ſimilique modo, dummodo Clericalis profeſſio ſit, ibi unam Profeſſionem dici. Ex Capite Clericatus Canonicum Regularem inter & Parochum ſive Canonicum Secularem nulla apparet diſſonantiæ umbra, quia Canonicis Regularibus competit per ſe ut ſint Clerici Religioſi, ſunt eſſentialiter Clerici, ut ſæpius huc uſque innuimus.

Quod

Quod adtinet Habitum, placet ſuggeſtum Conſilium repetere Hoſtienſis, videlicet: *Quanto magis ſe poſſunt tales conformari aliis in exteriori habitu hoc faciant, ne ſcandalum fiat*; quoniam: *ex diverſitate habitus generatur ſcandalum*; ſiquidem: *Propter ſcandalum receditur à jure, & ab habitu Regulari*. Audiamus hac de re Eminentiſſimum Petra: *Si agatur*, ait, *de Beneficio ſimplici, & de Canonicatu in Cathedrali, non convenit habitus Regularis talia obtinentibus*. Si verò agatur de Beneficio Curato, addit, morem deferendi Regularem habitum: *Jam deſueviſſe*. Ceſsaret utique ea præſumpta deformitas etiam ex parte habitus, in quo plena conformitas reluceret. Habitum verò Regularem nemo quit aſsumere, niſi Regularem Vitam profiteatur. Ulterius intollerabilis alia deformitas, quam diſſimulare nemo poſset, aſsurgeret, ſi Prior eſset Perſona Secularis Religionis Regulis minimè inſtructa, Capitulum verò eiſdem eruditum; immineret ſiquidem jactura Diſciplinæ Regularis, ut regulariter contingit, uti ſuo infra loco videbimus, nonnullas Seſſiones Concilii Tridentini ob oculos ponentes. Utilius enim Beneficia Secularia Regularibus, quàm Regularia Secularibus concreduntur. Demum, eam nunquam Pars adverſa deformitatem aſsurgere, oſtendet, cùm alicui Canonico Regulari de Beneficio Seculari Curato providetur, quę reperibilis eſset eo quo caſu, in eiſdem Monaſteriis Canonicus Regularis fieret Abbas Monachorum, & è contrà; vel ſi Æconomus Coadjutor ac Vicarius Epiſcopi eſset homo Laicus; & Poſtremò, ſi Presbyter Secularis eſset Prior Capituli Regularis; Hujuſmodi enim expungendis diſsonantiis Sacri Textus allegantur: *Non arabis*.. *Non indueris*.

Supra in Cap. in 9. act.

§. III.

Caput Quidam, *de Apoſtatis à nonnullis perperam objicitur ac refertur. Exponuntur Textus Deuteronomii: Non arabis in Bove ſimul, & Aſino, aliique ſimiles.*

Lib. 5. cap. 4. tit. 9. Innocen. III.

I. JUdæi quidam poſt voluntariè acceptam cum Sacro Baptiſmate Fidem, Religionemque Catholicam, minimè erubeſcebant Chriſtianos Ritus Superſtitioſis Judæorum Ritibus confundere. Hic deteſtabilis abuſus, ut penitus compeſceretur, valde adlaboratum eſt in Concilio Generali Lateranenſi ſub eodem Innocentio III. Commixtionem hanc Fidei Catholicę injurioſam reprobat, damnatque Pontifex hac etiam ratione: *Cùm maledictus ſit homo, qui terram duabus viis ingreditur, & indui veſte non debeat lino, lanâque contextâ*. Hi infideles haud coactè, ſed liberè Fidei acceſsere, ac proinde neceſſitate compellebantur Prioris Ritus Reliquias propulſare, ac puram, illibatamque Chriſtianam Religionem profiteri, ut notat Gloſsa, dicens: *Nemo debet claudicare in duas partes: nemo poteſt duobus Dominis ſervire: Nemo filius Dei & Diaboli eſſe poteſt: & duabus viis homo ire non debet*. Textus autem ſic explicit: *Cum minus malum exiſtat viam Domini non agnoſcere, quàm poſt agnitam retroire*. Alludunt verba D. Bernardi ſic ajentis: *Plus peccat Chriſtianus aberrans à Fide, quàm ille qui Fidem non agnovit*. Qui optant hunc Canonem retorquere in Canonicos Regulares in ſubjectâ materiâ neceſse eos eſt oſtendere, eandem contradictionem ac diſsonantiam reperibilem eſse eo in caſu, cùm Canonicus Regularis accedit ad Beneficium Seculare; videlicet propriam Religionem pollui ex hac commixtione ac inquinari, quaſi, eodem modo, ſimul ſtare nequeant, Canonicus Regularis & Beneficium Seculare, ſicuti poſt voluntariam liberamque Baptiſmatis, Fideique ſuſceptionem, retinendi voluntas Judaicorum Rituum uſum, ſimul & Chriſtianorum Cæremonias, in contemptum Chriſtianæ Religionis. *Qui poſt profeſſionem*, ait Gonzalez, *Fidei Catholicæ ritus Judaicos, aut Paganos ſectatur, tali commixtione polluit veram Religionem, quam profeſſus eſt, cùm ſimul utramque Religionem colere nequeat*. Qui ergo hoc Canone pręſumunt Canonicorum Regularium Jura, ſive Capacitatem infirmare, paritate deſumptâ ex irreconciliabili commixtione oppoſitorum Rituum; nolentes fateri coguntur Canonicos Regulares Incapaces etiam eſse non obſtante Apoſtolica Diſpenſatione, cùm, hac etiam ſuppoſitâ, nequeant componi ſimul Judaici Ritus, cum Chriſtianorum Cęremoniis.

II. Quo autem magis perſpicua fiat inexplicabilitas, vel appropriatio Sacrorum Textuum argumento Capacitatis Canonicorum Regularium, opere pretium duximus

ximus, non perfunctoriè, immo potius ſcrupuloſius explorare eorundem verborum ſenſum, quid, nempe, de iis ſenſerint, Expoſitores. Satis certa res eſt ex Canonum, Conciliorumve Sententiis maturè perlectis Sacris hiſce Teſtibus, minimè uſos fuiſſe Pontifices, niſi ad ſignificandam incomponibilem diſsonantiam, quę ſubinde oriretur, ſi exempli gratiâ, in eiſdem Monaſteriis Abbas eſset in Profeſſione diſcrepans à Subditis; ſi Epiſcopi Vicarius eſset Laicus, ſi Prior Secularis, Capitulum verò eſset Regulare, ſi Ritus Chriſtiani cum Judaicis innecterentur, ac demum, ſi Beneficium Regulare ex Tridentino, ut ſuo loco, Clericis Secularibus concrederetur. Sæpius igitur audivimus relatum: *Non arabis in Bove ſimul & Aſino*. Hoc eſt, nequaquam ſimul ſociabis Bovem & Aſinum eodem in labore, vel aratro eodem ac jugo. Ratio manifeſta ea eſſe videtur, quia nimiâ ex inæqualitate, quæ inter duo hæc Animalia vertitur, ſequeretur, quòd infirmior, videlicet, Aſinus opprimeretur, Bovi conjunctus, qui abſque difficultate, eo fortior eſt. Alia eſt inſociabilitatis ratio, nempe, ex lege Moſis, Bovem uti mundum Animal Deo immolari, Aſinum autem, uti impurum à Sacrificiis arceri, adeoque haud debere pares cenſeri. Bos erat Judaici Populi figura, qui legis pondus portare inſuevit; Gentilis verò Populi, Aſinus, ſub Peccatorum onere, attriti. Fortè his permotus contra Fauſtum dixit, Auguſtinus: *Bovem & Aſinum ad operandum tunc non licebat, nunc licet*. Hebræorum traditio eſt, Bovem eſſe jumentorum regem, ſicuti eſt cæterorum Animalium homo, Leo Ferarum, Volatiliumque Aquila; idcircò: *Noluit Dominus Regem jumentorum ſervili Animali, ideſt, Aſino copulari*. Volunt alii hiperbolicam hanc eſſe locutionem ad indicandum ſcilicet in negotio Prædicationis minimè ſimultaneè debere confundi doctum & inſipientem: *Bovem quippe & Aſinum, ſi neceſſe ſit, unuſquiſque ſine detrimento operis jungit*; ait S. Auguſtinus, *Sapientem verò & ſtultum, non ut unus præcipiat, & alter obtemperet, ſed pariter ex æquali poteſtate, ut annuncient verbum Dei, non ſine ſcandalo quiſque comites facit*. Accipe aliud documentum, ideſt: *Non exiges paria onera ſive ſubſidia ab imparibus hominibus*.

Deuteron. 22. 10. — *Lib. 6. cap. 9.* — *Lyran. hic.* — *Ibid.*

III. Juſſerat quoque Dominus minimè utendum veſte lino lanaque contextâ, hunc in modum: *Non indueris veſtimento, quod ex lanâ linoque contextum eſt*. Narrat Joſeph Hebræus Hiſtoricus: *Hoc fuit prohibitum propter Sacerdotii dignitatem, quia in veſtibus Summi Sacerdotis erat talis commixtio texturæ, & ideo non erat licita aliis veſtis ſic contexta. Quòd adeò benè obſervant Judæi*, proſequitur Hugo Cardinalis, *ut neque pelles, neque aliquam laneam veſtem, niſi filo laneo conſuant*. Aliquando, ut Auguſtinus dicit: *Lineis veſtibus miſcere Purpuram, & linoſtima veſte indui peccatum fuit: modò autem non eſſe. Sed inordinatè vivere*, proſequitur Sanctus Doctor, *& diverſi generis Profeſſiones velle miſcere, ut vel ſanctimonialis habeat ornamenta nuptarum, vel ea, quæ ſe non continens nupſit, ſpeciem Virginis gerat, omnimodo peccatum eſt; & ſi quid inconvenienter ex diverſo genere in vitâ cujuſque contexitur*.

Deuter. 22. 11. — *Lyran. hic.* — *Loc. cit.*

Ibid. num. 5. Huic Textui affinis alius eſt ejuſdem Deuteronomii locus, qui ſic habet: *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utatur veſte fœmineâ*. Gloſſa interlinearis commonefacit nos hæc addens: *Utrique ſexui diverſum indumentum natura dedit*; eſſeque: *Contra naturam virum muliebria facere, comam criſpare, torquere capillos*. Vetuit ergo Dominus in Lege Veteri utrique Sexui ne incongruâ veſte induerentur, impediendorum Cauſâ ſcandalorum, morumque corruptioni medendi. Virili veſte utens mulier amittendæ modeſtiæ ac pudoris ſibi inſiti diſcrimini ferè exponitur; Fęmineoque habitu inſuper incedens Vir, ſatis oſtendit earundem quoque ſpiritum ac mollitiem induiſſe. Hæc eſt extrema naturæ inverſio, omnino à rationis tramite deflectens, Deo hominibuſque abominabilis. Si fides præbenda hiſtoricis eſt, occurrent fortè nonnulla exempla rara ſatis Sanctarum mulierum ſub virili tegumento, maximâ ædificatione, in Monaſteriis Virorum vixiſſe, Fœmineumque ſexum occultaſſe; verùm hæc virtus paucorum eſt; quęque aliquibus cauſa ſalutis æternæ extitit, univerſim, nihilominus ut damnabile præſumptionis facinus reputatur; exempla ſiquidem admirationis digna, magis quàm imitationis, Sexum imbellem, virtutis opinione deceptum, graviori periculo, ſępè ſæpius committunt exponuntque.

§. IV.

§. IV.

Caput Licet, *de Regularibus*, *quomodo intelligendum*, *aſſeritur*.

I. NOtari ſolent hæc verba Apoſtoli, *Capiti licet*, inſerta: *Unuſquiſque in ea vocatione permaneat, in qua dignoſcitur eſſe vocatus*, eo Conſilio, ut Canonicis Regularibus perſuaſum ſit, contra omne fas ac jus eos Religionis jugum excutere, pro obeundis Parochialibus muniis, quia in tali caſu ineluctabilis neceſſitas ad alia Vota tranſire eos adigit, atque conſtringit. Quid autem alienius ab argumento Capacitatis eſſe poſſit hoc Canone, nunquam hactenus inveni. Humaniſſimè ac indulgentiſſimè egit Pontifex hoc Reſcripto erga Monachos, Canonicos Regulares, alioſque, ut, non obſtante protervâ indiſcreti contradictione Prælati, tranſmigrare valeant ad melioris vitæ frugem, præmiſsâ de corde bono, & conſcientiâ purâ & Fide non fictâ, à Prælato licentiæ poſtulatione. Indultum quippe erat quibuſdam Monachis & Canonicis, Hoſpitalariis & Templariis, ne ad alium cogerentur tranſire locum, arctioris etiam Religionis obtentu: *ipſis invitis*; hîc autem relaxat Innocentius III. facultatem, ut licentiâ petitâ, hoc eis minimè Beneficium denegetur. Ob quam ergo rationem argumento Capacitatis accommodetur Textus hîc Innocentii III. haud adhuc video.

Quamquam autem alienum cenſeatur *Caput licet*, materię Capacitatis ſi prima facie interpretetur; nihilominus abſurdum minimè judico, ſi aſſentiar & ipſe prodeſſe potius quàm obeſſe, Canonicis Regularibus Innocentianum Reſcriptum. Præcipit hîc Pontifex: *Ut nullus abſque licentiâ Romani Pontificis præſumat occaſione quacunque deſerere Præſulatum, quoniam*, notanda ſedulò ſunt hæc verba, *ſicut Majus Bonum Minori Bono præponitur: ita Communis Utilitas ſpeciali Utilitati præfertur. Et in hoc caſu rectè præponitur Doctrina, Silentio; Sollicitudo, Contemplationi; Labor, Quieti.* His præmiſſis jam arduum non erit cauſam indigitare, cur Capacitati, de qua ſermo hîc à nobis inſtitutus eſt, Canonicorum Regularium faveat magis quàm repugnet hic Canon. Non niſi, in primis, obtentâ licentiâ Patris Generalis, Canonicis Regularibus Beneficium Seculare acceptare licet; quo in caſu, ex oppoſito ſenſu ſic ajo. Cùm ut plurimùm Perſonæ privatæ ii Religioſi Canonici ſint, qui ad Beneficium promoveri patiuntur; inde fit, ut cùm de Seculari Curato Beneficio, alicui Canonico Regulari providetur, ille proviſus, qui antè, Otio, Paci, Propriæque ſaluti in Clauſtris degens incumbebat, tranſmigrans ad Animarum regimen, nil aliud agit, quàm præferre Vitam activam, in adeundis Parochialibus functionibus, Vitæ Contemplativæ; id eſt, Racheli formoſæ, Liam fæcundam, Sobolem Animarum, pulchritudini ſilentii ac fletus; uno verbo, Martham, Mariæ. Majus ſiquidem Bonum minori Bono præponitur, Communiſque Utilitas, ſpeciali Utilitati præfertur, ſicuti & Doctrina, Silentio; Sollicitudo, Contemplationi; & Labor Quieti. Et ſi contingat aliquando electum ad Parochiale Beneficium utilem vel neceſſarium eſſe toti Religioni, ei tunc, merito ſuo, jure, licentia denegatur. Non enim conſentaneum eſt, ut totius Religionis exigentia, ſpecialis Populi utilitati poſtponatur. Cùm agitur de Præſulatu deſerendo, ubi majus Bonum cederet minori Bono, inviolabiliter ſervanda Regula eſt de petendâ à Romano Pontifice licentiâ. Præcepta verò hîc minimè noſcitur licentia Sedis Apoſtolicæ, ſed ſolius Superioris, ſi ſermo ſit de tranſitu ad arctiorem Religionem, quòd majoris eſt perfectionis. Hanc Regulam de ſola licentiâ Superioris quærendâ extendere liceat ad Canonicos Regulares de Jure Communi, quoties tranſmigrare ad Parochiale munus rogantur. Hoc enim maximi momenti opus eſt, ſummique meriti, cui publicæ utilitati cedat neceſſe eſt privata utilitas; eſto hæc quoque proficiat, dum aliorum Bono rectè conſulitur.

§. V.

Caput, Deus qui, *de Vita & honeſtate Clericorum*, *expenditur*. Lib. 3. tit. 1. cap. 11.

I. INnocentii III. tempore Gentes Livoniæ regionis Fidem Catholicam, abjuratâ Gentilitate ſuſcepere, Miſſionariorum Apoſtolicorum Prædicatione, Religionis ac Habitus nihilominus varietate diſcrepantium. Hęc Regularum Veſtiumque diverſitas in Fide Novitiis, offenſionis lapis ſcandalique eſſe

eſſe noſcebatur; dicebant enim ex Gonzalez: *Unum eſt Evangelium, Unus Deus, Pater omnium unus, Unum Baptiſma, Unus Spiritus, Unus Amor; cur etiam non eſt unus Amictus, unus Color in Veſtibus?* Notabilis quidem erat veſtimentorum diſcrepantia, qualis ea quæ Monachos inter ac Canonicos Regulares ob oculos cernitur, quęque tunc erat offenſionis cauſa nimium Livonienſibus in Fide tyronibus. Ne autem nutantes vacillarent converſi nuperrimè ad Fidem, quibus unum Evangelium prædicabatur, Pontifex prudentiſſimus mandavit Epiſcopo Livonienſi: *Quatenus eo non obſtante, quòd inter Vos Monachi ſunt, & Canonici Regulares, vel alii etiam Regularem Vitam ſub aliâ diſtinctione Profeſſi, pariter in unum Regulare Propoſitum, & honeſtum Habitum, quantùm ad hoc ſpectat officium, conformetis.* Gloſſa hîc advertit, intelligenda hæc eſſe verba: *Quantùm ad ſolemnitates; ſecus tamen in iis, quæ ſunt de ſubſtantiâ Ordinis.*

Gloſſa ibid.

Alibi quoque Sermonem inſtituimus de Habitus varietate, recolentes *Caput in Nonâ actione*, quo edocti, jam novimus: *Homines diverſæ Profeſſionis non eſſe Sociandos in uno eodemque officio.* Juxta hanc Regulam conſentaneum nequaquam erat, Miſſionarios, varietate habitus ac Religionis, diſcretos, commiſcere in uno eodemque Prædicationis negotio, eodem inſuper loco. Hinc tollendæ causâ offenſionis uniformem fore in poſterum colorem veſtium, juſſit Pontifex, paremque obſervantiam, ne ſcandalum ſuſcitaretur, ac ne divideretur Populus ille novus in partes, quem in unam Eccleſiam congregaverat Dominus, cùm paratus ſemper ſit inimicus homo meſſi Dominicæ ſuperſeminare zizania, quia ut ſupra diximus: *Ex diverſitate habitus generatur ſcandalum*, cujus vitandi ergò, Miſſionarii Livonienſes tenebantur conformare ſe, ut obſervat Gloſſa: *In Superiori habitu, ſed interius ferre veſtes congruentes ſuæ Religioni.*

Decret. 2. part. cauſ. 16. quæſt. 7.

II. Jure ergo poſſunt Monachi ac Canonici Regulares propriæ Profeſſionis habitum mutare, rationabili ratione ſuadente, ut ſcribit Gonzalez. *Licet ſine cauſa non poſſint Monachi, vel Canonici Regulares habitum propriæ profeſſionis mutare vel omittere, tamen ex juſtâ causâ, & omittere, & mutare alium habitum induendo poſſunt, præſertim favore Religionis, & Fidei propagandæ gratiâ.* Ubi nam quæſo magis indeclinabilis neceſſitas uniformitatis, ac ſimilitudinis habitus, quàm ut tollatur ſcandalum, novitás, & admiratio vitetur? Hiſce permoti momentis, Canonici Regulares in dies de Beneficiis Secularibus proviſi, Regularem habitum, quo manifeſtè à Laicis reliquiſque Cleri Presbyteris diſtinguuntur, deponere ſolent, Clericorum Secularium veſtes, quibuſcum conveniunt in Capitulis, & in Eccleſia, induendo. Mos certè invaluit ſe aliis accommodare in ſuperiori habitu, nullâ eos adigente conſuetudine ferendi interius veſtes Religioni congruentes. Quam in rem Eminentiſſimus Petra perdocto ſuo Commentario, ubi expendit Capitulum: *Quod Dei timorem*, ea recolens verba de Socio adhibendo: *Si commodè fieri poteſt*, ita loquitur: *Sed cum hic uſus deſueverit, indeque etiam habitus forſan retentio non fuit adhibita; quodque tamen habet locum eo magis ſi agatur de Beneficio ſimplici, & de Canonicatu in Cathedrali, quia non convenit habitus Regularis talia obtinentibus.* Quo loquendi modo ſatis innuitur Canonicorum Regularium Capacitas ad quælibet Beneficia. Nec minus perſpicuè hæc Capacitas liquet, abſque ullo addito; ex Gloſſa, in *Caput* pręſens, *Deus qui*. Poſtquam enim monuerat Livonienſes Miſſionarios in ſuperiori veſte futuros uniformes, ſed interius teneri veſtes ferre Religioni conformes, hæc verba protulit: *Et eſt hic argumentum pro opinione Hugonis, quod Canonicus Regularis poſſit fieri Canonicus in Eccleſiâ Seculari, ſicut Monachus poteſt eſſe Epiſcopus in Eccleſia Sæculari*, qua de re nulla unquam fuit quæſtio. Habitus ergo Canonicorum Regularium nequaquam impedimento erit, quin promoveri valeant ad Beneficia Secularia, cùm quia quilibet ſe conformare debet moribus eorum inter quos vivit; tum, quia jam deſuetudo pedem fixit; & poſtremò, ne vel leve ſcandalum oriatur.

§. VI.

§. VI.

Stephani Abbatis Sanctæ Genoveſæ, & poſtea Epiſcopi Tornacenſis, Epiſtola, Innocentio III. inſcripta, conſideranda proponitur.

I. INnocentii III. ævo, nempe anno 1203., obiit Stephanus Tornacenſis. Hic antequam mortis debitum ſolveret, Epiſcopum Carnotenſem rogavit, ut à novis quibuſdam exactionibus, unam ex Parochiis ſuis exoneraret. *In qua*, ait ipſe in Epiſtola, *duo Canonici Regulares curam Parochiæ gerentes, Deo ſerviunt. Hinc colligitur*, addit Thomaſſinus, *moris fuiſſe, ut duo ſaltem Parochiam regerent Canonici, ne unius fervor tepeſceret, & ne qua alia, ut ſolet, ex ſolitudine macula infamiaque poſſet inuri*. Veroſimilius ac ſatius advertiſſet auctor Diſciplinæ, ſi aliam indigitaſſet cauſam, cur duo Canonici Regulares eandem incolerent Parochiam, videlicet Populi copioſam multitudinem, cui regendæ unus haud ſat eſſet Parochus, ut inde emergeret juſta quærela, ac eluceſceret rationabilis ratio amplius prægravandi nuperis exactionibus Parochiam, de qua eſt ſermo. Hoc loquendi modo noſcitur velle indicare quamdam fuiſſe legem Socii retinendi in Parochia, ex allegato motivo univerſali, ne ſcilicet fervor Diſciplinæ negligentiùs cuſtodiretur, neve macula famæ poſſet ex ſolitudine inuri. Recolendum hîc eſt, quòd, ſuâ in decretali, Innocentius III. humaniſſimè loquitur: *Si commodè fieri poteſt*. Hæc verba minimè proferunt Socii impoſitionem ex debito; immo ex his infert Gloſſa, nequaquam teneri: *Non tenentur*; & ipſe, alibi, Thomaſſinus, novit nullam dari legem, cùm dicat, Innocentium III., hortari habere Socium; *Hortatur*.

Epiſt. 136. Part. 1. l. 3. c. 22. num. 7.

In Cap. quod Dei timorem.

Stephani Tornacenſis mens erat Canonicos Regulares Parochiis deſtinatos poſſe ab Abbatibus ad Clauſtra revocari ac reduci, ut ipſe ſcripſerat ad Innocentium III.: *Liberè & abſque contradictione, pro neceſſitate vel utilitate Eccleſiarum noſtrarum, vel pro ſuarum correptione culparum.* Addideratque: *Si peſtis iſta convaluerit, perit Ordo Canonicus, pereunt & Sanctorum Patrum Regularia inſtituta, ſolvuntur fines & funes obedientiæ, & erunt Collegiis noſtris tot Abbates, quot Presbyteri Parochiales*. Diffinierat Innocentius III. quæſtionem Capacitatis Canonicorum Regularium in ſuâ illâ Decretali, *Quòd Dei timorem*, in quam Gloſſa advertit, quòd: *Regulares Canonici licitè poſſunt eligi ad regimen Eccleſiarum utilitatis causâ & de jure communi*; Verùm indeciſam reliquerat revocabilitatis difficultatem, contendentibus interea hinc & inde Abbatibus & Epiſcopis. His ſedandis quærelis ac jurgiis in Concilio Pont. Audemarenſe convenere Epiſcopi Provinciæ Rotomagenſis, medium quaſi tramitem tenentes, nimirum, ut Canonicos Regulares idoneos, ab Abbatibus præſentatos, Epiſcopus inſtitueret examine præmiſſo, revocari autem nequaquam poſſent abſque conſcientiâ Epiſcoporum; denique, ſi ultra dies quadraginta vacuam ſineret Parochiam Abbas, eâ ab Epiſcopo Secularis Presbyter inveſtiretur.

Epiſt. 179.

Gloſſa hic.

Quamquam hîc ſermo inſtitutus appareat de Parochiis Abbatiis obnoxiis, quibus regendis Jus integrum penes Abbatem fuerit; nihilominus inficiari non poſſumus actum quoque hoc loco fuiſſe de Parochialibus Epiſcopo ſubjectis. Fatetur Stephanus Tornacenſis morem invaluiſſe revocabilitatis: *Ab exordio Ordinis noſtri*. Probabile autem minimè videtur Canonicos Regulares Parochiis fuiſſe donatos ab ipsâ Abbatiarum fundatione, immò potius poſtquam ſe laudabiliter geſſiſſent in Parochiarum adminiſtratione.. Notanda ea ſunt verba Stephani Tornacenſis: *Parochiales Canonicos noſtros in Epiſcopatibus, in quibus ſunt*. Hæc indicare videntur Canonicos Regulares pluribus in Diœceſibus deſtinari ſolitos, ac proinde exceſſiſſe limites propriæ Regularis juriſdictionis, ac ſe ſe extendiſſe in negotio revocabilitatis Abbates conſentientibus Epiſcopis, ad his etiam ſubjectas Seculares Eccleſias. Poſtremò, ſi pro ſedandis querelis ac contentionibus, quæ in dies enaſcebantur, convenere integræ Provinciæ Epiſcopi, argumento eſt, vel innumeras fuiſſe Canonicorum Regularium Monaſteriis Parochiales Eccleſias unitas, quo denotatur vetuſtiſſimus Mos, Jus ac Capacitas ad earum adminiſtrationem; vel eos promotos ad Seculares Parochias, ut inde, aliquo modo Epiſcopis conglutinati, fierent eorum juriſdictioni obnoxii, & ad Clauſtra reduci nequirent, niſi de Prælatorum conſcientiâ. Æquiſſimùm judicare hoc loco venit, nullam hactenus extitiſſe

V. Thomaſſin. loc. cit.

Decretalem, ſeu aliam Apoſtolicam Conſtitutionem circa uſum ac legem revocabilitatis, præter hanc conventionem Pont. Audomarenſem Rotomagenſium Epiſcoporum, cum Abbatibus, in eorum reſpectivè diſtrictu, commorantibus.

ARTICULUS VI.

Anno 1216.

Honorii III. Canones argumento Capacitatis Canonicorum Regularium manifeſtè minimè obſunt, immo proſunt.

§. Unicus.

Libro 3, tit. 37, cap. 4.

Caput ad Audientiam, *de Capellis Monachorum, quomodo intelligendum ſit, inquiritur.*

I. PERLATUM fuerat Honorio III., nonnullos Monachorum in Diœceſi Burdigalenſi ſolos incolere Capellas privatas ſeu Prioratus: *Habitant ſolitarii*, contradicente Concilio Lateranenſi, ut ſuo loco perſpeximus; idcirco mandavit Pontifex Abbatibus ſeu Prioribus per hæc verba: *Ut vel ipſos ad Clauſtrum revocent, facientes in ipſis Eccleſiis deſerviri per Clericos Seculares, vel alios Monachos eiſdem aſſocient.* Advertit Gloſſa in verbo *aſſocient*, hoc modo: *Et ita Epiſcopi compellere debent Abbates ne Monachos per Villas ſolos dimittant; ſecus in Canonicis Regularibus, ſi eligantur ad regimen Animarum: nam illi non compelluntur alios ſecum habere, niſi id commodè facere poſſint.* Cùm ergo deliguntur Canonici Regulares ad Curam Animarum, extet vel non, Collegium ipſorum, habitare poterunt ſolitarii, favente eis Innocentio III. in ſæpe laudato Capitulo *Quod Dei timorem*. Verùm quanquam diſertiſſimè ac apertiſſimè Honorius III. Sermonem hoc loco convertat ad Monachos, nequaquam autem ad Canonicos Regulares; mentem Pontificis nihilominus nobis aperit Gonzalez hunc in modum: *Nam Honorius in ejus ſpecie egit de Monachis prohibitis in Concilio Lateranenſi extra Monaſterium vivere: ſed Canonici Regulares non comprehenduntur prædictâ prohibitione Concilii Lateranenſis, ut Innocentius in præſenti declaravit, Igitur Honorius III. non eſt exaudiendus de ipſis Canonicis Regularibus.*

Gloſſa hic.

De Statu Monachor. Quod Dei timorem.

In Cap. 2. de Statu Monachor.

ARTICULUS VII.

Anno 1365.

Clementis V. Decretales Capacitati Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia minimè adverſantur.

§. I.

Clementinar. lib. 1. tit. 3. cap. 1.

Caput, Cùm rationi, *de electione & electi poteſtate, Capacitatem innuit potiùs, quàm impugnet.*

I. CLEMENS V. in Concilio Viennenſi inter alias hanc Conſtitutionem confecit: *Cùm rationi non congruat, ut homines diſparis Profeſſionis vel habitus ſimul in eiſdem Monaſteriis ſocientur: Probibemus, ne Religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis vel habitus de cætero eligatur.* Huic Regulæ innixi apertiſſimè edocemur Monachum Nigrum nequaquam aſſumi poſſe in Prælatum Monachorum Alborum; dummodo idoneo Religioſo minimè careant; aliunde enim quærendus eſſet Superior ex Monachis Nigris: *Etiam abſque licentiâ Papæ* ut ſentit Gloſſa, quæ rectiùs ſubjungit: *Securius eſſet quòd requireretur auctoritas Papæ.*

6. Decretal. Bon. III. cap. 32. Cùm ſingula de Præbend. & dignitat. tit. 4.

Papæ. Notavimus ſupra, non eſſe diſparem Profeſſionem, ubi tantùm Monachalis Profeſſio eſt, deſumptâ paritate, ibi eſſe unam Profeſſionem, ubi Profeſſio Clericalis eſt. Per hanc ergo Decretalem Clementinam haud obſtaret Profeſſio, ſi unus ex Albis Monachis ageret Abbatem inter Nigros; ſola eſſet varietas diſparitaſque veſtium. Ex hujus Conſtitutionis tenore, Gloſsâ ſuppeditante rationem, efficitur, quòd: *Omnes Regulares Canonici, qui profitentur Regulam Auguſtini, licet varient in colore, quia aliqui habent colorem nigrum, alii album, alii griſeum, alii mixtum, invicem eligi poſſunt; quod videtur maximè, quia dicitur ipſorum habitum eſſe lineam togam, quam ſub cappâ deportant*. Obiter advertit Joannes Andreas Anno 1348. in Eccleſiâ S. Ambroſii Mediolani, duo ſimul Collegia extitiſſe: *Monachorum & Regularium Clericorum*.

Cap. in Nonâ actione.

Gloſſa hîc.

Joann. Andr.

Hic eſt ſenſus laudati Canonis, ſi is exquiratur ingenuè. Orationem modo convertamus ad reliqua quæ ſequuntur. Poſtquam Clemens V. ſanxit, interdixitque hoc electionum genus, hæc addit: *Per hoc autem, quin Religioſus in Epiſcopum Secularis, vel cujuslibet Regularis Eccleſiæ licitè poſſit eligi, non intendimus prohibere*. Gloſſa hoc in loco quæſtionem proponit, num Religioſus promoveri valeat; *in Prælatum alterius Secularis Eccleſiæ*, Collegialis ſit, nec ne. Subjicit ibidem, ventilatis ex utraque parte momentis: *Egere hoc declaratione*. Duo nobis veniunt in hac reſponſione animadvertenda. Primum eſt, varietatem Profeſſionis ac Habitus minimè impedimento eſſe quin Religioſus eligi poſſit in Prælatum alterius Secularis Eccleſiæ. Nomine Prælati intelligit Gloſſa Ægidii, *Priorem, Magiſtrum, Miniſtrum, Cuſtodem, Præpoſitum, Archipresbyterum, vel quodcunque ſit nomen*. Alterum reflexione dignum eſt, Gloſſatorem innuere nullam extitiſſe ſuo ævo Decretalem ſive Sanctionem Conciliarem interdicentem Perſonæ Religioſæ deſtinari poſſe in Prælatum Secularis Eccleſiæ; aliàs neque adduxiſſet rationes pro utraque parte, multòque minus cenſuiſſet: *Egere hoc declaratione*. Æquiſſimum enim eſt in rebus dubiis Summum adire Pontificem: *A quo jura tanquam à fonte ad cæteros derivantur*. *Noſtra intereſt*, ajebat Cœleſtinus III., *jurgiis obviare ſuſcitandis, & ſuſcitata decidere; Ne lites litibus inculcentur*, ex Innocentio III.

De Majorit. & obed. c. 13. inter quatuor tit. 3.

De fide inſtrumentor. Cap. Contingit 8. tit. 22.

Decretal. 2. tit. 12. de Cauſa Poſſeſſion. C. Paſtoralis 5.

II. Quâ ergo ratione per Clementinam hanc in Concilio Viennenſi editam, procedi jure valeat adverſus Canonicos Regulares quo ad Beneficia Secularia, nec doctis, nec indoctis hactenus minimè viſum eſt. Certè ex quo Canonicus Regularis aſſumitur ad Secularem Parochiam, deputari non intelligitur in Prælatum Eccleſiæ Collegiatæ Secularis, immò in Sacerdotem Parochum, fortè obnoxium juriſdictioni Prælati Collegiatæ Secularis; ſive in Parochum Ruſticanum, vel privatæ Paræciæ Urbis. Addo, Profeſſionis diſparitatem, quæ in Clementinâ hac objicitur, vigere quidem ubi agitur de immittendo Religioſo unius Profeſſionis in locum Superioris diverſæ Profeſſionis Monaſterii: *In eiſdem Monaſteriis*, quocum nil habet Commune Canonicus Regularis proviſus de Beneficio Seculari extra Clauſtra commorando. Hoſtienſis quidem docet: *Monachum non poſſe habere Præpoſituram vel Decanatum Eccleſiæ Secularis, niſi ex diſpenſatione hoc fiat ob neceſſitatem Curæ Animarum*. Verùm eſſe Sermonem de Monachis ipſe textus indubie exponit. Quòd ſi Monachi vocabulo comprehendere placet quancumque Religioſam Perſonam, hoc eſt, Canonicos etiam Regulares; neceſſe eſſet inſuper ſupponere Eccleſiam hanc Secularem Collegiatam eſſe, maximèque in eâ vivere in Communi Seculares Clericos, cum Privilegio Religioſorum; quo etiam admiſſo, ex ſententiâ Gloſsę, recurrendum eſset ad Summum Pontificem, haud pro diſpenſatione, immò pro deciſione difficultatis: *Egeret hoc declaratione*. Pro Eccleſiis non Collegiatis annuit Gloſsa his verbis *Satìs placet hoc in Secularibus Eccleſiis non Collegiatis*. Pro Collegiatis autem ſi nullum adinveniſset fundamentum idem aſserendi, minimè perpendiſset momenta ex utraque parte probantia, neque aſseruiſset hoc modo: *Sed de Collegiatis majus eſt dubium, ſed quod & in illis poſſit facit* . . allegatque Textus. Concludit nihilominus: *Egere hoc declaratione*, quo ſatis apertè inſinuatur gravia reperiri ex utraque parte momenta probabilitatis; nullamque mentionem facit de Diſpenſatione, quæ Incapacitatem præſupponit.

Hic.

III. Ex quo Clementina, quam præ manibus agimus, contineat repetita ſæpius hæc verba: *Homines diſparis Profeſſionis vel habitus, ſimul in eiſdem Monaſteriis non ſocientur*; nequaquam deſunt, qui Sermonem hunc in modum, conficiant. Habitus vel Propoſiti diſparitas, ſi verum eſt obſtare ne in eiſdem officiis hujus caracteris homines confæderentur, elicitur apertiſſimè quemlibet debere ſuo in gradu

 decen-

decenti conſiſtere, Seculares nempe in officiis Secularibus, Regulares in officiis Regularibus, clam inſinuantes Regulam hanc: *Regularia Regularibus, Secularia Secularibus*, exortam eſſe in Concilio Viennenſi ſub Clemente V., anno 1313. eſto, ut jacet, tunc primùm apparuerit, cùm inter Leonem X. & Franciſcum I. Anno 1516. Concordata confecta ſunt. Certè ſi emanaſſet in Concilio Viennenſi hæc Regula, Gloſſa hunc in locum incautè aſſentiretur Perſonam Religioſam eligi poſſe in Prælatum Eccleſiæ Secularis non Collegiatæ: *Et ſatis placet hoc in Secularibus Eccleſiis non Collegiatis*. Nec minus improbabiliter, inchoærenterque, loquens de Eccleſiis Collegiatis, in Communitate viventibus earum Clericis, docuiſſet recurrendum eſſe ad Pontificem, aucupandæ Declarationis, non autem Diſpenſationis gratiâ, his verbis *Egeret hoc declaratione*; argumenta prohibitiva minimè refert, neque ex Decretalibus, neque ex Conciliis deprompta; ad plus relinquit indeciſam quæſtionem, conſulitque adiri Pontificem pro dubii Declaratione. Additque Gloſſa ſupra verba Textus: *in eiſdem Monaſteriis*, hæc videlicet verba minimè Eccleſias Seculares comprehendere: *Eccleſias ergo Seculares non comprehendit*. Quamvis ſi comprehenderet, ac idem eſſet dicere in eiſdem Monaſteriis ſeu Eccleſiis; hoc idem nequaquam eſſet intelligendum in omni caſu, ſed potiſſimùm ac ſolummodo eo in caſu, ſi Perſona idonea reperiretur eligibilis, ſi quæ ſuperius dicta ſunt, recolere velimus. Comparato igitur Textu cum Gloſsâ, Regulam hanc: *Secularia Secularibus, Regularia Regularibus*, ex Concilio Viennenſi in terminis originem traxiſſe, ſolidè hucuſque nemo cenſuit.

Gloſſa hic.

V. Monaſteriis.

IV. Rurſus ommitti non patior, Canonicos Regulares ac Clericos Seculares ejuſdem eſſe Profeſſionis; ambo ſiquidem æquali perfectione ſunt Clerici, ac ad ea quæ Hierarchici Ordinis ſunt deſtinati. Regularitatis porro qualitatem invenire licet quoque in Clericis Secularibus, radicaliter accepto Clericatu, hac potiſſimùm ratione quòd Clericatui prius deſponſata fuerit Regularitas, quàm Secularitas, ignotum nomen in Clericis, primis Eccleſiæ Seculis. Neque habitu diſcrepant; quoniam declaratum fuit, ut vidimus, Togam lineam vel Rocchettum eſſe verè, propriéque habitum Clericalem, quo ipſo utuntur Clerici Seculares in functionibus Eccleſiaſticis. Poteſt etiam deponi omninò, ut uſus invaluit, & quia: *Propter ſcandalum receditur à jure, & ab habitu Regulari*. Ulterius dummodo habitus retentus à Canonicis Regularibus in Beneficiis Secularibus conſtitutis ſit habitus decens ac conveniens, erit ſemper habitus Clericalis, cum habitus Clericalis, quinam debeat eſse præciſè, nequaquam adhuc ſancitum ſit. Gloſsa ait, poſse Clericos Seculares conformari aliis: *Quia Clerici Seculares non habent certum habitum, cùm non ſit expreſſum in Jure de colore vel formâ, per quæ vel quorum alterum oportet habitum diſcerni; & liceat fatear certas formas, & colores eis eſſe prohibitos, non ex hoc ſequitur certum habitum eſſe præfixum; largè tamen dicimus habitum Clericalem convenientem & non prohibitum Clericis, ſicut & Laicalem convenientem Laicis, qualis autem debeat eſſe iſte habitus Clericalis*, Tu dic (reſpondet ſibi Guazzinus) *quòd ille eſt habitus Clericalis, quo ſecundùm loci conſuetudinem diſcernuntur Clerici à Laicis*.

Cap. Deus qui de Vita, & honeſt. Clericor. Gloſſa.

Gloſſa hic.

V. Monacell. tom. 2. p. 163.

§. II.

Caput, Ne in Agro, *Clementis V.*, *quomodo intelligendum*, *expenditur*.

Clementinar. lib. 3. tit. 10. cap. 1.

I. OBſervandum primò venit hoc in Capite, quo modo Sermonem inſtituat Clemens V., ut facilè colligas quò ejus oratio tendat, ad Monachos, ſcilicet, quorum mentionem agit, ipſo Capitis initio, ſic: *Ne in agro Dominico ſacrâ videlicet Monachorum nigrorum Religione, indecorum aliquid obrepat, aut vitioſum.*. Volens pro viribus Summus Pontifex Regularem Diſciplinam inter Monachos floreſcere, integro hoc Canone formam tradit hujus inſtaurandæ, ubi neceſſitas exegiſſet. Et quoniam Clementi V. innotuerat Monachorum nonnullos confixis pro ſuo arbitratu prætextibus Aulas Principum frequentare: *Curias Principum*, Superioribus reluctantibus, immo plurima incommoda ob hos acceſsus patientibus; ne quid poſthac accideret eorum, quæ Clauſtrali Propoſito Monachorum obeſsent, prohibuit ne amplius Curias Principum adirent, inconſultis eorum Superioribus, voluitque in hac Regulâ morum comprehenſos quoque Canonicos Regulares, hunc in modum: *Hoc edicto perpetuò prohibemus, ne Monachi aut Regulares Canonici Adminiſtrationem aliquam non habentes, ad Curias*

rias Principum abſque ſpeciali Prælatorum ſuorum licentiâ ſe conferre præſumant. Gloſsa hîc notat: *De hac ergo parte non dubitamus quin liget etiam Monachos non nigros*. Qui autem ſint Monachi non nigri, elici poteſt ex eadem Gloſsâ, quæ memoriam facit de Ciſtercienſibus ac Camaldulenſibus Monachis. Quamvis Canonicos Regulares etiam comprehendat in prohibitione acceſsus ad Curias Principum, minimè apparet, cur Textus hîc producatur, causâ probandæ Incapacitatis eorum ad Beneficia Secularia. Ex hoc enim Canone nihil concluditur contra Canonicos Regulares in materia Beneficiorum. Non enim ejuſdem Propoſiti ſunt, ut Monachorum nomine comprehendantur. Immo eos inter ſe diſtinguit quoque Clementinæ hujus Titulus qui eſt: *De Statu Monachorum, vel Canonicorum Regularium*; tum quia Clemens V. dum ſubdit: *Præfatæ quoque ſententiæ, Monachos infra ſepta Monaſteriorum ſine licentiâ Abbatum ſuorum arma tenentes, decernimus ſubjacere*; Gloſsa reflectit ſic: *Non repetit Regulares Canonicos*, ponderando, ut facit verbum *Monachos*. Denique quia Textus incipit *Ne in agro Dominico ſacrâ videlicet Religione Monachorum nigrorum*. Rectè Clementi V., unâ cum Monachis, hac in ſpeciali Diſciplinæ materia, placuit Canonicos Regulares involvere, eo ex Capite, quòd excurſus per Curias Principum inter duodecim Clauſtri abuſus ab Hugone Folleto recenſitos, computatur, qui ſunt *Prælatus negligens*: *Diſcipulus inobediens*: *Juvenis otioſus*: *Senex obſtinatus*: *Monachus Curialis*: *Monachus Cauſidicus*: *Habitus pretioſus*: *Cibus exquiſitus*: *Rumor in Clauſtro*: *Lis in Capitulo*: *Diſſolutio in Choro*: *Irreverentia circa Altare*. Sanè conſideranti hunc Textum patebit ſtatim Monachos nigros afficere, Canonicos autem Regulares nonniſi eâ in parte quæ tangit Curias Principum. Perperam igitur Clementina hæc adducitur ad aſtruendam Incapacitatem Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia.

Gloſſa hic.

Lib. 2. de Anima Clauſtro.

ARTICULUS VIII.

De eodem Argumento Capacitatis ad Beneficia Secularia ex Formulâ Profeſſionis vetuſtiſſimâ apud Canonicos Regulares Lateranenſes ſpecialiter conſuetâ.

§. Unicus.

Formula Profeſſionis apud Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis conſideranda proponitur.

Anno 1407., & anno 1414.

I. QUÆ à retroactis Seculis ad hæc uſque tempora uſu deſcendit Profeſſionis Formula apud Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis, modò examinanda occurrit. Antiquior quæ in Archivis Lateranenſibus manu exarata, meis exhibita eſt oculis, ab Anno eſt, 1407., hoc modo perſonans ad præſens propoſitum. Poſt hæc verba: *Voveo & Profiteor & Promitto.. Obedientiam, & Caſtitatem, & Vivere in communi ſine Proprio..* ea quæ ſequuntur legere eſt: *Et quod numquam acceptabo aliquod Beneficium Eccleſiaſticum cum Curâ, vel ſine Curâ, extra, vel intra dictum Ordinem ſine conſenſu, & voluntate Congregationis noſtræ, vel Capituli noſtri, renuncianda omnibus Juribus, Privilegiis, & Conſuetudinibus ex nunc, & in futurum mibi in contrarium competentibus, & quomodolibet competituris*. Antiqui quoque fuit moris apud Majores noſtros Venetiis commorantes hic profitendi modus, ab anno, ſcilicet 1414. nempe *Et quod nunquam acceptabo aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, ſeu Eccleſiam cum Curâ, vel ſine Curâ, intus vel extra Ordinem noſtrum abſque Licentiâ, conſenſu, & voluntate Capituli noſtri dicti Monaſterii, non obſtantibus aliquibus Juribus, Privilegiis, & Conſuetudinibus in contrarium mibi competentibus, & quomodolibet competituris*. Quæ autem uſu erat apud Canonicos Regulares ſub Nicolao V., anno 1451. Sacroſanctam Conſtantinianam Archibaſilicam in Lateranis incolentes, ea eſt, quæ ſequitur: *Et quod nunquam acceptabo aliquod Beneficium cum Curâ, vel ſine Curâ intus, vel extra Ordinem noſtrum ſine licentiâ, & con-*

Bullar. Lateranen. pag. 401.

Veronæ apud S. Leonardum prope & extra Urbem.

In Monaſterio S. Mariæ Caritatis.

In Archivo S. Mariæ Pacis de Urbe.

& conſenſu totius noſtri Capituli Generalis, non obſtantibus Juribus, & Privilegiis quibuſcunque mihi competentibus vel quomodolibet mihi competituris. Idem exhibent Conſtitutiones Canonicorum Regularium exiſtentes in Bibliothecâ S. Mariæ Pacis de Urbe in pergamena manuſcriptæ de Anno 1453. hoc eſt: *Et quod nunquam abſque licentiâ Capituli Generalis dictæ Congregationis, vel ejus Auctoritate fungentis, aliquod cum Curâ, vel ſine Curâ Beneficium acceptabo intus aut extra Ordinem noſtrum, renunciando omnibus Juribus, Privilegiis, & Conſuetudinibus in contrarium mihi competentibus, vel quomodolibet competituris*. Hoc modo & formâ hodie nuncupant Deo Vota ſua Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis, videlicet, juxta priſcum morem Prædeceſſorum ſuorum, quatuor ab hinc Seculis, interruptâ nunquam imò conſtantiſſimâ ſucceſſione, hoc eſt: *Et quod nunquam abſque licentiâ Capituli Generalis dictæ Congregationis, vel ejus Auctoritate fungentis, aliquod cùm Curâ, vel ſine Curâ Beneficium acceptabo intus vel extra Ordinem noſtrum, renunciando omnibus Juribus, Privilegiis, & Conſuetudinibus, in contrarium mihi competentibus, vel quomodolibet competituris*.

In Bibliotheca S. Mariæ Pacis de Urbe.

V. Conſtitutiones Ordin. Romæ editas anno 1628.

Floruit Formula hæc Profitendi in Congregatione Canonicorum Lateranenſium, ſtetitque nemine contradicente, in tranquillâ ac pacificâ poſseſsione, uſque ad annum 1671. Hoc tempore, ideſt, poſt plurima Secula emanavit approbante Clemente Decimo, Decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum ac Regularium negotiis præpoſitæ, adverſus hanc Profeſsionis formam, hiſce terminis confectum, videlicet: *Ut nemo ex Canonicis Regularibus Ordinis Sancti Auguſtini Congregationis Lateranenſis, quamvis non translatus, ad Curam Animarum in Eccleſiis Sæcularibus etiam de jure Patronatus in perpetuum; ſeu ad tempus quocunque titulo exercendam admittatur, niſi præter Abbatis Generalis licentiam expreſſum quoque Sedis Apoſtolicæ Indultum accedat*. *Non obſtante Formulâ Profeſſionis, in eo Ordine & Congregatione emitti ſolitâ*. De hoc Decreto ſuo infra loco. Poſt hanc à Sacrâ Congregatione præfatâ captam reſolutionem, excurſo tantummodo 27. annorum ſpatio, nempe Anno 1698., ſub die 21. Maji, exiit è Sacrâ Congregatione de Propagandâ Fide Decretum approbans ac confirmans Aggregationem Congregationis Canonicorum Regularium Hiberniæ, Sancti Patritii nuncupatæ, Congregationi Canonicorum Regularium Lateranenſium, ut ait Innocentius XII. ſuo in Brevi Apoſtolico de Anno 1699. Pontificatus ſui octavo, factam: *De Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum, qui rem maturè perpenderunt, conſilio*. Hujuſce Aggregationis vigore, Canonicis Regularibus Hibernenſibus traditæ fuere Conſtitutiones Congregationis Lateranenſis *Nonnullis*, ut habet Breve Apoſtolicum, *moderationibus in Decreto ſuper Aggregatione hujuſmodi emanato, expreſſis*. In Libro prædictarum Conſtitutionum, paginâ 39. Capite 31., inſerta legitur Formula Profeſsionis, eo modo concepta, quo in uſu fuit ad hæc uſque tempora, apud Canonicos Regulares Lateranenſes, aliquibus tantummodo antepoſitis, quæ in calce extabant, nullâ mentione factâ Decreti Clementis X., ejuſdem Formulæ reſtrictivi, hunc in modum: *Servatis tamen omnibus Juribus, Privilegiis, & Conſuetudinibus mihi competentibus, vel quomodolibet competituris ad Beneficia, vel cum Curâ, vel ſine Curâ, ſive intra, ſive extra Ordinem noſtrum: Quæ nihilominus non acceptabo abſque Licentiâ Capituli Generalis hujuſce Congregationis, vel ejus Auctoritate fungentis*.

II. Colligas I. Canonicos Regulares ſpeciatim Lateranenſes, poſse vigore Profeſsionis ſimpliciter, omni vitium contentione, ſe, ſuaque Jura tuèri, circa Beneficia Secularia, nullâ præmiſsâ facultate præter eam, quam à Patre Generali poſtulare ac obtinere polliciti ſunt. Hæc inveterata praxis per plurima Secula continuavit abſque ullâ contradictione; Inſtitutioneſque innumeras exhibere, ſi neceſsitas exigeret, in promptu eſset, à Summis Pontificibus, ab Eminentiſsimis Cardinalibus, Epiſcopis aliiſque Tribunalibus inoffenſo pede approbatas. Contigit quidem ante Decretum Clementinum Anno 1581. Gregorii XIII. quædam reſtrictio, quam ejus poſt Obitum expiraſse, graviſsimi Scriptores facilè defendunt; quâ de Re infra. Conſtans ergo & æqualis ſucceſsivis temporibus perſeveravit quieta ac ſecura Canonicorum Regularium pacifica poſseſsio; neque moderatio aliqua adverſus eorundem Profeſsionis Formulam inveniri poteſt, præter Clementinum Decretum; cæterum, per immemorabile tempus, ante hoc Decretum, nullum factum reperibile eſt perturbativum modi Profitendi in Ordine Canonico, cum effectu certo ac tranquillo: *Ut interrumpatur pacifica poſſeſſio*, docuit Gomes, *requiritur*

Gomes in Regul. de annal. quæſt. 45. num. 9. & 10.

tur perturbatio in ipſa poſſeſſione, vel fructibus.. Et quo ad hæc, ſolus conatus non ſufficit, quia requiritur factum à quo differt conatus. Hîc advertendum *eſt, quòd obſervantia centenaria longè majorem ſortitur etiam efficaciam, ac virtutem, quàm ipſummet Privilegium expreſſum, ex eo quia iſtud* infringi aliquando poteſt ex Capitibus *obreptionis, vel ſucceſſivæ revocationis; Non ita verò Jus per centenariam conſtabilitum, quod remanet prorſus imperturbabile, nullique amplius viciſſitudini obnoxium... Juridica virtus centenaria de jure apta eſt etiam ad ſtabiliendam contrariam juris Regulam.*

Rota Reverendiſſimo P. D. Aldrovando, Barchinonen. Jurium Parochial. Veneris 13. Januar. 1730. n. 11. 12.

Colligas II. Profeſſionis Formulam apud Canonicos Regulares conſuetam, circa ea tempora, quibus Congregatio, Spiritu Reformationis acta, florebat, emanaſſe, ut traditio ac annorum ſupputatio facilè comprobat. Uſus invaluerat, & fortè abuſus; ideſt, ut Epiſcoporum deſiderio fieret ſatis, Canonici Regulares Epiſcopis ipſis petentibus, Clauſtra propriâ auctoritate dimittebant, Parochias adituri, inconſultâ Religione; proinde inter alias diſciplinæ leges Reformationis tempore latas, Majores noſtri, fervore perfectionis repleti, ſtatuerunt, ut remedio Profeſſionis, huic inobedientiæ malo, obviaretur, utque ſe obligarent Canonici Regulares, ad obtinendam facultatem P. Generalis. Itaque circumſpectiſſimè quoque proviſum fuit, ne Canonici Regulares, toti Congregationi utiles ac neceſſarii, eam paſſim inopinatò relinquerent, gravi cum ejus damno. Epiſcopo Calaritano, qui ex nimiâ Indulgentiâ Canonicos ſuæ Eccleſiæ dimittebat, ut Epiſcopum agerent, fortè in præjudicium propriæ Eccleſiæ, ſcripſit Gregorius Magnus, hunc in modum: *Sic tamen ut non omnes ad Epiſcopatum de Eccleſia ipſius eligantur. Nam ſic eum convenit alias ordinare, ut Eccleſiæ ſuæ de perſonis, quæ in eo poſſint proficere neceſſitatem non faciat.* Antiquum hunc morem certè minimè laudandum abſtulit Reformationis Bonum, Prudentiæ, ac Conſilio Patris Generalis ſubjiciendo Canonicos Regulares ab Epiſcopis poſtulatos; cæterum circa Capacitatem nullum ſubortum eſt dubium. Neque credibile eſt, ut eo, quo tempore quærebatur pro viribus Veritas, & Religioſa Perfectio, ita corrupti eſſent, mente, & corde, Canonici Regulares, Ordinis Capita, ut inquam, effingerent Formulam Profeſſionis Juris Communis læſivam, Solique amarent, contra dictum Vulpiani: *Non intelligere quod omnes intelligunt.* Certè cenſere licet eos gnaros extitiſſe Textuum Legalium, ex quibus hæc veritas illuceſcit pro dirigendis rectè Legum Conditoribus, hoc eſt; *Quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere.* Item; *Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio; ex poſt facto convaleſcere non poteſt.* Stetit ergo invariata Profeſſionis Formula plurium Seculorum ſpatio, adeo ut dicere poſſemus: *Quæ enim non mutantur, quare ſtare prohibentur?* Unicè ſtuduerunt Patres noſtri Diſciplinæ cuſtodiendæ, ac Obedientiæ reſtaurandæ; & meo judicio, abſque gravi injuriâ toti Congregationi Lateranenſi illatâ, aliter dici nequit, niſi eos, videlicet, noſtros priſcos Patres, de Capacitate fuiſſe ſecuros.

Lib. 2. epiſt. 59.

Digeſt. lib. 50. tit. 17. de diverſ. reg. juris art. 29.
De Reg. juris 210.
In L. ſancimus C. de Teſtam.

Colligas III. extra omne dubium eſſe, quemlibet Promittentem aliquid nullâ neceſſitate coactum, immò liberè ac ſpontaneè, ea poſſe Pacta adjicere, quæ neque incompatibilia ſunt, neque procul ab honeſtate cenſentur: *Unuſquiſque det*, docet D. Paulus, *prout deſtinavit in corde ſuo.* Additque D. Bernardus; *Solùm id à me poſſe exigi arbitror, quod promiſi. Liberum eſt arbitrium in vovendo, & neceſſitas in Votis locum non habet, ſed Voluntas*, ait Innocentius III. Canonici Regulares Lateranenſes dum Vota Solemnia Deo nuncupant, unâ cum Votis copulant Pactum adeundi Beneficia Secularia cum Licentiâ Superioris. Id autem intrat quodammodo in ſubſtantiam obligationis cum Religione, & è contra, & veluti eſt ſpecies Voti utramque partem conſtringentis: *Votum ſiquidem* ex Monacello, *quod emittitur in Congregationibus vel Collegiis, emittitur per modum contractus, ultrò citroque obligatorii, facio, ut facias.* Pacta hæc debent ſuum ſortiri effectum, utpote ad virtutem Obedientiæ tendentia, ac utilitatem Religionis in pace firmandæ, ac ſtabiliendæ, & animarum profectum reſpicientia; ſicuti è converſo: *Pacta, quæ contra leges, conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt nullam vim habere, indubitati juris eſt.* Vota igitur Canonicorum Regularium Lateranenſium annexam habent poteſtatem redeundi ad Seculum acceptando Beneficia Secularia cum Curâ, vel ſine Curâ. Hanc ſibi ipſi reſervant, eo quo tempore in faciem Eccleſiæ promittunt cetera Vota Religionis. Porrò ſi attendatur Profeſſio independenter ab omni Decreto, ſolâ obtentâ Superioris Licentiâ, facultas datur Canonicis Regularibus capiendæ poſſeſſionis Beneficiorum Secularium. Cum ipſi Vota emittunt; quidem cupiunt mutare vitam, adjectâ hac tamen conditione in actu ipſo profitendi, non ut omnino ac abſolutè

Tit. 34. de Voto, & Voti redemptione c. licet 6.
2. Cor. 9. 7.
Tract. de præcept. & diſpenſat. in princip.

In formular. tom. 2. fol. 228. n. 15.

L. non dubium 5. Cod. de legibus.

vitam uſque ad mortem tranſigant in Clauſtris, immò ut iterum revertantur ad Seculum, ſi placuerit, in Statu Eccleſiaſtico Seculari, ut innuunt verba Profeſſionis: *Cum Curâ vel ſine Curâ*, *intus vel extra* Religionem ideſt, vel Ordinem.

Poteſt hoc exemplificari, ſuggerente Bonifacio VIII. Caſum, qui ſic figuratur. Clericus Secularis de Beneficio Seculari proviſus ingreditur Religionem; quæritur num anno Probationis excurrente valeat Epiſcopus conferre alteri Clerico hujuſmodi Beneficium, ac ſi eſſet vacans. Papa negativè reſpondet; excipit autem ſic. *Niſi ad id ipſius accedat aſſenſus, aut conſtet, quod vitam voluerit abſolutè mutare, vel Profeſſionem expreſſam fecerit, ſeu ſcienter habitum receperit Profeſſorum*. Tunc ergo vacaret Beneficium ſi accederet Poſſeſſoris abrenunciatio, ac quotieſcunque conſtaret, quod: *Intrans Religionem*, ut ait Gloſſa, *voluerit omnino vitam mutare, & dimittere Seculum*; ſeu: *Quod nunquam rediret ad Sæculum*. Hoc in caſu Epiſcopus poſſet alii Clerico providere de præfato Beneficio. Præſcindendo nunc à jure fundato in Sacris Canonibus, ac Sacro Concilio Tridentino, favore Capacitatis Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia, ſi quando Canonici Regulares, etiam Lateranenſes, dum ingrediuntur Religionem, intenderent expreſsè, ſive ut loquitur Bonifacius VIII.: *abſolutè*, & Gloſſa: *omninò*, vitam mutare, hoc eſt, penitus dimittere Seculum, ut ad id nunquam in poſterum eſſent ullo pacto redituri, hocce cum fine Vota ſolemnia emitterent, certè minimè timemus aſſerere nullum fore ſibi competiturum jus ad obeunda Parochialia munia, quia exire de Clauſtro, capiendæ Poſſeſſionis Beneficii gratiâ, eſt aliquatenus ad Seculum redire, vivendo de Proprio, & manendo extra Monaſterium. Verùm quoniam ne dum tempore Probationis retinent intentionem Profitendi juxta priſcum morem Congregationis, immò ipſo in actu Profeſſionis expreſsè, abſolutè, ac omnino proteſtantur Jus ſibi reſervare redeundi ad Seculum, etiam poſt emiſſa Vota, captâ occaſione Beneficii Secularis, ſervatis de jure ſervandis, arguitur quòd nequaquam vero jure exuuntur, Profeſſionis tempore, Beneficia Secularia liberè, licitèque adeundi. Adverto hîc fortè ob hanc explicitam proteſtationem de redeundo ad Seculum, ab ipſo Profeſſionis actu, Canonicos Regulares Lateranenſes dictos ab Eminentiſſimo

Tom. 5. pag. 522. 6. opinor.
In annot. ad Concil. diſcur. 35. n. 7. Item de Regular. diſc. 19. n. 5.

Petra: *Potius de Clero Seculari participare*; eoque prius à Cardinali de Luca: *Sub Clero Seculari potius recenſeri ... De Clero Seculari juxta Hierarchicum Ordinem recenſentur*. Nemo hîc Criticum agat cogitando, Cordi Canonicorum Regularium Lateranenſium ineſſe, nequaquam vacare Beneficium Seculare tempore Profeſſionis eorum, ſi aliquando contingat Novitium præhabuiſſe illud ante habitus ſuſceptionem, quaſi dicerent Beneficium Seculare minimè incompatibile eſſe cum eorum ſtatu, qui potius de Clero Seculari participant; vel quia retinentes jus, & poteſtatem redeundi ad Seculum obtinendi Beneficii Secularis ergò, poſſunt dici radicaliter Seculares, poſſunt enim fieri omni momento Seculares. Non, inquam, vitio vertat, quæ præmiſimus; quoniam vacare Beneficium Profeſſionis tempore certò aſſerimus; quia Profeſſio abſoluta ac determinata eſt; Reſervationis autem uſus liber, ac incertus.

De Reſcript. Tit. 3. c. 9.
Gloſſa hìc V. Beneficium.
Gloſſ. in cap. unic. de ætat. & qualit. & ord. præficiend. tit. 10. Sexti Decretal.
Lib. 3. de Præbend. & dignit. c. 4. ſi Romanus.
Cap. 4. ex debito lib. 1. & lib. 3. de Præben. & dignit. c. 1. Piæ Bonifac. VIII.
Hard. tom. 9. col. 1914. Can. 12. anno 1524.

Colligas IV. Ne quis ulterius quoque vitio vertat verba: *Cum Curâ, vel ſine Curâ*, quę Canonici Regulares uſurpant, Formulę Profeſſionis inſerta, veluti arbitratu eorum eſſe inventa, minimèque fundata in jure. Adverto, in jure communi nil frequentius, uſitatiuſve occurrere quàm hos terminos, uti legere eſt in Decretalium libris. Bonifacius VIII. in Decretalium Sexto, ſic ait: *Si eo tempore, quo ſibi de Beneficio cum Curâ, vel ſine Curâ mandavimus provideri.* Nomine Beneficii: *Sine Curâ*, Gloſſa accipit Beneficium Simplex; hoc autem illud eſt quod: *Non habet juriſdictionem in foro pænitentiali, vel contentioſo*. Idem habet Clemens V. hunc in modum: *Beneficia, dignitates, aut perſonatus cum Curâ, vel ſine Curâ*. Joannes Vigeſimus Secundus ſuis in extravagantibus iiſdem utitur verbis: *Cum Curâ vel ſine Curâ*; aliique alibi. Obiter commonere opere pretium eſſe cenſeo, extare inter ordinationes Laurentii Cardinalis Campegii Apoſtolici Legati Canonem hunc, videlicet: *Expreſſè cavemus, ne Cura Eccleſiarum beneficiorumque concedatur Religionem quamcunque Profeſſis, etiam exemptis. Quod ſi hactenus aliqui admiſſi vel recepti eſſent, niſi de voluntate favoreque Superioris ſui, legitimiſque cauſis conſtiterit, extra ſua Monaſteria degere nequaquam ſibi integrum fore putent: quando illos ſic vagos, per Ordinarios vel Vicarios ad Superiores ſuos, per victus denegationem aut alia juris remedia remittendos eſſe jubemus*. Conſtitutionem hanc in primis editam fuiſſe ad removendos abuſus, & ad Cleri Germaniæ vitam reformandam, ſole certius eſt; proinde minimè coarctare, niſi eas regiones, quarum ſalu-

ſaluti àc utilitati, ut conſuleret, miſſus fuit idem Legatus, adverſus: *nuper natam*, ut ipſe ait, *impuriſſimam omnis hæreſeos ſentinam*.

Præfat.

Videre eſt hoc in Canone inter abuſus computari exire è Clauſtro regendarum Animarum causâ abſque voluntate favoreque Superioris, vagos eos quoque nuncupari, qui ſic egiſſent, eſſeque per Superiores Regulares pœnâ mulctandos. Approbat hic Canon admiſſiones, receptiones hactenus factas de conſenſu ac beneplacito Superioris, legitimâ causâ conceſſis; hoc autem apertè indicat praxim ante ea tempora fuiſſe, ut Profeſſi Religionem adirent Parochiales Eccleſias. In poſterum in universâ Germaniâ expreſsè id cavet, exigentibus eorum temporum calamitatibus; Declaratque hanc omnes afficere Religioſos, etiam exemptos. Abuſui, ſi qui fortè invaluerat, capiendi, independenter à Superioris licentiâ, Beneficia Secularia, prudentiſſimè proviſum fuit formulâ Profeſſionis, qua pollicetur quilibet Canonicorum Regularium Lateranenſium profitens haudquaquam ea acceptaturum niſi obtentâ Superioris facultate; qui utique uſus ad hæc uſque tempora ad nos religioſiſſimè pervenit. Hac autem præmiſsâ, ac Electo ſive nominato ad Beneficium, idoneo ab Ordinario reperto, nil aliud requiritur ex vi, plurimum Seculorum, Profeſsionis, immemorabiliſque conſequenter Conſuetudinis, ut quis noſtrum aſſequi valeat quodlibet Beneficium cum Curâ vel ſine Curâ. *Nimis enim durum eſt immutare ea, quæ longo temporis curſu ſervata ſunt. Nihilque magis conturbat Animos, etiamſi fiat ob aliquod utile, quam innovare. Et ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.* Hiſce momentis tueri, ut Jura propria ſartatectaque ſervem, non eſt deſcendere in Theatrum ſine gladio & clypeo. Quòd ſi quæ ortæ ſunt Conſtitutiones aut Ordinationes reſtrictivæ facultatis Profeſsionis, hæ minimè obſtare videntur, ſi examinanda res ſit nullo habito reſpectu, ſive independenter à ſimilibus Decretis, juxta Oraculum Clementis XI.

Rot. in deciſ. 312. num. 3. & 4. par. 17. recentior.
S. Joan. Chryſoſt. in Epiſt. 1. ad Cor. hom. 7.
Auguſtin. Epiſt. 128. cap. 5.

ARTICULUS IX.

Examinatur Principium illud, quo ſtabilitur, Beneficia conferri debere, *Regularia Regularibus; Secularia Secularibus*.

§. I.

Quænam ſit Epocha hujus Axiomatis.

I. QUoties in controverſiis, quæ agitantur, una Pars in eâ Re, in qua tota veluti vertitur quæſtio, juri ſuo propemodum cedit, eumque uti judicem interpellat, quem Adverſarium patitur; manifeſto prorſus indicio eſt veritatem anxiè inquiri, non mendacium, pacem optari, non contentionem. Ut ritè intelligatur finis, & ſenſus inſignis illius Principii *Regularia Regularibus, Secularia Secularibus*; operæ pretium eſt, primò ejus Originem indagare; utrum videlicet moderna ſit, an antiqua. Si quod ipſe ſentio proferre debeam, tunc primùm eam natam puto, cùm Franciſcus I. Bononiam ſe contulit, ut ipſe loquitur: *Cum omni noſtro Comitatu*: à Leone X. Leges & Pacta ſecuritatis, & pacis impetraturus; quibus Imperii ſui Bono, atque utilitati proviſum eſſet; hinc eſt, quod in celebribus iis Concordatis, Concilii Lateranenſis V. auctoritate munitis, explicitè nominata reperitur hæc Regula: *Regularia Regularibus*; & in corpore ejuſdem Tituli, ubi præſcribitur Graduatos, & nominatos poſſe conſequi Beneficia vacantia, ſic explicatur, ideſt: *Seculares Secularia, & Religioſi Regularia Beneficia*. Hæc eſt Epocha hujus Principii; Anno 1516. primò lucem aſpexit. Antiquiorem eam eſſe uti Teſtimonium, vel Deciſionem, quam perinde ac legem æſtimarint Concilia, Pontifices, Principes, & Canoniſtæ, illud eſt, quod Adverſario inquirendum, definiendumque relinquimus: nos interim argumento nega-

Anno 1516.

Tit. 1. concordator. apud Hard. Concil. tom. 9. col. 1869.
Tit. 18.

negativo inſiſtimus, aſſerimuſque nullum prorſus veſtigium Legis illius reperiri ante Concordatum inter Leonem X., & Franciſcum I. Hoc ſanè ſatis eſse deberet Viro cordato, ac diſcreto; nihilominus addere libet, quod quemadmodum Concordatum poſtulatum fuit à Rege in vicem, ut idem ipſe loquitur, *Pragmaticæ Sanctionis*; & juxta aſſertionem Natalis ab Alexandro, facta eſt: *Concordatorum in locum Pragmaticæ Sanctionis ſubſtitutio*; ita ex legitimâ illatione conficitur, Pragmaticâ Sanctione poſterius eſse Concordatum, & quidquid in ipſo continetur. Cùm verò nomen Pragmaticæ Sanctionis tunc denique, & peremptoriè abrogatum fuerit quando coactum eſt Concilium Lateranenſe V., tunc primùm dici debet prodiiſse Concordatum, & unâ cum ipſo maximam illam: *Regularia Regularibus, Secularia Secularibus*.

Loco cit.

Sec. 15. & 16. diſſert. 11. num. 4.

II. Porrò non inutile erit cauſas inveſtigare, à quibus manavit hujuſmodi Regula Concordatis inſerta. Eas autem altius repeti fas eſt. Nemo inficiabitur, poſtquam ſancita eſt, & introducta Profeſsio Solemnis, poſtquam ſecreti ſunt Regulares Clerici, à Secularibus, ſæpiſsimè dotatas fuiſse Regularium Eccleſias Bonis, quibus annexa erant beneficia; vi cujus dotationis adepti ſunt Regulares ſupra hæc Beneficia novum titulum Poſseſsionis, ac dominii, quo carebant relatè ad cætera non unita. Illud verò hic animadverti debet, novum hujuſmodi titulum equidem conſtituiſse Regulares Canonicos ſive Monachos eorum Beneficiorum Dominos, quæ ſuis Abbatiis, vel Præpoſituris aſsignata ſunt, & unita, adeout hæc eorum propria eſsent; & principaliter jus quoddam induxiſse, vi cujus excludebantur exteri, ne hujuſmodi unquam in poſterum conſequi poſsent. Et quoniam non deerat, eo tempore quorundam Canonicorum Secularium inſaturabilis aviditas, & cupida ingluvies, non rarò Parochiis, quæ ad Regulares tranſierant, ob divitias iis annexas, adeo invidens, ut eas non tam videretur cupere, quin etiam interdum raperet; frequentes hinc fuere ad Apoſtolicam Sedem recurſus, imploratаque ſæpius Summorum Pontificum auctoritas, iis temporibus, quibus Ordo Canonicus reſtitutus eſt, veteremque formam ſuſcepit, ut videlicet, cohiberentur, qui temerario auſu Eccleſias ſuis dotibus ſpoliare præſumebant, ut ipſi ditarentur; & Regularium Beneficia rapiebant, ut ſic locupletiores facti, commodius luxui, & avaritiæ indulgerent. Regulares interim benignè excepere Pontifices ſuis pedibus obvolutos, eorumque auxilium enixè invocantes; atque hinc effectum, ut favente juris Apoſtolici Solio, complures Noſtratium Canonicorum Abbatiæ nec non Monachorum in Poſseſsione ſuorum Beneficiorum confirmatæ ſint, & acribus Reſcriptis exploſa nonnullorum Secularium ambitio, prohibitique, ne amplius Regularium Beneficiis inhiarent, ac perpetuò ab eorum Poſseſsione excluſi non tamen propterea vetitum Regularibus Canonicis, ne Secularia Beneficia obtinerent, quin immo hoc illis Jus denuo aſsertum. Nihilominus quamvis præfatorum Regularium rationes, & jura plurium Conciliorum ineluctabili auctoritate validiſsimè fulcirentur, regnante, & ut plurimùm, diſparis Profeſsionis hominum corda diſcerpente, invidiâ, quæ radix infeliciſsima fuit non minimarum amaritudinum, & controverſiarum, quibus infeſta fuit publica tranquillitas regni, diſturbataque pax inter Viros ſacris addictos: ſenſim cæpit admitti quædam conſuetudinis ſpecies, ut Regularibus Beneficia, quæ ab ipſis dependebant, relinquerentur, cætera omnia Secularibus cederent. Mos iſte, propterea, quòd modernus eſset, ſponte inceptus alicubi, & in quibuſdam Caſibus peculiaribus rigida Lex tamen non erat, quæ in caſu noſtro præſenti, Regulares Canonicos excluderet à conſecutione Beneficiorum Secularium; equidem in Causâ fuit, cur tandem Concordatis insereretur Axioma illud, de quo ſermonem habemus, ad inſtar legis; quam quidem legem antiquiorem eſse nulla ſuppetunt argumenta, quæ probent, nec quis hactenus fuit, qui id contendat, ut apud Natalem ac Thomaſsinum conjicere potui, cùm illius, ante hoc tempus, non appareat niſi ſimplex veſtigium, peculiaris videlicet uſus, qui ſenſim invaleſcebat. En igitur origo, & cauſæ illius Regulæ, quæ, quia generalibus terminis concepta eſt; ſibi licere arbitratur neſcio quis, omnia ſuſque deque invertere; & nullo habito reſpectu ad intentionem duorum Legislatorum, non attentis temporum circumſtantiis, Regni indigentiis, Galliam cum omni alio Statu, ac dominio confundere; Graduatos cum quibuslibet aliis Perſonis Deo, & Eccleſiaſtico Miniſterio dicatis, etiamſi ſint extra illud Regnum, involvere, nullam denique diverſorum Beneficiorum rationem gerere, ſed omnia æquali lance penſare; rem denique agere, quæ nunquam in mentem venit Leoni X. & Franciſco I.

Stephan. Tornacen. epiſt. 67.

ſco I. Hi ſiquidem eam ſanè legem ſanxerunt, Monachos quoque comprehendentem, eamque voluerunt eſse finalem normam; at ut inferius videbimus, quæ non tranſgrederetur limites Franciæ, & Delphinatus. *Regni noſtri, Delphinaliſque noſtri Potentatus*. *Franciſcus I. loco citato.*

III. Cùm neſcio quid attigerimus de Unione Beneficiorum Secularium cum Eccleſiis Regularibus, libet advertere, duobus modis fieri poſse hanc Unionem, & Subjectionem; *pleno Jure* ideſt quoad Spirituale, & Temporale; *& non pleno Jure*, ideſt quoad temporale tantummodo, quo caſu debet aſſignari Vicario, ſive Rectori earum Eccleſiarum congrua portio, pro eorum ſuſtentatione, juxta Alexandrum III. in Capitulo: Avaritiæ X., directo Canonicis Regularibus, & Monachis Eboracenſis Diœceſis. His veluti per tranſennam obſervatis ad Rem noſtram redeamus. *Gonzalez lib. 3. decretal. de præbend.& dignitat.*

§. II.

Utrum Axioma: Regularia . . . *debeat admitti tanquam Lex Generalis, quæ ad omnia Regna, Provincias, & Status extendatur, an verò peculiaris pro aliquo ſingulari Dominio.*

I. VIdimus jam Epocham Regulæ illius, quâ præſcribitur Beneficia conferri debere, *Regularia Regularibus, Secularia Secularibus*. Incumbit nunc, quod & ſuperius attigimus, expendere, utrum Regula hæc Legis inſtar ſit univerſalis, quæ omnes Provincias comprehendat; an verò particularis, ideſt, pro unâ aliquâ determinatâ Provinciâ vel Regno; quam quæſtionem ideo agitare cogimur, quòd Lex ipſa Generalibus terminis concepta ſit; quâ in re ſuperius diximus, Legem iſtam ultra Galliæ, ac Delphinatus fines extendi non debere; id nunc certis argumentis probari neceſse eſt. Occurrit igitur primò ea Concordata, in quibus reperitur Axioma illud, intra Galliam, ac Delphinatum, conſtitiſse; pari igitur modo eos fines tranſgredi non debet Axioma. Conſtat porrò Concordatum pro ſolâ Galliâ, & Delphinatu editum fuiſse, quoniam ipſo teſte Franciſco Rege, Concordatum tenuit, ac tenet *Pragmaticæ Sanctionis vicem*; quemadmodum igitur Pragmatica Sanctio intra limites Gallicanæ Eccleſiæ, & Delphinatus continebatur, juxta ea quæ innuuntur in Edicto Caroli Sexti Francorum Regis, in quo non apparet niſi: *Eccleſia Gallicana, & Delphinatus*: pari jure aſſerere poſſumus nos Concordatum eos limites non exire: *Regni noſtri, Delphinaliſque Potentatus*; in quibus dumtaxat locis viget Graduatorum Privilegium, in quorum unicè gratiam, & favorem, de articulo illo convènit inter Sanctiſsimum Pontificem, & Galliæ Regem. *A Leone Decimo*, inquit, Thomaſsinus, *collatam fuiſſe Galliæ Regibus Nominationem ad Epiſcopatus, ad Abbatias, & Prioratus electivos in Regno, & Delphinatu Anno 1516.* Imò idem Pontifex peculiari Indulto ampliavit hujuſmodi Nominationem ad Prçlaturas Provinciæ, & Britanniç minoris, utpote quia eç non comprehendebantur in Concordato; & poſtmodum quo ad Dignitates Eccleſiaſticas Civitatum Metenſis, Tullenſis, & Wirdunenſis gratiam extendit Alexander Septimus, quam confirmavit pro omnibus Succeſsoribus Ludovici XIV. Clemens Nonus. Ex quibus ſatis ſuperque in eo videri liquet hanc Regulam à ſuis primordiis in ſolâ Franciâ, & Delphinatu conſtitiſse; quî igitur in Italiâ, & alibi prçter Galliam ea adducitur, eamque iſthic vigere contendit quis? In Italiâ, inquam, quæ legibus ſuis munita jam eſt, iiſque dumtaxat parère debet, nec à Concordato dependet, quo cum primitus emerſit maxima illa; *Res inter alios acta, aliis nocere nequit*.

Loc.cit.apud Harduin. Concil.

Natal. Alex. hiſt. Eccl. ſec. 15. & 16. pag. 221. col. 1. princ.

Par. 2. l. 2. c. 40. num. 9.

Idem ibidem.

Idem ibidem.

L. inter alios acta ff. de reg. juris.

§. III.

Utrum Regula illa comprehendat quodlibet Perſonarum genus, & tempus quodlibet, ſeu quemcumque Anni menſem.

I. STabilitis iis, quæ ad Epocham, & confinia Concordati pertinent, neceſse eſt expendere quos reſpiciat, & quibus faveat Regula noſtra, *Regularia Regularibus*. Id porrò neutiquam melius aſsequemur, quam legentes Titulum: *Volumus autem*, decimum octavum in ordine, in cujus initio noſtrum

ſtrum Axioma poſitum eſt. Si in favorem eorum dumtaxat, qui gradus in ſcientiis ſunt conſecuti, lex ſancita eſt, ab hac profectò peculiari circumſtantiâ pendebit finis, & intelligentia hujus Privilegii. En igitur verba ipſa Concordati in rem noſtram: *Tam graduati ſimplices, quàm nominati beneficia in menſibus eis aſſignatis vacantia petere, & conſequi poſſint ſecundùm propriæ Perſonæ condecentiam, & condignitatem, videlicet Secularia Seculares, & Religioſi Regularia Beneficia Eccleſiaſtica, ita quòd Secularis nominatus Beneficia Regularia in menſibus deputatis vacantia prætextu cujuſvis Diſpenſationis Apoſtolicæ, & è contrà Religioſus Secularia Beneficia petere aut conſequi minimè poſſint*. Quid clarius? Quid rei noſtræ illuſtrandę opportunius.

§. Volumus, tit. 18.

II. Clariſſimus vir Thomaſſinus animo reputans conditiones, & gradus quibus veluti comitibus neceſſariis ornatum eſſe fas eſt eum, qui nominatur à Rege, aſſerit, Regem, ubi vacabunt Eccleſiæ Epiſcopales, ad infulas eum debere nominare, qui ſit, *Doctor, vel Licentiatus in Theologiâ, vel Jure*; ubi verò Monaſteria Prælato deſtituta erunt, Presbyterum Secularem, ut Monachis præſit, nominari non debere; ſed neque alterius Ordinis Religioſum; at ſi fortè proprii Ordinis Religioſus non eſſet, qui cæteris præeſſe mereretur, adeout nullus ex illius Profeſſionis Viris id muneris dignè obire poſſet; tunc ratione defectus Regis arbitrio conceſſum Clericum Secularem, vel etiam Monachum, vel Mendicantem ad eam Dignitatem vocare, dummodo, *ejuſdem Ordinis veſtem induant, & in ea profiteantur*. Porrò non aliud auditur niſi nominandum eſſe *Virum gravem, Magiſtrum, ſive Licentiatum in Theologiâ, aut in utroque, ſeu altero jurium Doctorem*, ut tradit Natalis ab Alexandro. Et quoniam agnoſcebatur laboris præmium, virtutis eſſe nutrimentum, & foveri ſtudia, ſi per ea ad Dignitates aditus eſſet; & è contrà, quòd hactenus eorum, qui in ſcientiis graduati erant nulla habebatur ratio, nec ii promovebantur, qui ſibi ad Dignitates vigiliis, & laboribus viam paraverant; dolebat Franciſcus I. Præſulum electiones conſonas non eſſe virtutis merito, ſicque ſcientias, quæ ſolæ hominem ornare poſſunt, cæteriſque nobiliorem reddere: *Non generis, ſed virtutum nobilitas, Vitæque honeſtas gratum Deo faciunt*, abſque æmulatione perire; ea propter modificationes requirebat, legeſque optabat, quæ ſtudioſis faverent; prævidebat enim Princeps Regni ſui, & ſcientiarum amantiſſimus, quòd: *Litterarum ſtudioſi, & Diſciplinis liberalibus incumbentes, aut Sacerdotia adipiſci nequirent; aut qui adipiſci cuperent, Litterarum ſtudium abjicere, aut certè ſeponere cogerentur*. En igitur quodnam fuerit intentum duorum Legiſlatorum, ut videlicet, non periret ſtudiorum æmulatio adeo neceſſaria ad litteras promovendas. Legem illam ſanxerunt, ut ſtudioſos propoſito præmio excirent, eorumque labores dignâ remuneratione compenſarent.

Par. 2. pag. 438. n. 3. §. Verum.

Hiſt. Eccle. ſec. 15. & 16. n. 6. pag. 222.

C. Venerabil. 37.

Franciſcus I. tom. tit. col. 1869.

III. Hic animadverſione dignum occurrit, primò agi de diſtributione Beneficiorum favorabili certis, determinatiſque Perſonis, & reſtrictâ ad menſes præſcriptos, *in menſibus eis aſſignatis, in menſibus deputatis*; & ſecundò, non excludi Collationes ordinarias, cùm non exprimatur, niſi his terminis *petere & conſequi*, & condecentiæ, condignitatiſque; non aſſeritur ſecus fieri minimè poſſe, quaſi id non patiatur Lex. Illud verò attentius Rem conſiderandam eſſe nos monet, quòd expreſsè jubetur derogari non poſſe favorabili illi Decreto, neque: *prætextu cujuſvis Diſpenſationis Apoſtolicæ*; notum porrò cuique eſt, Regularem quemlibet in quocumque alio caſu Beneficia Secularia obtinere poſſe, Apoſtolicæ Sedis Diſpenſatione interveniente. Hic igitur peculiaris eſt Franciæ mos, ut excitentur ſtudia ſpe præmii; neque morem hunc Galliæ fines exire fas eſt, ubi non invaluit tanquam Lex, vel Decretum, quemadmodum apud Gallos, quorum Rex id optavit Regni ſui Bono, atque Utilitati proſpiciens.

§. IV.

Corollaria ex præcedentibus Paragraphis.

I. HAc de causâ Regulares Canonicos Italos nullatenus abſterret maxima illa, cùm in Italiâ, aliiſque regionibus omnibus, ſi unam Galliam excipias, Concordatum minimè vigeat; nec tamen idcirco virtus jacet ingloria ſine præmio, nec ſtudioſi honoribus carent, & remuneratione condignâ, abſque illo moderamine. Et profectò exceptionis ſpes aliqua fuiſſet ipſiſmet Canonicis Gallis, ſi hoc loco cum diſtinctione agi debuiſſet; ſed quoniam

niam quilibet Regularium Ordo ſuis potiebatur Beneficiis, & Religioſis quibuſque ad gradus literarios aditus erat, fuere idcirco omnes ſimul in eodem Decreto æqualiter comprehenſi. Illud tamen certum eſt non excludi in Galliâ ipsâ noſtrates Canonicos, quin Beneficia Secularia conſequantur, ſi loquamur de Collatione Ordinaria, quod conficio ex Epiſtolâ ad me directâ ab Erudito Bibliothecario Regalis Abbatiæ S. Genovefæ datâ Pariſiis octavo idus Septembris Anno 1713. in qua ſic legitur *Adeſt celebris Sententia Parlamenti Rothomagenſis lata in eorum* (Regularium Canonicorum) *favorem Anno 1631., & actu Pater de Launaii abſque ulla Diſpenſatione, ac nemine contradicente primariam Dignitatem obtinet Capituli Secularis S. Spiri in Civitate Corbejenſi, quæ non longè diſtat Pariſiis*. Præterea ſi Regulares Canonici *de Jure Communi* incapaces ſunt ad Beneficia Secularia obtinenda, ut quid exceptio adhibetur in Concordato, & menſium limitatio? Satis profectò conſtat eos capaciſſimos eſſe extra iſtam circumſtantiam, juxta illud axioma, quod *exceptio firmat Regulam in caſibus non exceptis*; alioquin inutilis prorſus fuiſſet exceptio, & fruſtranea prorſus ea clauſula, ſi Regularium Incapacitas extra omnem contentionem certa fuiſſet.

Bibliothecarius S. Genovefæ.

II. Cùm igitur hæc ita ſint, &, expendentes ea, quæ in materiâ Beneficiorum ſtatuta ſunt in hoc Seculo, de quo loquimur, ſexto decimo, ex unâ parte dignoſcamus, prædictam Regulam exortam eſſe, ut in ſolo Galliarum Regno ſubſiſteret, ad certum tempus, determinataſque Perſonas reſtricta, & ex aliâ, nec conſuetudo ulla, nec jurisprudentia Canonicis Regularibus quicquam obſint, imo ipſis faveant, ut quæcumque Beneficia conſequi poſſint; ut quid non poterunt ii propria argumenta proferre, Juribus ſuis inſiſtere, ut Veritas, & Juſtitia triumphent, adverſus principium quoddam, quod eos nullo modo contingit? Id ſanè non intelligo; frequenter quidem reperire eſt in monumentis antiquis, imò & recentibus, juxta Juriſprudentiæ Regulas conſtantiſſimas, perpetuò expulſos fuiſſe Seculares à Beneficiis Regularibus, ut demonſtrant ea, quæ paulò poſt afferemus, ex Sacroſancto Tridentino Concilio. Verùm ad hæc uſque tempora, præciſo etiam Concordato, Legem ineſſe deciſivam, & dignâ auctoritate munitam, quæ Lateranenſes Canonicos expreſsè nominatos, arceat à quibuſcumque Secularibus Beneficiis, quo caſu ipſorum derogaretur Juri, eſſentialiter eorum Clericali Profeſſioni annexo, quo proinde perpetuò uſi ſunt, mihi profectò hucuſque probatum non eſt. Nec tamen in eâ ſum Sententiâ, nec inſinuare contendo, quòd proviſiones ex quibus Regulares Canonici ad Beneficia promoventur, dimanent ex capite neceſſitatis, ob defectum ſcilicet Secularium Clericorum, adeout in caſu noſtro applicari poſſit Regula, *in argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa*; quoniam hìc agitur de Capacitate, ac proinde nihil eſt, cur recurramus ad neceſſitatem; eo vel maximè, quòd hæc Regula Monachis aptetur ad Parochias promotis: *Propter defectum miniſtrorum*, ut explicat Gloſſa. Sic, ubi Clemens V. Epiſcopis mandat in pœnam negligentiæ Prælatorum, ut conferant Beneficia, quorum collatio ad hujuſmodi Prælatos pertinet, jubetque ut ea, *quæ conſueverunt per Seculares Clericos gubernari*, *Secularibus Clericis* conferantur; id ſic explicat Gloſſa: *Ad Eccleſiam, quæ conſuevit regi per Seculares Clericos, Monachi Regularem præſentare non poſſunt*; & paulo inferius; non loquitur de *Eccleſiis Conventualibus Monachorum*, *ſed de aliis, in quibus miniſtrare conſueverunt*. Ex quo conficitur eam Legem Monachos dumtaxat ſpectare, nullatenus per eam lædi Regularium Canonicorum Jura; at etiamſi Regula hæc univerſalis eſſet, non tamen id circo Lateranenſium Canonicorum Capacitatem quoquo modo imminueret, cum ſit Lex pœnalis ſancita, videlicet, in pœnam negligentium Prælatorum, quorum deſidiam ſupplent Epiſcopi, uti Ordinarii, ſi Regulares exempti non ſunt; uti Delegati verò, ſi ſint exempti. Quòd ſi uniformis omninò, & invariata non eſſet Lex in eorum favorem, quemadmodum varia videtur eſſe Sententia recentium quorumdam Scriptorum, poſt quædam Decreta Pontificia, nimis forſan rigidè accepta; hâc non obſtante opinionum diverſitate, ſatis notâ doctiſſimo Canoniſtæ Gonzalez, ipſe nihilominus, quid ſentiret his verbis prodidit: *in qua opinionum varietate credo validè, & licitè poſſe Canonicis Regularibus Beneficia Secularia etiam Curata conferri*. Si igitur poſterioribus noſtro ævo Seculis in ſcopulos incidemus, novamque Juriſprudentiam reperiemus, quæ Nos Canonicos Regulares reluctante antiquo Jure Communi, Conſuetudine immemorabili ac quietâ Poſſeſſione, Profeſſione conſtanti, ac Concilio Tridenti coacto, prorſus veluti Incapaces à Regimine Animarum excludat, triumphabit

De reg. juris in 6. 78.

Gloſſa hic.

Clementinar. lib. 1. de ſuppl. negll. Prælat. tit. 5. c. unic. quia.

In cap. quod Dei timorem.

phabit noſtra obedientia, litabimus ipſi noſtra Privilegia, Juraque propria, in Legum, & pacis obſequium. Illud interim certum ſit, nullo Jure hactenus fuiſſe Regularibus Canonicis occluſum aditum ad Secularia quæque Beneficia obtinenda; etſi quando Regulâ illâ, cui enodandæ hucuſque inſudavimus, uſi ſunt Patres aliqui, & Concilia; eam non Regularibus Canonicis objecere, ſed Monachis; itaque colligitur ex Concilio Bituricenſi, ſic præcipiente: *Monachi Beneficiis Curatis non præficiantur: Sed Secularia Secularibus, & Regularia Regularibus tantùm conferantur.*

* *Anno* 1584. *tit.* 36 *can.* 10.

ARTICULUS X.

Anno 1526. ſub Clemente VII. & ſub aliis Pontificibus collata ſunt Beneficia Secularia Regularibus Canonicis in ipſamet Urbe Româ.

SUGGERIT nobis Annus 1526. evidentiſſimum argumentum, non ex ratione, ſed ex ipſomet facto petitum, facto inquam, quod Romæ contigit, ac propterea cenſendum eſt uniforme Conſuetudini aliarum Regionum, Rationi, & præcipuè *Juri Communi* conſentaneum. *Laurentius* quidam *de Buſtis* Mediolanenſis Canonicus Regularis, Parochus erat Romæ in Parochia Seculari Eccleſiæ S. Ceciliæ ſitæ in Monte Jordano, aliàs vocatæ *de Turri in Campo*, quæ everſa fuit ob ædificium Eccleſiæ S. Philippi Nerii, vulgò Novæ, eâque everſâ, fertur unitam fuiſſe ejus Plebem Parochiæ S. Blaſii, & ipſa quoque, ſicut iſta nunc, filia erat, & dependens à Baſilicâ Sancti Laurentii in Damaſo. Hîc porrò admonendum duxi Parochiam hanc traditam fuiſſe Regulari Canonico anno ut ſupra 1526. poſt decem annos ab anno 1516.; quo ſtabilitum fuit Concordatum inter Leonem X., & Franciſcum I. Galliarum Regem; adeoque poſt invectam Regulam illam, de qua in antecedenti Articulo Sermonem habuimus. Hoc novo argumento omnino conficitur illæſa prorſus manſiſſe jura Canonicorum Regularium, quoad Capacitatem conſequendi Beneficia Secularia, non obſtante Regulâ illâ recens natâ ſæpiuſque repetitâ: *Regularia Regularibus, Secularia Secularibus*.

Factum probant patentes literæ; & primò hunc Laurentium fuiſſe Regularem Canonicum evincunt litteræ Sacræ Pœnitentiariæ, quibus permittitur dicto Laurentio habitare extra Clauſtra Regularia cum debitâ ſubjectione, & obedientiâ loci Ordinario præſtandâ; hic porrò eſt literarum tenor.

Laurentius miſeratione divina Epiſcopus Præneſtinus, Dilecto in Chriſto Laurentio quondam Ambroſii de Mediolano Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium Profeſſori ſalutem in Domino. Ex parte tua nobis oblata petitio continebat, quòd licet hactenus in dicto Ordine ... laudabiliter vixeris, tamen ad præſens propter certas graves, quas pateris, infirmitates, non vales auſteritates Regulares ejuſdem Ordinis ſufferre .... Nos itaque .... auctoritate Domini Papæ, cujus primariè curam gerimus, & de ejus ſpeciali, & expreſſo mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, Tibi, ut tui Superioris licentiâ ſuper hoc per Te, vel alium tuo nomine petitâ, licet non obtentâ, extra prædictum Ordinem, habitu tuo Regulari ſemper retento, ac religiosè, & honeſtè ſub obedientia, & correctione Ordinarii loci, in quo Te pro tempore degere contigerit, vivendo morari, & permanere, & interim alicui Beneficio Eccleſiaſtico etiam Curato de illius Rectoris conſenſu in Divinis deſervire, Chriſti fidelium Parochianorum illius Confeſſiones audire, & eos à caſibus Parochialium Eccleſiarum Rectoribus à jure permiſſis abſolvere, ac animarum Curam gerere, & exercere Verbum Dei, quatenus ad id idoneus, & ſufficiens exiſtas prædicare, & eleemoſynas tibi à Chriſti fidelibus piè erogandas recipere, illaſque in tuos uſus neceſſarios, & honeſtos convertere, & interim privilegio dicti Ordinis gaudere liberè, & licitè poſſis, & valeas .... Indulgemus, & licentiam tenore præſentium impertimur, pariter, & facultatem. Non obſtantibus &c..... Datum Romæ apud S. Petrum ſub Sigillo officii Pœnitentiariæ, 3. Kalend. Junii Pontificatus Domini Clementis Papæ VII. anno 3.

Idem colligitur ex aliis literis Patentibus eidem Laurentio de Buſtis conceſſis ab eodem Laurentio Epiſcopo Præneſtino, illi facultatem dante deferendi communem habitum Preſbyterorum, occultato habitu Regulari ſub hac formulâ.

Lau-

Laurentius miſeratione Divina Epiſcopus Præneſtinus, Laurentio quondam Ambroſii de Mediolano Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium Profeſſori ſalutem .... Nos igitur auctoritate Domini Papæ, cujus primariè Curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, Tibi ut quamdiu te extra Monaſteria, & Loca Regularia dicti tui Ordinis legitimè ſtare, & permanere contigerit, habitum tuum Regularem, ſubtus aliquam nigri, vel alterius boneſti coloris, Veſtem & biretum, ut Presbyteri Seculares deferunt, deferre, nec non uſum fructum dictorum bonorum, quamdiu Te extra tuum Ordinem manere contigerit, ut præfertur, percipere, & in tuos licitos, & boneſtos uſus convertere, eorumdem bonorum proprietate, cui de jure debetur, ſalva remanente, liberè, & licitè poſſis, & valeas, veris exiſtentibus præmiſſis, indulgemus plenamque, & liberam licentiam concedimus, & facultatem, non obſtantibus .... Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Sigillo Officii Pœnitentiariæ 3. Idus Junii, Pontificatus Domini Clementis Papæ ſeptimi anno tertio.

Eumdem verò Laurentium Parochum fuiſſe Eccleſiæ ſub invocatione Sanctæ Cæciliæ *de turri in Campo* demonſtrant patentes litteræ collationis illius Parochialis expeditæ à quodam Cynthio Philonardo Vicario Generali Eccleſiæ Sancti Laurentii in Damaſo, cujus erat filia Eccleſia S. Cæciliæ; hæc eſt litterarum patentium formula.

Cynthius Philonardus Protbonotarius Apoſtolicus Reverendiſſimi, ac Illuſtriſſimi Domini Domini Hyppoliti Sancti Laurentii in Damaſo Diaconi Cardinalis de Medicis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii Secretarius, dictæque Eccleſiæ Sancti Laurentii in Damaſo ac ejuſdem Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Cardinalis in temporalibus, & ſpiritualibus Vicarius Generalis. Dilecto nobis in Chriſto Laurentio de Buſtis Presbytero Mediolanenſi Rectori Parrochialis Eccleſiæ Sanctæ Cæciliæ de Turri in Campo Urbis Romæ prope Montem Jordanum, ſalutem in Domino ſempiternam. Vitæ & morum boneſtas aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita quibus fide digno commendaris teſtimonio nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque Parrochialis Eccleſia Sanctæ Cæciliæ de Turri in Campo prædicta quam nuper dilectus noſter Nobilis Dominus Julius Julectus de Nobilibus de Anguillaria Clericus Sutrinus ipſius Parochialis Eccleſiæ Rector obtinebat per liberam reſignationem ipſius in manibus noſtris ſponte factam, & per nos noſtra ordinaria auctoritate admiſſam vacaverit, & vacet ad præſens, cujuſque collatio, proviſio, & omnimoda diſpoſitio dum pro tempore fieri contigit ad nos vigore facultatis nobis conceſſæ pleno jure pertinere dignoſcitur. Nos volentes præmiſſorum meritorum tuorum intuitu gratiam tibi facere liberalem, Parrochialem Eccleſiam prædictam ſic vacantem cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis tibi per bireti capitis tui impoſitionem eadem auctoritate noſtra ordinaria tenore præſentium conferimus, & aſſignamus ac de ea etiam providemus. Teque coram nobis propter hoc ſpecialiter conſtitutum in corporalem Poſſeſſionem dictæ Parrochialis Eccleſiæ juriumque & pertinentiarum omnium prædictorum inducimus & inveſtimus de eadem. Recepto per nos à te quod Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo Domino meo, nobis, & pro tempore Succeſſoribus noſtris obediens eris, & fidelis ac Sanctæ Matris Eccleſiæ, noſtriſque ac pro tempore dictorum Succeſſorum noſtrorum parebis mandatis. Dictæque Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus atque in divinis laudabiliter deſervies, & deſerviri facies; juraque, & libertates ipſius Eccleſiæ manutenebis, & pro poſſe defendes; & omnia quæ ad ipſam Parrochialem Eccleſiam pertinent ſeu pertinere quomodolibet poterunt in futurum minimè alienabis, & alienata, ſi qua fuerint, ad jus & proprietatem ipſius Eccleſiæ reduces, & reduci pro poſſe bona fide procurabis ad Sancti Dei Evangelia corporali juramento. Quo circa Reverendo Domino Georgio Raphaelis de Ferraria Canonico dictæ Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Laurentii Notariiſque & Tabellionibus publicis per Urbem Romam conſtitutis, & eorum cuilibet auctoritate prædicta tenore præſentium committimus & mandamus quatenus ad prædictam Eccleſiam accedant ſeu accedat, teque vel Procuratorem tuum tuo nomine auctoritate & vice noſtris in corporalem realem & actualem poſſeſſionem dictæ Parrochialis Eccleſiæ juriumque & pertinentiarum omnium prædictorum inducant & inductum defendant, amoto exinde quolibet alio illicito detentore, quem nos etiam inquantum poſſumus amovemus, tibique Laurentio Rectori de ipſius Eccleſiæ fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus univerſis reſpondeant & faciant ab aliis quantum in ipſis fuerit plenariè, & integrè reſponderi; Contradictores auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras ſive præſens publicum inſtrumentum hujuſmodi collationem & proviſionem noſtras in ſe continentes ſeu continens exinde fieri & per Notarium publicum Archivii Romanæ Curiæ Scriptorem infraſcriptum nobis faciendum ſuſcribi, & publicari

blicari mandavimus. Sigillique præfati Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini mei juſſimus & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in ædibus Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Domini mei apud Sanctum Laurentium in Damaſo ſub Anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio indictione ſexta die verò Mercurii quinta menſis Februarii. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Clementis Divina Providentia Papæ Septimi anno ejus decimo. Præſentibus ibidem honorabilibus Viris Dominis Sixto de Adagnis de Alatro, & Joanne Baptiſta de Berardis Laicis Alatrinæ & Faventinæ Civitatum reſpectivè Teſtibus ad præmiſſa vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis. Cynthius Phylonardus Vicarius manu propria. Ego Joannes Dominicus de Fidelibus publicus Apoſtolica, & imperiali auctoritate Notarius ac Archivii Romanę Curiæ Scriptor, quia præmiſſis omnibus, & ſingulis dum ſic ut præmittitur fierent unacum prænominatis teſtibus interſui, eaque ſic fieri vidi, & audivi ac in notam ſumpſi. Ideo hoc præſens publicum Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicavi in fidem omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

Hæc omnia aſſervantur in Pergamenâ ritè cuſtoditâ cum ſuo Sigillo appenſo in Archivo S. Mariæ Pacis Canonicorum Regularium Lateranenſium in capſulâ Mediolan. num. 10. En factum autheuticum ante Concilium Tridentinum, & alia non pauca ſunt conſimilia in dicto Archivo, quæ non referimus, ne longiores ſimus, quàm par ſit. His ſimilia pleraque ſunt in aliis Archivis Lateranenſis Congregationis, quæ eadem de cauſâ omittimus, unico contenti, quod rem noſtram mirum in modum illuſtrat, & confirmat, utpote factum in media Urbe Româ. Auctoritas Papæ neceſſaria fuit, ut extra Clauſtra degeret, Ordinario Loci ſubjectus; & ſimul deferre poſſet habitum Presbyterorum, occultato habitu Regulari. Non dicit dimiſſo: quo in ſtatu poſito collatum eſt Parochiale Beneficium, de quo eſt ſermo. Quâ in Collatione nulla apparet interpoſita Papæ auctoritas; imò bis repetit hæc verba: *Noſtrâ Ordinariâ authoritate... Eadem auctoritate Ordinariâ...*

ARTICULUS XI.

Sacroſancti Tridentini Concilii teſtimonia adducuntur, quæ rei noſtræ congruere poſſunt.

§. I.

Nonnulla præmittuntur pro majori Argumenti dilucidatione.

I. SACROSANCTI, & Ecumenici Tridentini Concilii, Petri Naviculæ Clavum moderante Julio III. Summo Romano Pontifice, Seſſio quartadecima de Reformatione proponitur, in cujus Capitulo decimo, illorum Patrum mens, prout ad rem noſtram ſpectat, his verbis explicatur: *Regularia Beneficia, in titulum Regularibus Profeſſis provideri conſueta, cùm per obitum, aut reſignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religioſis tantùm illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino ſuſcipere, & Profeſſionem emittere teneantur, & non aliis, ne Veſtem Lino, Lanaque contextam induant, conferantur.* Hæc ultima verba ex Sacro Textu deprompta implicitè unita his aliis: *Non arabis in Bove ſimul, & Aſino*, commemorata novimus, anno decimo nono ſupra ſexcenteſimum, in Concilio Hiſpalenſi, adversùm pravam, & indecoram, quæ irrepſerat, conſuetudinem, quòd Laicus Economus eſſet Epiſcopi in adminiſtratione, & diſpenſatione Bonorum Eccleſiæ: *indecorum eſt enim*, ajebant Patres Hiſpalenſis Concilii *Vicarium Epiſcopi Laicum eſſe*. Eadem explicitè prolata ſcimus non ſemel ab Innocentio III. in caſu electionis Presbyteri *Boni* Secularis in Priorem Regularis cujuſdam Canoniæ Lucenſis, & in Capitulo in quo cavetur, ne Sectarii Sacro Baptiſmatis lavacro regenerati, Sectarum, quas abjurarunt ritus ſequantur: alioquin abſtineant à Ritibus Chriſtianorum; *cùm minus malum exiſtat viam Domini non agnoſcere, quàm poſt agnitam retroire*. Non ſecus Tridentini Patres ob motiva æquè gravia, iis uſi ſunt loquendi formulis, ut nunquam abuſus ille ſequatur, quòd Regularia Beneficia, vi Collationis, in Secularium dominium, & prædam tranſeant ipſiſque conferantur.

Anno 1548.

Seſſ. 14. c. 10.

Deuteron. c. 22. num. 11.

Ibid. num. 10.

C. in 9. actione.

C. quidam de Apoſtat. 4.

II.

II. Jubet igitur Tridentinum Concilium, ut *Beneficia Regularia . . . . Religioſis tantùm illius Ordinis . . & non aliis conferantur*. Hîc notatum velim, perperam, imò falsò dici ex ore Concilii Tridentini Beueficia Regularia Regularibus, & Secularia Secularibus eſſe conferenda (etenim ultima hæc verba nequaquam leguntur in Concilio;) quoniam, ſi alterius cujuſquam conditionis, & Profeſſionis Viris ea conferrentur, verum eſſet tunc, quod hujuſmodi, *Veſtem Lino Lanâque contextam induerent*. Hæc namque eſt deformis rerum perturbatio, ac confuſio, quæ Regularium omnem corruptelam peperit, quod ingens malum ab Eccleſiâ toties arcere voluerunt Summi Pontifices & Concilia; legimus propterea in Sacris Canonibus ſæpius id interdictum fuiſſe. Prævidebant enim Eccleſiaſticæ Diſciplinæ moderatores ac Magiſtri commixtionem hanc hominum diſparis Profeſſionis in eodem officio, & loco, plurimùm nocere paci Eccleſiaſticæ; ex eaque aditum patefieri bonorum nedum, ſed & animorum diviſioni, factionibuſque ſenſim obrepentibus, quibus, niſi præſtò ſuccurreret Suprema auctoritas, unitas, & pax, piis moribus inſtructarum domuum, profligaretur, & paulatim omnis in Monaſteriis Regularitas evaneſceret, ſi contra Patrum Decreta, & totius Chriſtianæ Religionis conſuetudinem, Seculares Viros, uti Magiſtros & Dominos, in medio Regularium reſidere, & velut Præpoſitos, de eorum Vitâ, ac converſatione decernere, iis demum præeſſe: eoſque dijudicare permitteretur. Vellem porrò ut feriò expenderetur, quod poſt modicam temporis intercapedinem, idem Tridentinum Concilium decrevit, ſub Pio IV. in Capitulo vigeſimo primo, Seſſionis 25. cujus hoc eſt exordium: *Cùm pleraque Monaſteria . . . . ex malâ eorum, quibus commiſſa fuerunt adminiſtratione, non levia paſſa fuerint . . . . detrimenta, cupit Sancta Synodus, ea ad congruam Monaſticæ Vitæ Diſciplinam omnino revocare*. Quid igitur? Modus iſte loquendi, quid aliud indicat, niſi eamdem eam rationem, quæ adducitur, cur ſub Julio III. ſancitum ſit, Regularia Beneficia nonniſi Regularibus debere conferri? Sub Julio III. unicum motivum perturbationis, & diviſionis, ſemen infeliciſſimum, ne *Veſtem* &c., innuere voluerunt Patres; ſub Pio IV. fortius, & validius objiciunt, & illud ipſum eſt, quod ubi Secularium quempiam Regularibus præfici, & Regularia Beneficia obtinere contingit, negligentiâ eorum, qui præficiuntur, ſive ex malâ eorum adminiſtratione, ſuper ſeminatur zizania bonæ ſementi: peſſundatur Regularis obſervantia & Diſciplina; ac Religio, ſi non prorſus extinguitur; plurimùm ſaltem eorum defectu labefactatur, & *non levia tam in Spiritualibus, quàm in temporalibus detrimenta patitur*. Tridentini Patres has jacentis Diſciplinę ruinas non ſine mærore, & lacrymis intueri potuerunt; agnoveruntque ex malâ eorum adminiſtratione, quibus commiſſa fuerunt Regularia Beneficia, ortum ducere, quòd, illo Ævo, pleræque Regulares Eccleſiæ in Commendam à Secularibus occupatæ, ob illorum temporum calamitates, omnem Religioſitatis decorem amiſerint, & Loca cultu, & veneratione digna Regularibus Viris deſtituta cernerentur; Quando Commendarum uſus ex nativo Inſtituto laudabilis eſt. Morbo huic propterea in dies ſævius graſſanti occurrendum eſſe duxerunt, peſſimamque abuſionem eliminare conati ſunt, ne Monaſteria à nonnullis Commendatariis, ob eorum abuſum, poſſiderentur; ſanxeruntque in durâ etiam, difficilique temporum conditione, ut quoad fieri poſſent, levarentur domus Religioſæ hujuſmodi Commendatariis, ut ſuis reſtituerentur incolæ aſceteriis, ſuus Eccleſiis honos, & ſanctimonia, nedum in Capitibus, ſed & in membris Religioſarum domuum denuo fulgeret, omneſque quotquot deſciverant, *ad congruam Monaſticæ Vitæ Diſciplinam revocarentur*. Libet hîc pauliſper digredi, & veluti per tranſeunam advertere, interdum provideri Secularem Clericum de Beneficiis Regularibus, titulo Commendatarii: *Ad tollendam Incapacitatem Clerici Secularis ad capiendum Beneficium Regulare*; & ad hunc finem *modus commendandi fuit inventus à Summis Pontificibus*; quæ eſt Sententia Pignatelli, Fagnani, & aliorum, aſſerentium, quòd *Commenda nihil aliud eſt, quàm Collatio Papæ diſpenſatoria ad obtinendum Beneficium, quod eſt obtineri prohibitum*. De cætero compertum eſt, Commendarum uſum invectum eſſe in Monaſteriorum utilitatem; imo neceſſitas pluries Summos Pontifices coegit recedere ab his prohibitionibus, deficientibus interdum Regularibus idoneis; itaque ordinavit Innocentius III., ut, ſcilicet, reparetur Monaſteriorum deterioratio, & alienatio bonorum Regularium. At redeamus ad Tridentinam Synodum.

Anno 1563.

Seſſ. 25. c. 21.

Tom. 8. pag. 118.

Cap. inter quatuor de relig. domib.

III. Videntur duo illa Tridentini Capitula ſupra laudata, multùm ſibi invicem cohærere, & utrumque ad alterum relationem habere; ambo enim æque ordinata

ſunt,

ſunt, ut ſervetur penes Regulares & adminiſtratio ſuorum Beneficiorum, & Superioritas in ſuis Abbatiis. Hęc primaria fuit intentio Patrum illius Concilii, occurrere defectioni Regularis Diſciplinæ, ejuſque grave vulnus ſanare. At neſcio quis obtrudit mihi; per hoc Tridentini Concilii Decretum æque arceri Regulares à Secularibus, ac Seculares à Regularibus Beneficiis; ſi enim Regularis quis Beneficium Seculare poſſideat, nonne, inquit, juſtam anſam inde captabimus objiciendi, & in hoc caſu refragatum Divino interdicto, *ne Veſtem Lino Lanâque contextam induant?* Si rem prout apparet exterius ſolummodo diſpiciamus, fateor æquam videri poſſe paritatem; at ſi interius omnia expendamus, ſtatim apparebit magnam ineſse diverſitatem; non enim ea timeri debent incommoda à Regulari, Beneficio etiam Seculari potiente, quæ à Seculari in Regularium poſseſſionem admiſso. Frequentius ſanè evenire ſperatur Virum Regularibus Votis obſtrictum, nonniſi utilitatem afferre Seculari Beneficio, dum iis divitiis abuti difficilius creditur, qui jam Paupertatem voluit, eamque excolere ſatagit; immo Pietas & Diſciplina, quacum nutritus eſt, quin detrahant, Clericatui ſplendorem adjungunt, cui vel à Puero, vel à faſciis, ut ita dicam, Profeſſionis, didicit ſe addictum eſse, idquè potiſſimùm, ſi ſit Regularis Canonicus, cui per ſeſe incumbit onus proximos in viam ſalutis dirigendi; ſperandum propterea eſt non aliud ab ipſo intendi, quàm Populorum inſtructioni vacare, & Eccleſiam Domini verbo & exemplo ædificare. Hinc effectum, quoniam Secularibus Beneficiis, ut plurimùm, ſi à Regularibus adminiſtrentur, multum Spiritualis lucri, ac etiam Temporalis accedit. Tradunt Hiſtoriæ elapſis Seculis uſu veniſſe, ut plures Præbendæ Eccleſiarum Secularium, Regularibus Canonicis, à prudentibus Epiſcopis concederentur; oppoſitum verò, non ita facilè reperire eſt. Si porrò reciprocum fuiſſet lucrum, reciprocę etiam fuiſſent Collationes; at quia alia conſuetudo vigebat, ob diverſa motiva, quæ vim ſuam habebant, Tridentini Patres, qui hæc omnia probè cognoverunt, ſanxerunt Beneficia Regularia, Secularibus nullo pacto conferri debere: quorum aliqua, cum, neſcio quo fato, in Secularium manus deveniſſent, nec amplius à Regularibus adminiſtrarentur, atque unitatem, & pacem Eccleſiarum Regularium, inde turbari, Religioſamque Diſciplinam eo ævo peſsumdari perſpicerent; Patres illi ita Regularibus ſua Beneficia aſseruerunt, ut Seculares dejicerent à ſpe ea amplius conſequendi; non ſic verò, ut paulò poſt videbimus, Secularia ita Secularibus adjudicarunt; ut prorſus ab iis arcere vellent Regulares. Sanè conſtantes fuiſse Pontifices & Concilia in Regularibus Beneficiis in ſua Regularitate ſervandis; haud pauca ſunt antiqua monumenta quæ id probant: habemus namque ex Bonifacio VIII. in ſexto Decretalium, quod *quando ſcribitur ut provideatur de aliquo Frioratu alicui Clerico Seculari, provideri non poteſt de Prioratu, qui per Religioſos juxta modum præmiſſum, eſt ſolitus gubernari; niſi hoc in litteris caveatur expreſsè*. Habemus Innocentii Tertii Epiſtolam ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, relatam inter Sacros Canones, eaque eſt: *De Monaſteriis quoque Græcorum in Seculares Canonicos convertendis. Fraternitati tuæ reſpondemus, quod quandiu per Regulares Viros, ſive Græcos, ſive Latinos remanere potuerint ordinata, non ſunt ad Seculares Clericos transferenda: ſed ſi Regulares defuerint, propter eorum defectum, in eis Seculares Clerici poterunt ordinari*. En igitur quid ſentiant Pontifices, ubi agitur de Beneficiis Regularibus ad Seculares transferendis; ubi deficiunt Regulares, qui ſunt magis idonei, ad minus idoneos recurri poteſt: *Quia* inquit Gonzalez *utilius eſt honoribus præfici minus idoneos, quam omnino nullos*. Animadvertit inſuper idem doctus Canoniſta: *agitur in præſenti de Canonicis Regularibus* innuitque, quòd Innocentius Tertius *fuit Canonicus Regularis Lateranenſis, unde*, proſequitur, *cum Conſtantinopoli, & in ejus Patriarchatu eſſent plura Monaſteria Canonicorum Regularium Græcorum; captâ Conſtantinopoli à Latinis, temporibus Innocentii noſtri III., plures ex ipſis Eccleſiis Regularibus deſtitutæ fuerunt Canonicis Regularibus*; & propterea conſenſit Pontifex ut ſubrogarentur Seculares Clerici, *nam quoties*, inquit idem, *Reſpublica vel Eccleſia idoneorum hominum penuriâ laborat, minus idonei quandoque muneribus obeundis admoventur*. Et quemadmodum hîc obſervat Gloſſa. *Eccleſia debet ſemper reformari per homines ejuſdem Profeſſionis . . . dum tamen haberi poſſunt, aliàs ponantur Seculares, quia neceſſitas non habet legem*.

L. 3. de præben. & dignis. tit. 4. cap. cum de beneficio.

De Religioſis domibus capite inter quatuor 5.

Tom. 3. pag. 684.

IV. Alia inſuper ratio eſt eorum quæ hactenus diximus, nimirum Regularia Beneficia in ſuâ Regularitate ſervanda eſſe, ea porro eſt, quòd cum Beneficia Regularia in Titulum collata ſint quibuſdam Eccleſiis, vel pro earundem ſuſtentatione,

ne, vel pro adminiſtratione, & frequenter ex hujuſmodi Communis Victus Ratio pendeat; neceſſe fuit, ut ea involare non poſſent alterius Profeſſionis homines, & perpetuò congruis Miniſtris adjudicarentur, qui dictarum Eccleſiarum membra eſſent, & quorum intereſſet eas ritè adminiſtrare. At non eadem Ratio de Beneficiis Secularibus; ſiquidem quicumque ea poſſideat, neutiquam fruſtratur Eccleſiæ intentum; & dummodo Populi probè dirigantur, Eccleſia nil detrimenti patiatur, imo augeatur, ſubleventur Pauperes, ædificia ſacra curentur, & Jura Eccleſiæ intemerata ſubſiſtant, jam nil deſiderari poteſt amplius, & omnia decenter ſe habent, & nihil eſt, cur mali quid timendum ſit. Ad hæc, Regularia Beneficia, vel Clauſtralia Beneficia ſunt, vel Curata; quoad ea primi generis, eſſet intollerabile, & prorſus indignum, Seculares iis titulis ornatos eſſe, quos non decet occupari niſi à Regularibus Commenſalibus, ut Concilium declarat. Quoad Beneficia Curata, cum ferè omnia collata ſint Regularibus Eccleſiis, Dotis Titulo; nefas eſſet hujuſmodi hæreditatem Secularibus cedere; nihil Seculari Eccleſiæ detrahitur, quod illius miniſter Regularis ſit: ſentio quidem potius illi non parùm ſplendoris regulariter accedere, augerique ejus & famam, & bona; & propterea Epiſcopus quilibet Jure ſuo Secularem Eccleſiam in Regularem convertere poteſt; quia talis mutatio, inquit Gonzalez Eccleſiæ *favorabilior eſt*. At Regularis Eccleſia, magnam ſanè jacturam facere poteſt, ſi in illius poſſeſſionem, & Servitutem Secularis admittatur, idque, regulariter loquendo, ſæpiſſimè evenit; hinc Soli Summo Pontifici reſervatum Jus Regularem Eccleſiam in Secularem convertendi: *Tantùm id Pontifici licet ob prohibitionem*, inquit ſupra laudatus vir, quod & comprobat Gloſſa, his prorſus verbis: *in Eccleſia Regulari non poteſt Epiſcopus ponere Canonicos Seculares*. Porrò omittendum non eſt, quòd non illico, *Veſtis Lino Lanâque contexta induitur*, quando Regularis Canonicus Seculari Beneficio admovetur; Linum ſanè geſtamus, & Nos, immò potiori Jure, *qui byrrbum, & Lineam*, mutuò accepimus etiam à Legislatore noſtro Auguſtino, ejuſque Clericis, Communiter Canonicèque viventibus; perpetuòque nobis adjudicarunt, ſanxeruntque Summi Pontifices, & Concilia, & quotquot Canonicum Ordinem reformare aggreſſi ſunt. Lineam propterea nunquam nos omnino dimittere ſolemus; nec ſanè ita frequens eſt apud Seculares illius togæ lineæ uſus; etenim eâ utuntur ſolummodo in ipſo actu Eccleſiaſtici Miniſterii; Nobis è contrà perpetuò impoſitum eſt eam gerere, nec unquam abjicere. Et licet Veſtem albam ſub Rochetto geramus; non inde Clerici eſſe definimus; Immo exinde conficitur potius Nos verè Clericos eſſe, quia habitum illum geſtamus, Rocchettum nempe & albam Tunicam, quo ab immemorabili tempore uti conſuevit Clericorum Princeps Romanus Pontifex. Diſtinguuntur etiam in hoc Canonici Regulares à Monachis, quia Lineis utuntur veſtibus. Ad paria quidem cenſentur in iis, quæ ſunt communia omni Religioni, verùm non in omnibus, ut loquitur D. Thomas; *aliàs poſſent ſimiliter concludere*, ait Angelicus, *quòd Canonici Regulares tenerentur abſtinere à Lineis indumentis, quia Monachi ad hoc tenentur*: Quo in loco idem S. Doctor docet: *Canonicos Regulares inter Clericos computari*.

Gonzalez hic.

Ibidem.

S. Aug. Serm. 355.

Contr. impugnant. Relig. opuſc. 34. al. 19.

V. Hæc itaque forſan ſunt motiva, aliaque ſupradicta, quibus probè perſpectis, Juriſprudentia Regularibus permiſit aditum ad Secularia Beneficia; nec hujuſmodi Res eſt, quæ alto ſilentio præteriri debeat, quin immò maximè perpendi meretur; animadvertendo, quòd certè in hoc Capitulo decimo Sacroſancta Synodus intendit quidem abuſus, qui invaluerant reſecare, Regularia Beneficia Regularibus aſſerendo; at non prævidit abuſum eſſe quod Regulares Secularia Beneficia conſequantur. Hæc erat opportuna temporis, & loci occaſio opponendi iis verbis *Regularia Beneficia . . . Religioſis tantùm illius Ordinis . . . & non aliis conferantur*; hæc alia, *Secularia Secularibus*: Sanè ea maxima tunc erat moderna, ac proinde non eam ignorarunt Tridentini Patres; nihilominus eam fatali ſilentio præterierunt. Conſtat profectò aliam fuiſſe Concilii mentem, ab eâ, quâ moderni quidam Doctores tenentur. Hoc in Articulo, ſive Capitulo, Beneficiorum Secularium, Tridentinum Concilium ne quidem meminit; nec tamen ubi eorum mentionem fecit, juxta noſtrum propoſitum, de Capacitate videlicet Canonicorum Regularium, adverſus eos nullam Regulam, nullumque Canonem efformavit; immò in Capitulo ſubſequenti expreſsè eos nominat; & dum Solos Translatos excludit à Poſſeſſione Beneficiorum Secularium, planè adſtruit Capacitatem Cano-

 nicorum

nicorum Regularium non Translatorum. Hoc Capitulum, materiam ſequenti noſtro Paragrapho ſubminiſtrabit.

§. II.

Afferuntur verba Concilii Cap. II. Seſſ. 14.

I. Concilii verba in Capitulo Undecimo hæc ſunt.... *Quia verò Regulares de uno ad alium Ordinem translati facilè à ſuo Superiore licentiam ſtandi extra Monaſterium obtinere ſolent, ex quo vagandi, & Apoſtatandi occaſio tribuitur: nemo cujuſcunque Ordinis Prælatus, vel Superior vigore cujuſvis facultatis aliquem ad habitum, & Profeſſionem admittere poſſit, niſi, ut in Ordine ipſo, ad quem transfertur ſub ſui Superioris obedientiâ in Clauſtro perpetuò maneat, ac taliter Translatus, etiamſi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia Secularia, etiam Curata omnino incapax exiſtat;* hucuſque Tridentini Patres. Hìc obſervanda occurrit vis, tò *omninò*, quæ idem importat, *ac in omni caſu, & in perpetuum*: illa dictio *omnino*, inquit, Doctus Canoniſta, *reſervationes excludit*. Aliàs quoque ad eandem evagationem impediendam prohibitum eſt, *Monacho vel Canonico Regulari conferri Hoſpitale, aut alium locum pium in Titulum, vel regimen, ne maneat extra ſuum Monaſterium*, & ne ſic diſtrahatur à ſua Profeſſione Regulari; cùm Locorum piorum adminiſtratio, & extra rationem Clericatus ſit, & non conſona Monachatui, ac proinde cui ea credita eſſet, neceſſitatem haberet vagandi extra proprium Inſtitutum. Satis porrò conſtat quodnam fuerit Tridentini Concilii intentum in eâ Sanctione, eliminare ſcilicet Apoſtaſiæ periculum, quod ex vagandi libertate oritur; jubent propterea expreſsè, & præſcribunt Regularem ad aliam Religionem translatum, teneri habitum illius aſſumere, & profiteri in ipsâ; decernunt ulterius, *ut in Clauſtro perpetuò maneat*, ſuoque Superiori quoad vivet, Obedientiam præſtet. Ut verò id executioni mandetur aditum præcludunt cuicumque fraudi, Incapacem declarando ad quæcumque Beneficia, Paræcias, & his ſimilia eum, qui deſiderio ductus, è Clauſtro exeundi ſpe Beneficii Secularis obtinendi, ad Ordinem Canonicorum Regularium tranſiret; adeout Regularis quilibet Canonicus, qui primitus in alio Ordine profeſſus eſſet, prorſus excludatur, & decidat à Spe, & Capacitate obtinendi quæcumque Secularia Beneficia, quod etiam debet intelligi de Regulari Canonico in alium Ordinem tranſeunte: *taliter translatus etiamſi Canonicorum Regularium fuerit ad Beneficia Secularia etiam Curata omnino Incapax exiſtat*. Cui Tridentinæ Sanctioni affinis eſt ea Concilii Viennenſis ſub Clemente Quinto decernentis Religioſum Mendicantem tranſeuntem ad Ordinem non mendicantem, ideſt juxta gloſſam, *ad Ordinem Sancti Benedicti, vel Sancti Auguſtini* non poſſe acceptare nec officia, nec adminiſtrationes, nec Prioratus, & Beneficia, *aut Curam Animarum, nec pro ſe, nec pro aliis*; ubi apparet Pontificis intentionem eo ordinatam fuiſſe, ut Religioſi *eo libentius in qua vocati ſunt vocatione*, permanerent; ac propterea hujuſmodi etiam privat voce in Capitulo, *etiamſi hoc ſibi ab aliis liberè concedatur*; intendit igitur habendos eſſe uti ſimplices Religioſos Clauſtrales; qua in Re finis, & intentum Clementis V. fuit, & ut perſeverarent libentius in primâ vocatione, & cum majori quiete manerent in eâ ad quam tranſirent, & ut impedirentur diſſidia, & ſchiſmata, infauſti fætus ambitionis: *diſcordiarum, & ſchiſmatum productiva ambitio*; & ulterius quia ſi adeo facilis eſset, & ſine pœnâ Tranſlatio de uno Ordine in alium, quidam, ut obſervat Gloſsa, *vix ſtarent in uno Ordine per annum*; quod idem jubet Martinus Quartus in Extravaganti, quæ incipit, *Viam ambitioſæ cupiditatis*. Idem porrò contingit in Caſu noſtro, eandemque vagandi libertatem cohibuit Tridentinum Concilium in Capitulo, de quo nunc agimus; nihil igitur ibi eſt, quod Canonicorum Regularium Jura quoquo modo lædat, ac propterea Viri docti Concilii verba attendentes, putant potius iis adſtrui, quam denigrari Capacitatem Canonicorum Regularium ad quæcumque Beneficia. Thomaſſinus ſanè ſuam Sententiam ſic aperuit. *Jure noviſſimo poſt Concilium Tridentinum eadem Canonici Regulares gaudent licentiâ obtinendi Parochias, cùm eos illos non exuerit Tridentina Synodus, niſi cum ab uno Ordine in alium tranſilierunt. Ex ea enim inconſtantia, & levitate jure reformidatur, ne libertatis potius libidine agantur, quàm ſuæ alienæque ſalutis charitate; itaque juſtæ hinc emerſere cauſæ Secularibus illos arcen-*

Seſſ. 14. de reformatione cap. 11.

Probi ad Monach. in cap. cum de beneficio *de præbend. in 6. n. 34.*

Vitalin. in Clementin. quia contingit *num. 37. & 38.*

Clementin. l. 3. de regular. & tranſeunt. tit. 9. c. 1.

Extr. comm. l. 3. de regul. & tranſeunt. c. 1.

Par. 1. l. 3. c. 23. num. 9.

arcendi Beneficiis; nam Regularia Regularibus à Concilio ſemper permittuntur. Taliter tranſlatus . . ., cum iis, quæ ſequuntur. *Hoc ergo Concilii teſtimonio*, concludit idem doctus Vir *liquidum fit, excepto hoc inſtabilitatis Caſu, Canonicos Regulares poſſe ſemper Parochiis Secularibus donari, non Regularibus tantùm, hoc eſt Ordini unitis*. Nobis porrò ſat eſt hujus Decreti intelligentiam Interpretationi Sacræ Congregationis Concilii remittere, quæ Tridentinorum Patrum mente probè cognitâ, ſic decrevit. *Congregatio Concilii cenſuit Decretis ejuſdem Concilii Canonicum Regularem, non prohiberi obtinere Beneficia Curata Secularia, niſi fuerit ex his Translatis, de quibus habetùr in Decreto cap. 11. ſeſſ. 14.* Huic igitur Deciſioni nemo reluctari deberet; ac proinde nemo Regularium Canonicorum Capacitatem ad Beneficia Secularia in dubium vertere, & de eâ contendere; & quidem non pauci ſunt, qui obſequantur, inter quos Gonzalez, qui poſtquam, ſupra Capitulum *quod Dei timorem* dixit, quod *ex hoc Textu ſequens communiter deducitur aſſertio: Canonicus Regularis poteſt præfici regimini Eccleſiæ Secularis*, proſequitur: *Quæ aſſertio probari poteſt ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. de reform. cap. 11. ubi Patres prohibent &c. nam è contrario videntur innuere Canonicum Regularem non Translatum ad alium Ordinem poſſe eligi ad tale Beneficium, quomodo illum Textum intellexit, & adduxit Rota in una Papienſi die 6. Martii anno* 1578. At verò non deſunt alii, qui vindicent ſibi Jus extendendi verba Concilii ad omnes omnino Regulares Canonicos, quanquam Concilium ipſum non niſi pro Translatis Decretum illud ediderit. Hoc præ cæteris Jus ſibi arrogat Paſſerinus, *quamvis enim*, inquit ipſe, *ex Doctoribus antiquis plures voluerint Beneficia Secularia Curata poſſe Regularibus conferri ſine diſpenſatione, quos abundè refert, & ſequitur Sanchez l. 7. Summ. cap. 29. num. 35., tamen ex Decreto Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 11. bodie hoc non verificatur, etiam in Canonicis Regularibus*. En ut detorqueantur verba Concilii? En ut auctoritate Tridentinorum Patrum abutuntur iſtiuſmodi Scriptores? Patres Tridentini eos Incapaces pronunciant, qui Translati ſunt etiam: *Ordinis Canonicorum Regularium*; ipſi de omnibus Canonicis Regularibus abſolutè abſque ullo diſcrimine Sententiam ferunt, idque auctoritate Concilii, quod neutiquam ex ejus verbis elici poteſt, immò contrarium in promptu eſt colligere. Pignatellus ſic ait: *Quia in Translato ad Canonicos non modò erat dubium, ſed contrarium expreſsè erat diſpoſitum, per C. quod Dei timorem; ideo ſcilicet Concilium ad corrigendam hujuſmodi diſpoſitionem ſtatuit, quod etiamſi ſit de iis, hoc eſt, etiamſi ad ipſos Canonicos, qui aliàs admittebantur, fuerit translatus, ad beneficia, ſicut alii incapax exiſtat*. Si aliquando Tranſlatis etiam ad Canonicos Regulares concedebatur regimen Animarum; huic uſui derogatum eſt à Patribus Tridentinis, ut omnino incapaces exiſterent.

Anno 1602. 15. Junii Urbinaten.

In cap. cum de beneficio num. 3. de præbend. & dignitat. in 6.

Tom. 1. pag. 42.

II. Et revera ſi vel ratione Inſtituti, vel Status, aut cujuſquam alterius obſtaculi, quod in Jure reperiri poſſet, aut alterius cujuſque impedimenti, quod irritas redderet Collationes factas in favorem Regularium, excluderentur affatim Regulares Canonici, ab omni, & quocumque genere Beneficiorum; ut quid Æcumenicum illud Concilium tantæ Auctoritatis, & Scientiæ Translatos dumtaxat in eorum Ordinem exciperet, interim innumeras controverſias ſeris Nepotibus veluti pro hæreditate relinqueret, datâ omnimodâ licentiâ ambigendi de aliis Canonicis Regularibus non Translatis? Non is ego ſum, qui facilè credere velim, hanc fuiſſe piorum ſimul, & doctiſſimorum Patrum mentem; ſapienter, & claré Translatos excepêre, eâque exceptione, Jus ſuum innatum cæteris non Translatis aſſeruere; & conſequenter Sacra etiam Congregatio Concilii, Tridentinorum Patrum mentem penetrans, pondus adjecit rationibus, auctoritati, & ſuffragio eorum, quibus nituntur Jura Canonicorum Regularium non exceptorum in Concilio, ipſaque eorum cauſam ſuſcepit, tutavitque; en igitur quantum aberrent longius à veritate, qui nullâ ſtabili ſaltem ratione permoti proprio voluntatis arbitrio ducti contemptâque Conciliari reſtrictivâ præſumunt Canonicorum Regularium rationes invertere, eoſque exturbare, ac dejicere à Capacitate ipſis innatâ conſequendi Beneficia, Concilii teſtimonio in medium adducto; dum ipſiuſmet Concilii Interpretes, & in eorum reverentiam ſanæ mentis Viri omnes doctioreſque Canoniſtæ, quin cenſeant Concilii verbis lædi, adſtrui ſupponique eandem Capacitatem pronunciarunt. Certè Juriſprudentia ſolidius fulciri non poteſt, quàm auctoritate Concilii, in quo Res de qua ambigitur expreſsè tractata eſt; at iſtud abſtinuit à maximâ illâ tunc cæteroquin recenti, & notâ *Secularia Secularibus*; auctoritateque ſuâ hanc aliam munivit: *Regularia Beneficia . . . Religioſis tantùm illius Ordinis . . . & non aliis conferantur*. Ut quid ergo fruſtra quærimus quænam fuerit

Con-

Concilii voluntas? Satis ipſa ſe prodit, quin eam anxiè inquiramus. Videant interim æqui rerum æſtimatores ac dijudicent, an hæc verba Gloſſæ exceptionem aliquam pati debeant, necne; certum eſt, ait Gloſſa, *quod Beneficia Regularia debent conferri Regularibus, & Secularia Secularibus: & maximè Religioſi nunquam debent habere adminiſtrationem Eccleſiarum Secularium, ne eis detur materia vagandi*. Ego ſanè cùm ex unâ parte videam plenè jam evagationem à Tridentino ipſo Concilio impeditam abſque recurſu ad hujuſmodi legem, qua arcerentur Regulares Canonici omnes à Beneficiis; & ex aliâ intelligam Gloſſam loqui de Monachis, quibus *ex neceſſitate temporum propter Miniſtrorum defectum permiſſum fuit aſſumi ad Parochiales Eccleſias*, nullatenus verò comprehendere Regulares Canonicos; nonniſi, ut modeſtè loquar, parùm Amicos, ac non plurimùm peritos eos dicam, qui hæc audeant Noſtratibus Canonicis obiicere, quorum, dum meminit Tridentinum Concilium, multùm diverſimodè loquitur, dum non excipit niſi Translatos; cùm autem *exceptio confirmet Regulam in non exceptis, & dicta ſit quaſi quædam excluſio*, ſatis abundè oſtenditur, aliorum Capacitas ad Secularium Eccleſiarum etiam Parochialium adminiſtrationem. Hac de causâ Regulares alii ad Canonicos translati, cùm intelligant ſe carere Jure illo obtinendi Beneficia, ad Apoſtolicam Sedem ſolent recurrere, ut aliis ſe adæquent, & ſicut alii Capaces fiant Beneficiorum; cujus rei præſtò eſt exemplum S. M. Innocentii XI., qui anno 1682. die 23. Decembris ſeptimo ſui Pontificatus anno, ſpeciali *Brevi* Patrem Angelum Caraffa Neapolitanum, primitus Carmelitam Excalceatum idoneum reddidit, ut omni eo Jure frui ipſe poſſet, quo gaudent Canonici Regulares non translati, at id non eſt Abbatiæ gradus, bene quidem facultas exeundi à Religione obtento Beneficio; ac propterea Pontifex concedit ipſi, ut iis omnibus frui poſſit, quibus fruuntur *Canonici Regulares non translati .. ac ſi translatus non eſſes*. Et niſi hæc facultas obtinendi Beneficia Translatos impelleret, inutilis eſſet hujuſmodi recurſus; cùm ab Abbatiali Dignitate non excludantur ii, qui alterius Religionis profeſſi Inſtitutum, ad Canonicos poſtea tranſierint. En igitur novum argumentum, quo dicta Concilii interpretatio confirmatur.

Gloſſa in 78. regul. juris.

Digeſt. l. 44. tit. 5. exceptionibus. Bartoli.

III. Quo magis Decretum illud conſidero, eo magis profectò intelligo, Prudentiam, & Sapientiam eorum, qui id formarunt; eo enim iis terminis concepto ſpoliatur unà cum cæteris Regularibus etiam Regularis Canonicus translatus omni Capacitate conſequendi Beneficia, & pleræque difficultates ſolvuntur, quæ ex eo aliter formato oriri poterant. Liceat hypotheſim facere, Decretum ſcilicet illud ſic exaratum fuiſſe; *ac taliter translatus etiamſi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia Curata omnino incapax, exiſtat*; omiſſa conjunctivâ particulâ *etiam* in Decreto additâ verbo, *Curata*. Hoc admiſſo, Regularis Canonicus, ac præcipuè Lateranenſis, cùm in Profeſſione ſuâ reſervarit ſibi facultatem acceptandi quæcumque Secularia Beneficia his terminis: *Cum Curâ, & ſine Curâ*, Concilii Decretum declinare poſſet, utpote, quod eum arcet quidem à Beneficiis *cum Curâ*, at non à Reſidentialibus, vel etiam non Reſidentialibus *ſine Curâ*, cùm eorum mentio nulla habita ſit in Concilio; ac conſequenter Forenſes quæſtiones excitare hujuſmodi ſubterfugiis, in defenſionem libertatis proprii Inſtituti. At quia Tridentinos Patres non latebat quidquid Lateranenſibus Canonicis competit, cùm non pauci etiam ex ipſis Canonicis Synodo interfuerint, univerſale Decretum oppoſuerunt, ut omne ſubterfugium auferrent, & Beneficia *ſine Cura* iis verbis *Beneficia Secularia, & cum Curâ*, additis his aliis, veluti quid à primis diſtinctum, *etiam Curata*, utraque ſimul complexi ſunt.

Quid porrò ſi hac aliâ formulâ uſi fuiſſent Patres: *ad Beneficia Secularia omnino incapax exiſtat*; ex his ſanè verbis indefinitè prolatis, & abſque ulla reſtrictione liquidum forſan fuiſſet alicui conjicere excluſionem Translatorum ab omnibus Beneficiis Secularibus. At ſi hoc pacto ſancitum fuiſſet, adhuc pateret aditus ſubterfugiis; adhuc namque ambigeretur, & Sacræ Congregationi proponi poſſet Dubium, num ab omnibus omnino Beneficiis arceantur Translati; non enim in primis Concilium uſum eſt termino *omnia*, quod complectitur omnem Beneficiorum ſpeciem *Cum Curâ, & ſine Curâ*; deinde in eorum dumtaxat verborum *Beneficia Secularia*, in promptu eſſet opinari equidem Beneficia *ſine Curâ* intelligi, eo vel maximè, quòd quis iis obtentis Religionem dimittit, videtur potius libertatis cupidine agi, quàm zelo perfectionis; at neutiquam Beneficia *Cum Curâ*, quippe ad ea charitas ipſa invitat, & Animarum Deo lucrandarum deſiderium. Poſſet pro-

propterea

pterea hæc prætendi excuſatio diſcedendi à Clauſtris ob Bonum ſalutis Populorum. At huic etiam ſubterfugio apparentis pietatis ſapienter præcluſa eſt via, ac ſimul diſſipatæ ſunt ambiguitates, quæ ipſum comitari potuiſſent, his videlicet verbis, *ad Beneficia Secularia etiam Curata*, quibus ablatus eſt perfectionis prætextus, & ſancita immutabiliter Concilii Lex, quòd Sanctione ſua Religioſum Tranſlatum, quamvis Regularem Canonicum eidem Clauſtro ad quod ipſe ſponte, alio relicto, confugit, uſque ad extremum halitum addicit, devovetque; idque vel in pœnam inconſtantiæ, & levitatis, vel ut caveatur Apoſtaſia, quæ jure formidari poſſet; *in Clauſtro perpetuò maneat*.

Ex hucuſque dictis liquidò conſtat, quàm cautè, quàm prudenter Tridentinum Concilium occurrerit cuique ſubterfugio, vel excuſationi, quam prætendere poſſent Regulares tranſlari, qui quocumque ſe vertant, addictos ſe intelligunt Clauſtris iis, quæ ipſimet uti refugium elegerunt. E' contra verò Regulares Canonici non Tranſlati, dum nil geſſerunt, quo in ſuſpicionem evagationis, & Apoſtaſiæ trahi queant, illæſi remanent in ſuis juribus, eorumque Capacitas ad Beneficia, ne dum intacta, ſed etiam tanti Concilii auctoritate roborata, & munita. Et ſanè ex ipſo Concilio confici non poteſt Jus novum tunc inductum eſſe, ſed ſolummodo antiquum, & Commune firmatum; certum namque eſt, quòd ſi Patres ii cenſuiſſent, jure Canonico, vel etiam Civili vetitum eſſe conferri Secularia Beneficia Regularibus Canonicis, non excepiſſent Tranſlatos dumtaxat, cum notum ſit cuilibet, quod *exceptio firmat Regulam in caſibus non exceptis*. Ut ut tamen ſit illud, contendo non debere accipi uti Privilegium, Capacitatem iſtam aſſertam in Concilio; nam quemadmodum exceptio adverſus Tranſlatos continetur *in Jure Communi*, quod fundat ipſummet Tridentinum; ita quæcumque incluſio favorabilis non Tranſlatis, cenſeri non debet perinde ac favor, aut Privilegium: *quia non eſt extra Jus Commune; tunc enim dicitur favor, vel Privilegium, cùm eſt extra Jus Commune; nam dicitur Privilegium ideſt Privata Lex*; immò; ſicuti Dignitate, ita etiam Doctrinâ Eminentiſſimus Petra Tridentinum Textum perpendens, quo prohibetur Regularibus etiam ad Canonicos Regulares tranſlatis Parochiarum conſecutio; animadvertit, quòd hujuſmodi locutio, *optimè comprobat fuiſſe in eis de jure Capacitatem, cui oportuit derogari, mediâ clarâ explicatione Canonicorum Regularium*. Excipiuntur ergo Regulares etiam ſi ad Canonicos Regulares Tranſlati, non verò Canonici Regulares non Tranſlati, quibus certè ineſt Capacitas *utpote*, inquit, idem Cardinalis, referens Scriptorum ſuffragia in favorem Regularium Canonicorum: *Utpote Beneficiorum curatorum Capaces, neceſſaria fuit expreſſio talis qualitatis; & verè id non adverſatur Capacitati eorum, eo fortius quia hoc comprobat Uſus poſt dictum Concilium frequenter receptus in dictis Canonicis aſſequendi Beneficia Curata ſine licentiâ Sedis Apoſtolicæ, ut citati Doctores abundè referunt, & conſtat ex ipsâ declaratione Gregorii XIII., quæ ſuperflua fuiſſet, quatenus Concilium illud demandaſſet*; cui declarationi morem gerens, concludit deinde non licere Canonicis Regularibus Beneficia Curata conſequi *abſque permiſſione, ſeu diſpenſatione Summi Pontificis*. En igitur quòd nullatenus confici poteſt ex Concilio Incapacitas de Jure Canonicorum ad Beneficia, neque favor, aut Privilegium vel tolerantia innuitur, dum ipſis Capacitas conceditur, ſed abſolutè *Jus*; hinc ſequitur, quòd ſilentium illud Sacroſancti Concilii in eâ circumſtantiâ rei, quę agitabatur, eſt probatio convincens, quę eos ſupponit Capaces *ad Beneficia Secularia etiam Curata*. Ubi notanda eſt expreſſio hæc, ſcilicet, conjunctiva particula *etiam*; quemadmodum indicio eſſe videtur à Concilio arceri reſpectivè Translatos etiam à Beneficiis Curatis, ac proinde præſupponit aliam prohibitionem pro Beneficiis non Curatis; ſic, relativè ad non Tranſlatos, ex eâ particulâ *etiam* per ſeſe, & ex naturâ ſuâ debet inferri de mente Concilii eos ſupponi Capaces *etiam* Beneficiorum Curatorum, & per conſequens, in iis præſupponi aliam Capacitatem ad alia Beneficia non Curata, ideſt Simplicia, & Canonicatus, juxta Profeſſionem Canonicorum Lateranenſium, *cum curâ, & ſine curâ, intus vel extra*; & juxta Regulam illam Juriſprudentiæ, *non debet cui plus licet, quod minus eſt non licere*. Ex quo planè conficitur Concilium Tridentinum nullatenus lædere Canonicorum Regularium Jura, ſed potius ea firmare.

De legib. & conſtit. princ. tit. 14. quod favore. Gloſſa.

Loco citato.

Digeſt. l. 10. tit. 17. de diver. regul. juris antiq. reg. 21.

AR-

ARTICULUS XII.

Proponitur Pugna Scriptorum circa Capacitatem Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia.

§. I.

Scriptores numero plures, auctoritateque graves ſtant pro dictâ Capacitate.

I. INGENUE fateor, me non ſatis, prout vellem, ob captus mei tenuitatem, aſſequi poſſe Scriptorum ingentem pugnam in Re, quam tritam eſſe jam tempus ipſum declarat; etenim antiquitus, & ſæpe tractata eſt. Abſtinere interim debeo à præcipiti judicio, nempe plus in iis conflictibus eſſe quòd amorem Proprium & Factionis livorem redoleat, quam Veritatis zelum. Neque doctis Viris affigere fas eſt, quòd eorum mens, cæteroquin Veri capax, hac in Re, privato potius affectui ceſſerit; & voluntatis præjudiciis acta à Veri cognitione ſponte ſe avelli paſſa ſit. At verò, quoniam adeo exilibus argumentis quoſdam niti video, quæ Rei ſolâ conſideratione franguntur, atque comminuuntur; non immeritò ſuſpicio inoritur apud eos plus obtinuiſſe ac potius triumphaſſe affectum erga ſingularia, & propria cujuſque ſtudia, quam juſtitiæ defendendæ amorem. Demus tamen Bellum hujuſmodi, non ab diviſione Authorum in diverſa ſtudia, ſed ab diversâ interpretatione Canonum, Conciliorum, & Pontificiarum Sanctionum progenitum eſſe; adeout nullius præjudicati vitio tribuendum ſit, quòd diverſimode ſenſerint; ſed hæc Opinionum diverſitas unicè ex ipſiſmet Decretis ab alio, atque alio aliter atque aliter intellectis proveniat; nihilominus reor illicitum non eſſe, cujuſque ſententiam ſagaci eruditorum criterio ſubmittere, ut quiſque inde juxta proprium meritum candidi Lectoris judicium ferat. Occurrit verò non incongruum fore ſi Authorum nominibus parcam, & referam dumtaxat motiva, quæ eorum animum induxere, ut ea ſcriberent, ut ſimul & illis, & mihi conſulam. Illis quidem ne fortè celebritatem nominis imminuant, ſi unquam eos à veritate longius aberraſſe conſtiterit; mihi verò, ne adulatoris notâ inurar, quòd nimiis laudibus efferam, qui meo favent intentui. Non tamen obliviſcar moniti illius Senecæ ita Legentem adhortantis; *nec te moveat dicentis auctoritas, nec quis, ſed quid dicat attendito*; meminero illius etiam, quod ad Auguſtinum Hieronymus ſcripſit: *Ego auctores ita lego, ut quantalibet ſanctitate, quantàve Doctrinâ polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios auctores, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorret, perſuadere potuerunt.*

De quatuor virtutibus cap. de prudentia. Epiſt. 8.

II. Non pauci igitur ſunt Scriptores, quibus placet Regulares Canonicos rigidè Monachorum gregibus annumerare; quia Vota Solemnia emittunt, quodque Regularem Vitam vivant. Hæc ipſi cenſent obſtacula, ob quæ arceri debent à Secularibus Beneficiis; Item, indecens prorſus eſſe in uno Officio diverſæ Profeſſionis, & Characteris Viros conſtitui; Lanam, & Linum induere, eidemque aratro Bovem, & Aſinum ſubjicere, adverſus Divinum Præceptum. Aliis verò libet aliâ viâ incedere, ajuntque; ſi juxta Concilium Tridentinum Solis Regularibus ejuſdem Ordinis conferri debent Ordinis Beneficia, ita etiam juxta Concilium Lateranenſe V., fas erit Secularia Beneficia Seculares dumtaxat conſequi poſſe; hacce methodo Leoninum Concordatum ubique vigere contendunt, & Maximam illam, *Regularia Regularibus, Secularia Secularibus.* Ulterius perperam niti Canonicos Regulares Tridentino Concilio; quia licet Translatos dumtaxat exceperit, nihilominus rationes favore non Translatorum adducendas alto ſilentio præterivit. Denique ſi nunquam Jus Commune titubaret in probationibus & argumentis adverſus Canonicorum Regularium Capacitatem, ſat erit converti ad Jus Novum, quod omne eo-

rum

rum Jus evertit. Gregorius XIII. primus fuit, unâcum Sacrâ Congregatione Concilii, qui eos Incapaces pronuntiavit, eos adigendo ad impetrandam Diſpenſationem Apoſtolicam; cujus vigore, obſequii & reverentiæ ergò, Sacræ Congregationes Epiſcoporum, & Concilii iis ſe oppoſuerunt; ſtatueruntque repellendos eſſe, niſi ſecum habeant Sanctæ Sedis indultum; atque hic eſt mos hodiernus. *Quidquid eſſet dicendum de Jure Communi, & juxta Diſpoſitionem antiquarum Conſtitutionum Regularium, & Apoſtolicarum; hodie*, affirmat Monacelli. *Jure Novo tenendum eſt abſolutè, quod Regulares omnes, etſi Canonici nuncupentur, abſque Indulto Apoſtolico, non poſſunt Beneficia Secularia in titulum obtinere*. Notanda hic verba *de Jure Communi & de Jure Novo*. Jus enim iſtud antiquum agnovit etiam S. Congregatio relata à Fagnano, & ab Eminentiſſimo Petra, ſic definiens *die 27. Octobris 1575. Concilium non prohibuit, quin Canonici Regulares poſſint uti jure veteri, niſi quando translati*. At, non hoc Jure carere debent, Jure Novo impediti? Quid plura? Ipſammet Diſpenſationem, inquiunt, alii Scriptores, concedi non expedit; cum ea aditum faciat evagationi, quæ in Apoſtaſiam ſolet degenerare; nec ulla neceſſitas eſt, ut eam debeant impertiri Pontifices. Ita neſcio quis loquitur. Qui autem ordinatim, & abſque magno æſtu Res perſequitur, aliam ſanè methodum init, & Canonicos Regulares introſpiciens, ſatis intelligit, quid his, aliiſque id genus locutionibus, earum auctor velit Lectorem, ſcilicet, non erudire, ſed opprimere; non viam ſternere ad cognitionem Veri, ſed media, quibus eo perveniri poſſet, ſubtrahere.

Tom. 1. pag. 316. n. 11.

Tom. 2. pag. 12.

§. II.

Afferuntur auctores, qui favent Capacitati Canonicorum Regularium ad quæque Beneficia acquirenda.

I. SUnt verò alii, qui ſaniori utentes conſilio, Beneficia, ajunt, Eccleſiaſtica Originem ſuam habere ab eleemoſynis manualibus, quas Fideles Eccleſiæ offerebant, & Epiſcopi ſolebant partiri, & juxta cujuſque conditionem, gradum, & meritum diſtribuere. In primis, Clerici, utpote illuſtrior portio gregis Chriſti, his Fidelium oblationibus moderatè fruebantur, tum reliquis etiam ſua portio obveniebat. E Clericis verò digniores erant Animarum Rectores, ideſt Parochi, quibus incumbebat Verbum ſalutis annuntiare Populis; quique augebantur juxta quod creſcebat in dies Eccleſia Fidelium numero. Et quia his oblationibus communibus totus Clerus ſuſtentabatur, quod & prius fecerant Apoſtoli, eorumque Diſcipuli, vitam idcirco communem ratione proprii Inſtituti, unâ cum Epiſcopo, vixiſſe tunc Clericos omnes meritò aſſeritur. Cùm verò Oblationibus, ex Fidelium largitate, ſucceſſerunt Fundi, prædia, aliaque bona; hæc eadem ad uſum fructum Parochis conceſſa ſunt, ut inde alerentur. Qua in Re apparet non leve indicium Vitæ Communis Clericorum, unâ cum Epiſcopis, quod in Primitivâ Eccleſiâ nullus ſit Canon, aut Decretum, quo quadripartita diſtributio Bonorum Eccleſiæ jubeatur. *Communis Societatis vinculo connexi vitam agebant*. Ex his porrò Clericis Vitam Communem agentibus, prodibant Sanctiſſimi Parochi; nec ex aliâ Profeſſione eos aſſumi conſueviſſe, aſſeruit Ivo Carnotenſis, his verbis. *In primitivâ Eccleſiâ nullus eſt conſtitutus Rector Animarum, niſi de Communi Vitâ aſſumptus*. Pergunt deinde qui Capacitatis gratiâ ſcribunt, ajuntque, Regulares Canonici, ut fert Communis Opinio, vi proprii Inſtituti, Clerici ſunt per eſſentiam, ac Clericatum ab ipſis incunabulis Profeſſionis aſſumunt; proindeque non illis ex Privilegio, Clericatus conjunctus eſt; ſed eſſentialiter, id exigente propriâ eorum Profeſſione Canonicâ; nec utcumque Clerici ſunt, ſed tales, qui à Collegio Apoſtolico rectâ dimanant, quòd toties proditum eſt, & aſſertum ab ipſis Summis Pontificibus; ad hæc, talis eſt eorum Ordo, qui Primis Eccleſiæ Seculis quodlibet genus Beneficiorum Eccleſiaſticorum obtinuit; & cui olim commendabatur Grex Animarum hominum puſillus, ſed pretioſus. Cum hæc liquidò conſtent, conticeſcam fas eſt, ait quidam Scriptor qui, & fatetur, ſe non percipere, quî olim

Art. 1. §. 1. & ſeqq.

Ibidem.

 Vita

Vita Communis Clericorum neceſſariò requireretur, juxta Ivonem, ad hoc, ut conſtituerentur Parochi; nunc verò, apud quoſdam Scriptores audiatur ut impedimentum & quaſi obſtaculum ad ea obtinenda Beneficia, quæ dicta ſunt à Conciliis *ſtipendia Fratrum in Commune viventium*.

Ibidem §. vij.

Addunt alii, aliud Jus ineſſe Regularibus Canonicis ad quæque Beneficia, idque eſſe, quòd ipſi ſunt genuina ſoboles eximii eorum Legiſlatoris Auguſtini. Is porrò inſignis Parochus fuit, ac filios ſuos, Epiſcopii Hypponenſis Clericos, hæredes conſtituit eorum munerum, quæ ipſe Prior præſtiterat, adeout, adhuc vivens, Africanam Eccleſiam, iis Clericis totam reſperſerit, eoſque ſive infulis, ſive Parochiis, ſive aliis dignitatibus primariis etiam ornaverit. Hæc in eadem munera & Jura, ſuccedunt eorum nepotes, Filiique. Hæc eſt Vocatio, hæc indoles Regularium Canonicorum, Parentem ſuum, Confratres, & Collegas in Curis Eccleſiaſticis imitari. Primis Eccleſiæ Seculis vigebat Vita Communis, Hierarchicis functionibus adjuncta, & viciſſim decor utriuſque ex eâ unione obveniebat. Ævo noſtro, adhuc perſeverat apud Canonicos Regulares; in iis namque perpetuò Clericatum comitata eſt Vita Communis Rerumque omnium abdicatio; idque etiam deploratioribus & deterioribus Seculis feliciter viguit. Nihilominus hoc ipſo ex capite, eorum Clericatui, multum detrahi putant aliqui hodiedum, ob Solemnitatem Votorum, Regularitatiſque notam. Verùm tamen etiam eſt, Solemnitatem recenſitam, eſſentialem nequaquam eſſe Religioni, nec Clericum è Clericatu deiicere poſſe. Voluntariam namque, & Votivam Paupertatem, quæ nunc à Regularibus colitur, à Sanctis Apoſtolis, qui Primi fuere Beneficiati in Eccleſiâ in eos deſcendiſſe, nemo neſcit. Norunt omnes, hanc abdicationem Auguſtinum, ejuſque Clericos, maximè dilexiſſe, imò eam profeſſos fuiſſe. Auguſtinus præ cæteris, etiam dubitavit, num dignè quis Clericus eſſe poſſet, qui Votis non obſtringeretur. Olim Clericatum auferre minitatus eſt iis, qui de Proprio vivere elegiſſent. Hac non obſtante Regularitatis Notâ, ac Votivâ Paupertate apud Hypponenſes Clericos, Sanctiſſimus Eccleſiæ Doctor, cui notæ erant Clericatus obligationes, Clericos ſuos, ut fidelem Populum regerent, ſæpiſſimè, *rogatus dedit*. Immò cum Regularitas prima comes fuerit Clericatus, magis Clericum decet, illique connaturalior eſt, quàm Secularitas, quæ permiſſa non fuit, niſi jamjam grandeſcente Eccleſiâ.

Serm. 355.

At ſi certum eſt axioma illud, videlicet: *Quod non prohibetur permitti intelligitur*; unde nam, alius Canoniſta ſubdit, prohibitum eſſe conſtat, ob motivum Diſciplinæ Regularis, Beneficia conſequi, quoties Concilia Vaſenſe, Toletanum, & Meldenſe potius exigunt Regularitatem quàm quodlibet aliud requiſitum in Sacerdotibus, Animarum Rectoribus? Doctos non latet, anno centeſimo ſupra milleſimum, controverſum fuiſſe, *& magnâ hinc inde animorum contentione: an adminiſtratio Parochiarum Canonicis Regularibus permittenda eſſet?* Diſcuſsâ verò Re in pleno Concilio: *Iſtiuſmodi contentionibus ſedandis adlaboratum eſt in Concilio Pictavienſi;* Decretum fuit in favorem Canonicorum Regularium. Ex quo ſatis conſtat Rem hanc finitam eſſe à multis Seculis, auctoritate Canonis Conciliaris, quo, ut ait Doctus Vir, *Monachi vetiti ſunt, permiſſi verò Canonici Regulares officia, & functiones obire Parochorum*. Ex quo etiam infertur differentia, quæ intercedit Monachos, inter, & Canonicos Regulares in materiâ vel negotio Animarum regendarum. Hæc agnita & aſſerta fuit ab ipſomet Concilio Lateranenſi III. Juſſit quidem hoc Concilium, ne Monachi habitarent, *ſinguli per Villas;* verùm non id ſanxit de Canonicis Regularibus; immò ne fortè ad ipſos etiam extendi putaret quis Decretum illud, eoſque proinde in Monachis haberet, Innocentius III. pronuntiavit, quòd, *iſtud de Canonicis Regularibus non cavetur*.

Thomaſſin. par. 1. pag. 689. Can. 10.

Idem ibidem pag. 699.

III. Nemo interim inficiatur, juxta Sacros Canones, monſtrum veluti eſſe, diverſas ſimul Profeſſiones colligare, ex eoque deformitatem oriri. At nemo neſcit Canonicum Regularem propriè Clericum eſſe, *directè, per ſe;* nec denigrari Clericatum, per hoc quod comitem habeat Regularitatem, Clericatus ornamentum, & non vulnus; Clericatus autem unus eſt in Eccleſiâ Dei. Ubi nam ergo ſunt duæ Profeſſiones, quas jungi ſimul in eodem officio nefas ſit? Hæc ſunt, quæ à cordatis viris in dubium verti non poſſunt. Non igitur Canones quicquam officiunt, quin liberè Regularibus Canonicis, Secularia Beneficia conferantur. Capitulum *Monachi*, æqualibus pœnis obnoxios jubet eſse Religioſos omnes Proprietarios;

Cap. in nona act. & alibi.

De Statu Monachorum.

rios: Monachis prohibetur, ne morentur ſinguli *per Villas*, ut jam diximus; Canonicos Regulares ſilentio præterit; eos Monachis exæquant Canones quidem in caſu percuſſionis, non verò in omnibus, decernentes, *quòd non ſunt ad Apoſtolicam Sedem mittendi, ſed ſecundùm providentiam ſui Abbatis diſciplinæ ſubdantur*? Quid aliud jubet Capitulum, *ſanè*, niſi quòd Canonicus Regularis deſertor Aromatenſis Eccleſiæ, perpetuò morari debeat in Monaſterio Monachorum, ad quod ipſe confugit, ſi diſtrictior ibi vigeat Diſciplina, & levitatis in ſuâ fugâ convictus, redire *ad Canoniam*, ubi, *in vituperium memoriale cucullum portet*? Legatur Capitulum, *ſuper eo*, & apparebunt Clerici duo Seculares Religionem ingreſſi, cum Propoſito non amplius redeundi ad Seculum; antequam verò Profeſſionem emitterent regredi voluerunt, & Pontifex eos adſtrinxit ad obſervantiam Voti Religionis, in Clauſtro mitiori: *ne contra Votum venire probentur*. At, quæſo, quid Canon iſte *ſuper eo*, profertur adverſus Capacitatem Canonicorum Regularium, quoties ipſi in actu ipſo, quo Profeſſionem ſolemnem emittunt, hoc ſibi Jus expreſſe conſervant, tranſeundi, ſcilicet, ad Seculares Eccleſias; abſque tamen Votorum abſolutione Caſtitatem exeuntes adhuc colunt ratione Voti; Obedientiam etiam, mutato Abbate in Epiſcopum; Paupertatem, reſtricto uſu Bonorum, aptato tamen exigentiæ novi ſtatus. Et quia, in Capitulo, *Præterea*, jubet Summus Pontifex, ut Canonicus Regularis, juxta libitum ſuum alterutram dimittat ex duabus Dignitatibus Archidiaconalibus; quo jure quidam inferunt, Summum Pontificem eum exuiſſe Archidiaconatu; non attentâ gloſsâ, quæ, hoc loco, abſque ullâ Eccleſiarum exceptione, dicit, *quòd Canonicus Regularis poteſt fieri Archidiaconus*? Porrò, Capitulum *quòd Dei timorem*, quidquam præjudicii non inferre noſtro argumento clarum eſt; dum in ipſo explicatur Lateranenſe Concilium in favorem Canonicorum Regularium. Uſurpant quidem Pontifices Divinum interdictum in Decretali, *Cum Cauſam*, non eſse, videlicet, arandum in Bove ſimul, & Aſino; non induendam Veſtem Lino Lanâque contextam. Hoc autem dictum eſt, ut irritam redderent electionem Presbyteri Secularis, in Priorem Canonicorum Regularium Lucenſium; ſicuti etiam in eos id protulerunt Summi Pontifices, qui Sacros Ritus Chriſtianorum, unâ cum Judaicis Cæremoniis commiſcebant. Ulterius, ut reprobarent infandam illam conſuetudinem, quæ irrepſerat, ut Laicus eſſet Vicarius Epiſcopi, & Secularis Regularia Beneficia obtineret. Hæc monſtra adeo enormia, qua ratione verificari quis dicet qui emunctæ naris ſit, in Canonico Regulari, qui Seculari Beneficio potiatur? Immo Gloſſator Canonis, *Deus qui*, motiva reperit ſic diſſerendi: *Eſt & hic argumentum pro opinione Hugonis, quod Canonicus Regularis poſſit fieri Canonicus in Eccleſia Seculari*. Præterea, quòd poſſit eligi in Prælatum Eccleſiæ non Collegiatę, colligit Gloſſa in Clementinâ, *de electione*, abſque ullâ difficultate; quòd verò promoveri poſſit in Prælatum Eccleſiæ Collegiatę, ſtare validas rationes pro utraque parte affirmat; ob quam Rem concludit, dicens; *egeret hoc declaratione*. Utquid igitur tantâ vehementiâ impetitur Capacitas Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia, fulcita tot monumentis, tum numero, tum auctoritate graviſſimis, expreſsè illa comprobantibus. Addes, deinde, noſtratium Canonicorum Profeſſionem, liberam in ſuâ obligatione, unâ cum Votis, libertatem continere adeundi Secularia Beneficia, pleneque obſervari à multis Seculis, uſque ad hæc noſtra tempora. Quamvis, denique, diſſentirent Scriptores omnes, & Canoniſtæ inter ſe differrent, cenſet tamen Gonzalez, debere ſervari Regularium Canonicorum inviolatum Jus, quouſque Cauſam definiat Sedes Apoſtolica: *In qua Opinionum varietate, credo validè, & licitè poſſe Canonicis Regularibus Beneficia Secularia etiam Curata conferri. Sed quia hæc quæſtio adhuc deciſa non eſt per Sedem Apoſtolicam, & ſi ſæpius diſputata in Sacrâ Rotâ, ne hujuſmodi Beneficia Canonicis Regularibus collata, ut vacantia impetrentur, optarem hujuſmodi declarationem peti à Romano Pontifice*. Meritò quidem doctus vir ita cenſet; ad Sedem namque Apoſtolicam, *Nodi quæſtionum difficiles referuntur*; & quemadmodum, loquitur Lucius III. ore omnium Romanorum Pontificum, *Ad hoc ſumus*, inquit, *in Sede Juſtitiæ, diſponente Domino, conſtituti; ut quæ contra Juſtitiam attentantur, noſtrâ ſollicitudine ad rectitudinis tramitem revocentur*. Et ſanè, ſi extra Tribunal illud Sanctum, Rectum, & Incorruptum, veritatem inquirimus; perdifficile erit eam reperire; norunt namque omnes, *quam ſit periculoſum, ex Doctorum ambagibus, atque obiter dictis, controverſias decidere; cum ſæpè, malè accepta, pejus exponantur*.

Admoneor tamen nondum plenè mihi ſatisfeciſſe; nihil enim hactenus reſponſum

C. Monachi de ſent. excomm.

De regular.

De regular.

De præbend. & dignitat.

De election. & electi poteſt.

Cap. quidam de Apoſtatis.

Cap. in nona act.

Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 10.

De vita, & honeſt. Clericorum.

Clementin. de electione, & electi poteſtate.

Cap. quod Dei timorem *fin.*

Lib. 2. Decretal. tit. 6. ut lite non conteſtata cap. ad hæc Deus 11.

L. 1. 1. Decretal. tit. 3. de reſcriptis c. ad hoc ſumus 10.

Lotter. de re beneſic. l. 1. qu. 18. num. 13.

ſum

ſum eſt animadverſionibus ex Jure novo petitis. Satius cenſui primitus rem ſuâ in radice ſpectare, eamque proût ab initio fuit, ſtatuere. Hoc modo facilius Veritas inquiſita reperitur; ut innuit Gregorius Magnus Homiliâ ſecundâ in Ezechielem Prophetam; *ad veritatem ſolidius oſtendendam*, inquit, *antè Hiſtoriæ radicem figere*. Hiſtorica hæc narratio, quæ præmiſſa eſt, ſcrupulos non paucos auferet, deſtruet, diſſipabit. Hac profectò caligine arcentur plures Scriptores à veritate inveſtigandâ dignoſcendâque. Certè poſt hæc in his rebus errare, vel parùm ſagacis, vel parum veracis eſt. Profitemur interim, nobis propoſitum non eſſe Interpretes agere eorum, quæ delibata ſunt à Sacris Congregationibus, & Summis Pontificibus; illud ſolùm intendimus, quædam prodere, quæ ab aliquibus immeritò reticentur; quorum libertas eo etiam devenit, ut quædam imponant ut prolata in quibuſdam Sanctionibus, quæ ne quidem in mentem venerunt iis, qui ea condiderunt.

Lib. 1. homil. 2.

ARTICULUS XIII.

Summorum Pontificum Decreta recenſentur nempe Gregorii XIII. nec non Clementis X.

§. I.

Anno 1581. 8. Julii.

Gregorii XIII. Decretum principem locum obtinet, utpote primò editum relatè ad argumentum Capacitatis præfatæ Canonicorum Regularium ad prædicta Beneficia Secularia.

I. ÆQUITATIS, ſi quis amator exiſtit & cultor, fortè nullius culpæ reos Canonicos Regulares incuſaret, ſi cumulatis querelis, nonnullos parùm, ut videtur, Veritatis amicos, ideo impeterent, quia de Canonicis Regularibus cùm Sermonem inſtituunt, ſilentio ſupprimunt, quæ iis mirabiliter proſunt, eaque nimium, quæ obeſſe cernunt, exaltant. Uno hîc ego exemplo contentus ero, ut id abundè demonſtrem; eodem ſcilicet, præallato Gregorii XIII. Decreto. Multifariam nedum, verùm multiſque modis Decretum hoc venditatur, à quo petitum monumento, neſcio. Et quoniam Legislatores non abſque juſtâ, gravique causâ Leges edicunt pænales; æquum foret, cùm poſſibilitas ſuppetit, ut qui Principum mandata evulgant, unâ & Cauſam in omnes homines propagarent. Contigit enim, nec raro, ut Leges nudè relatæ, nullâ earundem exhibitâ emanationis ratione, ſin minus oblitteratæ, obſcuræ ſaltem remaneant ac inobſervantiæ obnoxiæ; vel, quæ forſan pro modificandis exceſſibus, æquiſſimè ac providè promulgatæ exiſtunt, proditę potius ex licentiâ arbitrioque Principis, quàm pro utilitate & neceſſitate Reipublicæ, indigitentur. At contra, cùm lex auditur, Legislatoriſque animus exprimitur, manifeſtè elucеſcit, quàm neceſſariò Lex reverenda ſit, quantumque Principis Legem condentis auctoritas habenda, perſpicuè deprehenditur.

Allegat. in. Sanuti Bononien. edit. anno 1711. Bonon.

Placet nonnullis Decretum Gregorianum promere his conceptum terminis: *Sanctiſſimus Dominus noſter Gregorius XIII. noluit licere Canonicis Regularibus Lateranenſibus etiam de licentiâ ſui Generalis abſque permiſſu Summi Pontificis aſſumere Curam etiam ad tempus, multò minus Beneficium etiam in Titulum.* Qui Oraculum hoc Pontificium hunc in modum deſcribit, tacito pronomine, quod in Autographo legitur, minimèque expreſsâ, quæ Pontificem permovit, occaſione; teſtatum facit, Gregorium Papam omnes Canonicos Regulares Lateranenſes comprehendiſse, ac adegiſse ad hanc libertatis reſtrictionem, nullâque, ulterius, ab eis interpoſitâ petitione, fuiſſe perductum; quando ex verbo: *Noluit*, dilucidum fit, præfatos Canonicos aliquid petiiſse, ac voluiſse; idcirco, id quod Reſponſi ſpeciem præſefert, ut Lex inſcripta indeffinitè, promulgatur. Gregorius XIII., Canonicorum Regularium Lateranenſium Capacitatem ad Beneficia Secularia, imò, ut vero propius loquar, Capacitatis uſum primus arctavit; hancę obſervantiam feliciſſimo ſucceſsu, tran-

tranquillitate ac pacificâ poſſeſſione, uſque ad ejuſdem Pontificis tempora, approbatam primus reſtrinxit. Enimverò, ſi aliqua prohibitio præceſſiſset, ut arguit Eminentiſſimus Petra, Gregorii XIII. *Noluntas ſuperflua fuiſſet*. Nihilominus, ut emanavit, ſi referrent Scribentes Papæ edictum, mitiori fortè intelligentiâ donaretur; Neque opus eſset inveſtigatum ire, quænam ad id indicendum incentiva fuere, ſi, ut viros honeſtos decet, æquitatis ac Veritatis amatores, *Noluntatem* Gregorianam, ejuſque cauſam, ſicuti acta continent minimè ſuppreſsâ veritate, in lucem omnes Scriptores edidiſsent.

Tom. 2. pag. 12.

Gregorianum Decretum hoc modo incipit: *Sanctiſſimus Dominus noſter noluit licere iſtis Canonicis Regularibus*.. Hic articulus, *iſtis*, indicat apertè de aliquo, qui præſens eſt, ſermonem haberi, & *propriè dici de eo, qui apud nos eſt, aut de quo loquimur*, eſſeque perſonalem, & demonſtrativum rerum & perſonarum ad oculum, nec non referri ád proximiora. *Nemo dubitat, rectè ita hæredem nuncupari poſſe: Hic mihi hæres eſto, cum ſit coram, qui oſtenditur*: cum aliis plenâ manu congeſtis per Rotam coram Eminentiſſimo Falconerio inter ejus impreſſas, ibi: *Dum illa dictio: Queſta, eſt perſonalis, & demonſtrativa rerum, vel Perſonarum ad oculum.. & refertur ad proximiora*. Præterea ſenſus verborum proprius eſt, quem uſus loquentium immediatè ac plerumque verbis ſubjicit V. G., ſi Chriſtus dicit: *Hoc eſt corpus meum*; Hic modus loquendi ſimilis eſt communi modo loquendi, quo dicimus: Hoc eſt lignum: Hoc eſt lapis; quibus loquendi formulis plerumque ac immediatè intelligitur corporalis rei demonſtratæ præſentia. Negari nequaquam poteſt Noluntatem Gregorianam utpote odioſam eſſe leniter interpretandam, neque tam rigidè amplectendam: *Cùm ſit pænale*, ajebat Gregorius Decimus, *reſtringi potius convenit, quàm laxari*. Ideoque aliquibus placet ſibi ſuadere mentem Pontificis eò reſpexiſse, ut vel Canonicos Regulares ævi ſui tantummodo fortè adigeret, ſupponeretque reſtrictioni in Decreto contentæ, aut eos qui in dies ab Epiſcopis evocabantur ad regendas Parochias: Ut ut hoc ſit, certè minus odioſè in Canonicos Regulares retorqueretur Pontificis oraculum, ſi, quæ Pontifici objecta eſt occaſio & petitio, exhiberetur, eaque eſt, quæ mox indicatur. Hoc ſub Pontifice nonnulli (quinam indubiè fuerint mihi incompertum eſt) ſupplicavere Domino Cardinali Caraffæ fortè Canonicorum Regularium Protectori, Titulari S. Euſebii, Præfecto Signaturæ Gratiæ, ac S. Pii V. Creaturæ, ut Summum Pontificem interrogaret, Reſponſumque obtineret ſuper uno dubio, quod ad Capacitatem, quæ in queſtione eſt, nequaquam pertinet, ſed neque Uſum ac Obſervantiam lædit, imò utrumque mirificè demonſtrat, roboratque, ut videre eſt in ſupplici Libello, quem ex Sacræ Congregationis Concilii Protocollis fideliter extraxi, deſcripſique anno 1711.

L. nemo ff. de hæred. inſtituendis. Pariſ. conſil. 19. n. 7. & conſil. 35. n. 20. lib. 2. Mareſcottus variarum reſolutionum lib. 2. cap. 77. n. 25. Oſaſchi diſtin. 52. nu. 13. Surd. deciſ. 125. nu. 1. Cened. poſt lib. pract. & Canonic. queſt. ſingul. 59. nu. 6. verſic. Sed non ſemper.

Sub titulo de teſtam. diſtinct. 5. num. 10.

Euſebi. Amort. Can. Reg. Philoſophia Pollingana pag. 593. Aug. Vindel. 1730.

De elect. & electi poteſt.

Tit. 6. cap. 22.

Ciaccon. hic.

§. II.

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore.

I. PErchè molti Veſcovi di Lombardia dimandano delli Canonici Regolari Lateranenſi dell'Ordine della Pace per ſervirſene alla Cura dell'Anime, ed al Governo delle Parocchie -- e benche de Jure Communi li detti Canonici Regolari poſſino ottenere qualunque Beneficio Curato ſenza altra diſpenſa, come molti già ne hanno ottenuto, nondimeno per togliere ogni ſcrupolo ſi deſidera ſapere *ſe il lor Generale pò dare à detti ſuoi Canonici licenza sì d'andare alli detti Governi d'Anime, e di Parocchie ad tempus, ove ſono dimandati*, come d'accettare Benefizj curati in vita -- però ſi ſupplica V. S. Illuſtriſſima ſia contenta di fare una parola ſopra di ciò con la Santità di Noſtro Signore per riſoluzione ſe il detto Generale pò dare detta licenza à detti ſuoi Canonici, e non potendo à chi ſpetta cotal facoltà, che il tutto ſi riceverà à favor ſingolariſſimo da V. S. Illuſtriſſima. Ad calcem prædicti ſupplicis libelli legitur alio caractere, fortè ejuſdem Cardinalis Caraffę, hoc modo -- Die 8. Julii 1581. *Sanctiſſimus Dominus noſter noluit licere iſtis Canonicis Regularibus etiam de licentia ſui Generalis abſque permiſſu Summi Pontificis aſſumere Curam Animarum etiam ad tempus*, multò minus Beneficium Curatum in Titulum.

Ita eſt A. Card. Carafa.

Extat in volumine Sacræ Congregationis Concilii ſignato foris 106. fol. 481.

Seſſ. 24. cap. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. ſeſſ. 24. cap. 18.

§. III.

§. III.

Nonnulla, nec aliena, nec infructuoſa ab Inſtituto noſtro advertenda proponuntur in laudato Reſponſo Gregorii XIII.

I. ABſit, ut ego auſim in recenſione Decretotum Juris Novi arrogare licentiam interpretandi & explicandi Conſtitutiones Pontificias; cùm haud ignorem conditori legis reſervari vim ejuſdem aperire & ſenſum, ubi fortè deeſt ea, quæ ſolet deſiderari, claritas; juxta id quod legitur in Titulo de Sacroſanctis Eccleſiis: *Ut ſi quid dubietatis emerſerit id oporteat conventui Sacerdotali ſanctoque judicio reſervari*. Quantumvis diſcreta ac rationabilis eſſet noſtra explicatio, nil derogatum cupimus ei qui pronunciavit, vel pronunciare incumbit: *Nobit ſolis & oportet & licet inſpicere*. Nemo enim ſanus ambigit: *Neminem ſibi eſſe judicem*. Hac ſumus perſuaſione occupati, hac cogitatione imbuti, ut præcipuè Canonicæ, Apoſtolicæque Sedis Conſtitutionum intelligentia, Vaticano Solio jure merito reſervata aſſeratur; quemadmodum Imperatorię Leges, Imperatorię interpretationi, obnoxię ſunt: *Si enim in præſenti leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & leges interpretari, ſolo dignum imperio eſſe oportet*. Id nihilominus effici optamus, ut nobis minimè vitio imputetur, ſi dum Canones agitare neceſse eſt, nonnullas obiter civiles leges fortè immiſcere ſtuduerimus, quoniam ex Lucio III.: *Sicut humanæ leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & ſacrorum Statuta Canonum piorum principum Conſtitutionibus adjuvantur*. Ab hoc diverticulo, reverentię pleno, in viam redeamus,

Tit. 2. Omni.

De legib. & Conſtitut. Tit. 14. Inter æquitatem, Qui legitimam Perſonam tit. 5. Generali.

De legib. & Conſtitutionib. tit. 14. Si imperialis. Tit. 32. de novi operis nunciat. c. Intelleximus 2.

II. Ut indubiam rem cenſeo, genio ac labori meo, ſortem nequaquam ita faviſse, ut Decretum præfatum, cum ſupplici anonymo libello, mihi ſoli occurreret pervolventi Codices vetuſtiores Sacrę Congregationis Concilii, omnibus potiſſimùm ſtudioſis pervios. Miror ſatis, omnium Ore verſari Decretum hoc, at ab omnibus non integrè neque uniformiter prælo imprimi; à nemine autem, ut ſciam, inſtantiam prędictam in lucem editam aſſerere poſsum, ut expectabatur à profeſſione candidis, honeſtiſque Viris, ſaltem in obſequium Veritatis, & ſimul ut decori ipſiuſmet Decreti, ut par erat, magis magiſque conſuleretur; etenim oraculum Pontificium in *Noluntate* conſiſtens, petitionem aliquam indicat præceſſiſse; & ſi petitioni minimè innitatur, liquidò apparet propriâ tantummodo fuiſse perſuaſione emanatum, quod regulariter haudquaquam contingit. Ulterius culpę præire ſolent pęnas, quę infliguntur: *Sic à majoribus inſtitutum*, ſcripſerat Tacitus *ut ſi anteiſſent delicta, pænæ ſequerentur. Nam culpa, quàm pœna tempore prior*. Adde quòd in Res innoxias nil pœnale decernitur, ut ait S. Gregorius: *Rem quæ culpâ caret, ad damnum vocare non convenit*. Hoc fortaſse ſilentium judicare lubet ex verbis ejuſdem ſupplicis libelli; hæc enim facem præferunt, & argumento ſunt pro Capacitate tuendâ, mirificèque ſerviunt noſtro Inſtituto; quæque nonniſi charitate exutis, ſi qui ſint, diſplicere ſuſpicari fas eſt.

Lib. 3. annal. & 15.

Lib. 1. Decretal. Tit. 2. de Conſtitut. c. 2.

Percurramus, quęſo, Lector amice, verba ſupplicis libelli. Proprio inſtinctu & afflatu, ſi verum eſt, Præſules Longobardiæ indiſcriminatim Canonicos Regulares Lateranenſes regimini Animarum ſuis in Diœceſibus reſpectivè præfeciſse, hoc nil melius ac fortius documento comprobandę Capacitatis, de qua agitur. Neque enim pręſumendum eſt Paſtores Eccleſię ignoraſse Eccleſiæ Leges, in tam gravi negotio videlicet, de non promovendis Jure Communi Incapacibus, ad pręcipua Hierarchię Eccleſiaſticę munia, functiones, & onera. *Turpe eſt*, ajebat Quintus Mutius in Servium Sulpitium, *Patritio & nobili Viro, Jus in quo verſatur ignorare*. Adverſus hanc praxim, uſumque zelo ſuo Apoſtolico inſurrexiſset Summus Pontifex, Doctrinâ ac Pietate nemini ſecundus, damnaſsetque Canonicos Regulares, ſin minus ut Epiſcopos reprehenderet, ſaltem ut inſtrueret. *Ad hoc ſumus*, ait Magnus Gregorius, *in Sede Juſtitiæ diſponente Domino conſtituti, ut quæ contra juſtitiam attentantur, noſtrâ ſollicitudine ad rectitudinis tramitem revocentur*. Neque ſolummodo adjeciſset conditionem Pontificiæ Permiſſionis, qua potius, ut inferius oſtendetur, roboratur, quàm enervatur, quæ eſt in Quęſtione, Capacitas. Conſuetudinem quoque allegatam reprobaſset, cum ſcriptum ſit: *Conſuetudo, quæ Canonicis obviat Inſtitutis, nullius debet eſſe momenti. Conſuetudo qua diſrumpitur nervus*

Tit. 3. de Reſcrip. c. 1. lib. 1. Decretal.

Extravag. Ioann. 22. Proœm.

Lib. 1. Decretal. tit. 4. de conſuet. cap. 3.

Ibid. cap. 5.

vus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ irritanda; cùm non Conſuetudo, ſed corruptela potius ſit dicenda. Nec pacifice acquieviſſet, & meritò, Conſuetudini Juri contrariæ, & Canonum inimicæ. Imò vindicaſſet Jus Commune, ſi noviſſet enormiter læſum, aſſerentibus Oratoribus in ſupplici libello, Jus ipſis adſiſtere, adjunctâ praxi, à longinquis ductâ temporibus; etenim ex Innocentio III.: *Quædam ſunt culpæ, in quibus culpa eſt relaxare vindictam*. Et etiam: *Ut unius pœna, multorum poſſit eſſe correctio*; ex Divo Gregorio.

Ibid. tit. 5. de Poſtulat. Prælator. cap. 1.

Tit. 3. de Calumniat. C. cùm fortius 1.

III. Accedit, quàm parùm laudabilis fuerit Oratorum, qui qui fuere, ſcrupulus; certiſſimè non ex inſcientiâ, at fortè ex aliquâ inadvertentiâ, Formulæ Profeſſionis Canonicorum Lateranenſium, ubique evulgatæ enatus. Canonici Regulares ſiquidem expreſsè profitentur minimè acceptaturos Beneficia Secularia, quin dependenter à licentiâ Capituli Generalis, vel ejus auctoritate fungentis, juxta eorum morem vetuſtiſſimum, ab anno ſcilicet 1453. ſucceſſivâ ac tranquillâ poſſeſſione ad noſtrum ævum, uſque perductum. Hujus Formulæ mentionem facit Monacellus, ajens de Canonicis Lateranenſibus, hunc in modum: *Qui in eorum Profeſſione promittunt Beneficia Curata extra ordinem non ſuſcipere abſque Licentiâ Capituli*. Nil uſitatius nilque familiarius eſſe deberet Canonicis Lateranenſibus, ſimilique modo aliis Sacris Ordinibus, quàm uni incumbere Profeſſionis Formulæ, ejuſque ſenſum inveſtigare; quippe quæ ſola Religioſos eos conſtituit. *Monachum facit non habitus; ſed Profeſſio Regularis*, ait Clemens III. Ulterius, noſtrum nemo ambigit, verba ſuperius allata, ex eadem Formulâ Profeſſionis & in omnibus omninò rebus, videlicet: *Vel ejus auctoritate fungentis*, ſignificare Perſonam Patris Generalis pro tempore, ex inveterato uſu Congregationis unanimi conſenſu noſtrorum Majorum expreſſo, cum in Capitulis Generalibus, tum in Dietis; itaque omnibus ac ſingulis Canonicis perſuaſiſſimum ſemper fuit, ut id ſignificarent. Pulcherrimæ Canonici gubernii politiæ adſcribendum eſt, ut in negotiis ex tempore ortis vel orituris, ad vivam vocem unius, ac ſolius Patris Generalis pateat acceſſus. Væ Religionibus, ſi penes Capitula Generalia, ac Dietas annuales, tota extaret determinandi auctoritas. Vel enim negotia Religionis peſſundarentur vel nimium gravaretur expenſis; & negotium totum Religionis, foret, quotidie itinera aggredi, ac in dies, convocare Dietas, cogere Capitula.. Cùm igitur his imbuti ac inſtructi rationibus, ut præſumendum eſt, fuerint Canonici Lateranenſes ævo Gregorii XIII. colligere eſt, certè abſque gravi neceſſitate à Summo Pontifice poſtulaviſſe cujus eſſet officium, num Patris Generalis, an alterius, licentiam relaxandi pro adeundis Animarum Curis. Abſit autem, ut eos velimus Auctores ſupplicis libelli, tùm ob motiva præallata, cum quia ex obviâ litterâ ejuſdem apparet potius exteros fuiſſe recurrentes, quàm Canonicos Lateranenſes. Hos tamen à culpâ excuſemus; Non enim reprehendendi ſunt; quia: *Bonarum mentium eſt ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur*.

Bullar. Lateran. pag. 401.

Tom. 1. pag. 316. num. 9.

Lib. 3. Decretal. tit. 31. de Regular. Cap. Porrectum 13.

Tit. 46. de obſervat. jejun. c. Conſilium 2.

Ut ut hæc ſint; Summus Pontifex Patris Generalis Licentiam pro viribus ſtatuit obſervandam, intactamque reliquit; itaque deffiniit ad eum ſpectare, minimè ad alios. Noluit tamen ſolam ſufficere, uti retulit Cardinalis Caraffa. Ut autem pœnalis conditio ſuperimponeretur, nequaquam incuſanda eſt vel inſcitia, vel vivendi Licentia Canonicorum Lateranenſium de tempore Gregorii XIII. Etenim ſi paſſim rogabantur ab Epiſcopis, ut eſſent Miniſtri Altaris, Duceſque Animarum; proculdubio præſumebantur digni, quia haud probabantur indigni: *Illum, quem indignum eſſe non novit, dignum debet æſtimare*. Neque Inſtitutum Canonicorum Regularium in Cauſâ eſſe potuit; quoniam Congregatio Canonicorum Regularium ad hoc nata eſt, ut tota ſeſe effundat in proximos, Apoſtolorum & Apoſtolicorum Virorum exemplo, nec non Sancti Patris Auguſtini, qui Sermonem ad Populum habens de Clericis Hypponenſibus, ajebat: *Vobiſcum hic vivimus, propter vos vivimus*. Quo ergo ſpiritu animatus Summus Pontifex id ſtatuerit (ſanè optimo), Reſponſi verba prætereunt. Neſcius tamen non ſum minimè adſtringi judicem exponere eas à quibus motus eſt cauſas: *Cauſæ, quæ judicem movent, non exprimuntur in ſententiis proferendis*. Fortè tunc temporis Epiſcoporum auctoritas, & neceſſitas Animarum ſibi commiſſarum ſalutis conſulendæ, talis tantaque erat, ut Congregationi Lateranenſi conducibilius tunc eſſet fræna imponere Præſulum Poſtulationibus. Etenim ex difficili acceſſu ad Summum Pontificem, naturaliter & abſque invidiâ ſequutum fuiſſet, quòd rariores extitiſſent Clauſtri deſertiones; quo, diſcretè factum fuiſſet ſatis utilitati Congregationis, ac neceſſitati, voluntatique

Lib. 1. Decretal. tit. 12. de Scrutinio in ordine faciendo c. 1.

Serm. 356.

Tit. 27. de Sent. & re judic. Part. 2. lib. 2. Decretal. C. ſicut noſtris 16.

tique Prælatorum. Nihilominus; hoc vel divinare ſit, vel æconomicum Inventum; nequaquam lædit, imò mirabiliter novam lucem argumento Capacitatis, quæ in Queſtione eſt, effundit, & auget. Verùm etiam eſt, quòd ſi Congregationi Lateranenſi tunc fortè conducibilius fuit fræna imponere Præſulum Poſtulationibus; hoc ad conſequentiam futuris temporibus trahi nequit, multo minus ad indicandam Incapacitatem, vel abſolutam inhibitionem: *Id ad conſequentiam trahi prohibet, quod pro neceſſitate prioribus temporibus eſt factum*; docuit Gregorius Magnus.

Tit. 6. de elect. & electi poteſt. c. 20.

§. IV.

Utrum Gregorii XIII. Reſponſum ſeu Reſcriptum, cum ſuo Principe expiraverit; & quatenus negativè, num ad Diſpenſationem Apoſtolicæ Sedis, vel tantummodo ad Permiſſionem Summi Pontificis expetendam, Canonicos Regulares Lateranenſes adigat.

I. NOn paucis Teſtimoniis planum fieret Canonicos Regulares jure ſibi poſſe dolere, ut ſupra animadvertimus, de nonnullis nuperis calamis, ſi abſtinere à querelis, Religioſius nequaquam ducerent. Aut in inquirendo negligentiæ, aut charitatis defectui adſcribatur læſiva omiſſio ſupplicis Libelli, quo nil optatius eſſe poteſt pro manutenendâ Capacitate, nilque aptius pro faciliori feliciorique intelligentiâ aſſequendâ Gregoriani Decreti; lamentationis notorias cauſas procul amandant, ut lenitatem cuſtodiant, pacemque ſervent. Licet Canonico Ordini nil antiquius nihilve carius prærogativâ Capacitatis ad Beneficia Secularia, attamen, præeunte charitate, quæ ſummus omnium virtutum apex eſt, amant præjudiciis parcere, ac rationum momentis perſuaſibilem reddere Capacitatis controverſiam, Lectoreſque ſibi merito indulgentiæ conciliare; contràque ſcribentes, Veritatis ac auctoritatis pondere, devincire. *Sacerdotes*, dicebat Felix Papa, *ad ſacrificandum vocare debent, non ad litigandum*.

Tit. 1. de accuſat. inquiſit. 9, c. Quoties 1,

Miretur nemo Reſcripti nomine Gregorianum Decretum me appellare, quoniam ſi aliter acciperem, non abſque veritatis injuriâ fortè id agerem. In numero Conſtitutionum, Legum, Bullarum, Apoſtolicorum Brevium, nec non in ordine Decretorum, omnibus calculis authenticorum, quod in ſequentibus ſolidè patebit, id collocare minimè cùm poſſim, quadam neceſſitate ducor, ſi Reſcriptis accenſere conſentio. *Id proprium Decretum dicitur, quòd cauſa utrinque cognitâ, pronuntiatur à Judice*. Quapropter abs re non ſit hic adnotare, Reſcriptum dici illud, quod fit à Principe ad Conſultationem, relationem, ſeu intimationem alterius, & ad illius preces, juxta tradita à Panormitano in Rubricâ tituli Decretalium de Reſcriptis, ubi hæc habet: *Pro cujus declaratione quæro quid eſt Reſcriptum; Hoſtienſis in ſummâ eo titulo concludit, quòd eſt illud, quod ab Apoſtolico, id eſt, à Papa, ſeu à Principe reſcribitur ad Conſultationem, relationem ſeu intimationem alterius*. Felinum ſequutus Gonzalez docuit, ex ethymologia nominis, quale ſit Reſcriptum, & ait: *Subſcriptio ad Libellos ſupplices facta, Reſcriptum dicebatur*. Hac ratione, ſeu veluti ad Reſcripti ſimilitudinem, Gregorii XIII. Reſponſum, ſive Noluntas emanaſſe videtur. Cauſâ ſiquidem Conſultationis, ut in ſupplici libello continetur, Cardinali Caraffæ exhibita fuit ſupralaudata petitio: *Si ſupplica V. S. Illuſtriſſima ſia contenta di fare una parola ſopra di ciò con la Santità di noſtro Signore per riſoluzione, ſe il detto Generale, pò dare detta licenza*. Oratorum precibus acceſſit oretenus Summi Pontificis Reſponſum, ut in calce conſpicitur ſupplicis jam memorati libelli, id eſt: *Sanctiſſimus Dominus noſter Noluit*, forſan manu Cardinalis Caraffæ deſcriptum (ſuo certè nomine), vel alterius, Noluntatem Papæ exprimentis; nullâ tamen ſolemnitate munitum; Nam nullum ibi Secretarii ſigillum, nullumve pendens plumbum; imò exrra Decretorum Claſſem, firmantium legem ac ſtatum pro Eccleſiæ Diſciplinâ ſtabiliendâ; ulterius nonnullas tantummodo afficiens Perſonas, ut Articulus, *Iſtis*, dilucidè demonſtrat; demum apud peritiores Canoniſtas tranſivit nunquam in vim Legis, Conſtitutionis & diſpoſitionis univerſalis, communiter præcipientis vel ſtatuentis: Hinc Reſcripti nuncupatione compellare cenſuimus, cujus naturam ac indolem, pro clariori dicendorum intelligentiâ ac antedicti quæſiti explanatione, inquirere juſtum duximus, nimirum, num temporalis an perpetua vis obligandi Reſcripto inſideat; vel Rei noſtræ propius inhærendo, de Gregoriani

L. 18. §. 9. ff. de quæſt,

Num. primo, Felin. in Cap. ex litteris in princ. de fide Inſtrum. & in Cap. cùm acceſſiſſent, de Reſcriptis. Gonzalez in Cap. 2, de Reſcriptis num. 4.

goriani Reſponſi, ſive Oraculi ſubſiſtentiâ, vel obitu, ſpeciatim Canoniſtæ quid ſentiant, ſi huic appellationi acquieſcere, aliqui fortè detrectent.

II. Juxta theoricam Bartoli, Reſcriptum eſt temporale, & non perpetuum, atque expirat morte concedentis, ſi ſuper illo non emanavit aliqua Conſtitutio per viam Legis, & non ſit ad obſervationem Juris Communis: *Quæro quanto tempore duret hoc Beneficium, reſpondeo, ſi loquimur in Reſcriptis ad obſervantiam juris, tunc ſunt perpetua, aliàs ſecùs*. Præterea Probus tradit: *Morte expirat, ratio eſt, quia per mortem finitur voluntas, & jam amplius non eſt*. Et quamvis in jure habeamus Reſcripta eſſe perpetua: *Quia decet Principis Beneficium eſſe manſurum*; Verba hæc explicantur ac exponuntur, ut indicent ea Reſcripta eſſe perpetua, quæ ad juris obſervationem, vel dilucidationem reſcribuntur; tunc enim perpetua ſunt, ſicuti & Jus; ſimiliterque talia ea ſunt, quę concedunt Jus parti; ſecus, ut ſcribit Menochius: *Reſcriptum expirat per annum*.

Bartol. in l. Beneficium ff. de Conſtitut. Principum num. 6.
Probus ad Monac. in Cap. ſi gratiosè de Reſcriptis n. 1.
L. falsò C. de diverſis Reſcriptis.
In Cap. ſi autem & Cap. Plerumque de Reſcriptis item de arbitrar. Judic. caſ. 202. num. 77.

Hæc quæ conſenſione ferè unanimi ſtatuta cernuntur de naturâ ac auctoritate Reſcripti, dilucidius ſanè ac fortius militant in Gregorii Oraculo, Reſcripto ſive Decreto. Nam, ut diximus, ſuper eo nulla emanavit Bulla, vel aliqua Conſtitutio; ſed neque pro Diſpoſitione Juris Communis interpretativa prodiit; imò potius, ut quid modificativum vel reſtrictivum; demum, ex quo, ut Legem univerſalem id minimè ſoleant accipere, noſtri ævi, primi Subſellii Patres; ea propter intra fines Reſcriptorum ſimplicium meritò concluditur; ac proinde, Reſcriptorum more, obiiſſe, diemque extremum cum ſuo Principe clauſiſſe. Etenim ut luculentè ſuperius præmonuimus, Reſcripta temporalia ſunt, haud perpetua, atque regulariter morte concedentis expirant; qua mediante voluntas & noluntas extinguuntur; & hoc apertius eluceſcit, ſi ſecundùm inſtantem exigentiam temporum, in caſibus inſuetis & accidentalibus, ad normam proviſionis, ea emanare contingat. Verùm quamquam innumeris poſſet hæc veritas muniri momentis, unius Gonzalecii palinodiæ acceſſione, à vocabulo Reſcripti præſcindentes, argumentum illuſtremus. Hic doctus Vir à Retractatione minimè abhorrens, pòſt, diverſa Superioribus ſenſit, revocavitque conſultius, tutiuſque, ea quæ Prioribus prælis haud exactè evulgarat. Eum adverſus ſe ipſum loquentem ergo audiamus: *Ceterum Re maturius conſideratâ, contrarium in hac ſecundâ impreſſione proculdubio teneo. Tum quia, cùm de jure Communi Canonicus Regularis poſſit obtinere Eccleſiam Parochialem, dicto Capite quòd Dei timorem de ſtatu Monachor., cum ſuprà adductis ex numero 49., niſi expreſsè inveniamus aliquid diſpoſitum in contrarium, non eſt inducenda correctio. Tum etiam, quia ne dum per Concilium Tridentinum reperitur aliquid derogatum, immò potius videtur approbatum, dum dicit, quod tales Canonici tranſlati de uno in alium ordinem non poſſunt obtinere Beneficia Curata, & ſic quo ad non Tranſlatos cenſetur Concilium Tridentinum approbare diſpoſitionem juris communis. Nec ſufficit aliquando noluiſſe Gregorium XIII., quia poterat poſtea velle. Et voluntas non reducta ad actum legis, vel diſpoſitionis, nil operatur. Præterea cùm voluntas Gregorii XIII., nullâ lege, vel Conſtitutione deſuper relictâ, expiraverit cum ejus morte*. Tanti viri tam aperta recantatio, nequaquam dubias ſterileſque, de valore ac intelligentiâ Decreti Gregoriani perſuaſiones parere deberet, apud Boni Æquique cultores, nec non pro manutentione intactæ Capacitatis Canonicorum Regularium, ad præfatum relatè Decretum. Nec enim ſola nos alit opinio, nec temerè cauſam inſubſiſtentiæ ac diffidentiæ plenam agimus, ſeu nullis fulcitam auctoritatis momentis. Romana Rota hanc palinodiam ſequuta, eandem eſt ingreſſa ſententiam, his verbis: *Gregoriana declaratio uti verbalis non cenſetur per viam legis emanaſſe; ac per obitum ipſius conſequenter expiravit, ut tradit Gonzales*. Rota loquens de Conſtitutione Gregorii XIII., ait: *Quod Decretum Sac. Congregationis auctoritate ejuſdem Gregorii factum, numquam fuit promulgatum, dum contrarium poſt tempora Gregorii ſemper ſervatum fuit; ultra quod ſupradicta declaratio non emanavit per viam legis, ſed fuit quædam prohibitio temporalis, quæ cum ipſo Pontifice evanuit, ut obſervat Pyrrus Corrad.* ibi: *Noluit licere Canonicis Regularibus*. Reverendiſſimo D. Albergato Decano. Burgen. Juris deputandi Curatum. Lunæ 3. Julii 1684.

Gonzal. ſup. Octavam Cancellar. regul. Gloſſa 7. n. 5. §. Ceterum edit. Romæ 1624.
L. præcipimus in fin. C. de appellat.
Cap. cum expediat de elect. in 6.
Cap. 11. ſeſſ. 14.
Bald. in l. fin. n. 14. in princ. C. de edicto d. Adriani.
L. 4. ff. de adminiſtrat. Tutor.
L. ſi repetendæ C. de Condict. ob cauſam.
C. ſi gratiosè de Reſcript. lib. 6.
In una Pampilonen. Vicariæ de Elizondo Lunæ 3. Mart. 1664. apud Murg. ad Conſtitution. Benedict. Deus, deciſ. 10. ſub num. 9. fin.
In prax. diſpenſat. Aplic. l. 6. c. 1. ſub n. 12. & 13.

III. Verùm veſtigia aliò minimè flectamus; parco labori & tempori, ne nimium creſcat hoc opus; ut in Re noſtrâ unicè ſiſtamus, ſollicitè tota cura impendenda eſt. Permagna quæſtio vertebatur hac in materiâ Capacitatis ad Beneficia Secularia Curata paucis ab hinc annis, ut Eminentiſſimus Petra ſcriptum reliquit. Opponebant adverſarii Decretum Gregorii XIII., ut eo approbaretur præſumpta

Tamburrin. de Jure Abbat. tom. 3. diſput. 9. quæſt. 8. ſub num. 12. & 13.

Incapacitas Canonici cujuſdam Regularis Lateranenſis, qui erat in Cauſâ. Quoniam autem firmum nequaquam ſperabatur fundamentum pro Incapacitate adſtruendâ, prohibitioneque aſſerendâ ex objecto Gregoriano Reſponſo, forte quòd jam obierit, multoque minus ex Concilii Tridentini litterâ ac ſpiritu, ab utroque hoc fonte petitis rationibus diſcedere placuit ſupralaudato Eminentiſſimo Cardinali Petra; qui ſeſe ſolidius convertens ad Clementis Decimi Decretum, invenit quo prohibitionem ſtatueret, quam minimè defendi poſſe incunctanter cenſuit Concilii auctoritate & Gregoriani Decreti objectione. Hæc ſunt ejus verba; *Et quo ad Curata de hoc Jure*, id eſt Communi, *eos eſſe capaces, juxta Cap. Quod Dei timorem de Statu Monachor. Sed dubium aderat, an ex vi Concilii, vel ex Decreto ſupradicto ſub Gregorio XIII. aliqua eveniſſet probibitio, ibique adduxi varias dd. Sententias, & motiva hinc inde urgentia; ſed prohibitio extra dubitationem fuit ex dicto Decreto Congreg. Episc. & Regularium ſub Papâ Clemente X. Anno 1671.* Anceps igitur haud ſolidum patrocinium pro Incapacitate aſſerendâ obtulit Gregorii XIII. Decretum; quia forte expiravit per obitum Papæ, utpote Vivæ Vocis Oraculum, quoniam morte finitur Voluntas ſive Noluntas, quæ corrupto ſubjecto amplius ſubſiſtunt. Etenim pro enervandâ penitus Capacitate, opponentes & ſcribentes, minimè invehere deſtitiſſent ex Capite etiam Decreti Gregoriani, ſi quo eam dejicerent, inveniſſent,

Tom. 5. pag. 522. §. Opinor.

His addo, quòd forte deinceps dubitabit nemo de temporali ſubſiſtentiâ Reſponſi Gregoriani, ſi denuò ob oculos ponat verba ejuſdem ſupra memorati Decreti, id eſt: *Noluit licere iſtis Canonicis Regularibus*.., puro pacis ſtudio ea recolendo quæ diximus, Summum Pontificem, nempe per hunc loquendi modum, *iſtis*, probabiliſſimè reſpicere tantummodo voluiſſe ævi ſui Canonicos Regulares, providere cupiens inſtanti exigentiæ illorum temporum, videlicet, ex compluriun Epiſcoporum neceſſitate enatæ ac ortæ Canonicos Lateranenſes obtinendi, ut Parochorum vices obirent; liquidò enim id oſtendunt verba ſupplicis Libelli, hoc modo incipientis: *Perchè molti Veſcovi della Lombardia dimandano delli Canonici Regolari Lateranenſi*... Hinc facilè inferre profectò eſt, Gregorianum Reſponſum exceſſiſſe nequaquam fines proviſionis pro illis captæ temporibus, quibus neceſſitas & utilitas Eccleſiarum Italiæ Epiſcopos ſæpiſſimè adigebat, ut Canonici Regulares Lateranenſes partes eorum explerent in regimine Animarum; ceſſante proinde eâ urgenti Prælatorum poſtulatione, proviſionem quoque Gregorianam ceſſaſſe per obitum ejus dicere neceſſe eſt, juxta tradita per Campellum, optimè diſtinguentem inter proviſionem temporalem ac perpetuam: *Diſtinctio igitur eſt, quòd proviſio ſit temporanea.. quotieſcunque materia, ſuper qua fuit facta proviſio, temporanea eſt, videlicet quando Princeps edicit.. Secundùm inſtantem exigentiam... Certè de iis proviſionibus, quæ fiunt in Caſibus inſuetis, & accidentalibus, quæ tamdiu durant, & durare debent quouſque urgentia illius caſus requirit, nec ulterius progrediuntur, dubium non eſt, ut ſint temporales, adeoquòd ſi denuò ſimiles caſus contingant, proviſio non habeat locum, niſi rurſus edicatur*. Permagni etiam intereſt obſervare pro temporali auctoritate Decreti Gregoriani judicandâ, nonnullos præclari nominis Juriſ-conſultos, velut Inventum quoddam id ſupponere, vel morte Pontificis expiraſſe; demum, quia, ut ego ipſe conſpexi in Voluminibus, vulgò Brogliardis Sacræ Congregationis Concilii, nil aliud ibi eſse deprehenditur præter relationem quamdam factam à Cardinali Caraffa de Noluntate Pontificis, quam ipſe ſcripto privato evulgavit; nullo enim ejuſdem ea eſt ſigillo munita, ullâque ſubſcriptione nomineque Secretarii firmata; imò expuncta occurrit, ut præmonuimus, à Regeſto Decretorum Authenticorum; curavi ſiquidem eam de more habere; at meis ſæpè iteratis precibus umquam obſequutus eſt nemo,

Campell. ad Conſtitut. Ducat. Urbini in præfat. n. 307.

IV. His autem haud obſtantibus, hoc eſt, quod Gregorianum Decretum Reſcriptis comparetur, indeque temporaneum onus imponere, non deſunt, quo oculo, quo animo informati, penitus ignoro, qui prædicent id eſse Sacræ Congregationis Concilii captam Reſolutionem facto verbo cum Sanctiſſimo, Conſtitutionemque Generalem, eamque referri in Regeſtis authenticis. Audiamus jam Monacellum de hac relatione ſcribentem, videlicet, emanatam fuiſse: *Ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii factâ de mandato San. Mem. Gregorii XIII.. Per viam legis univerſalis declaratoriæ emanatam ad excluſionem omnium Canonicorum Regularium*. Certiſſimè hæc ſcribere nequaquam potuit Re ſeriò perpensâ; ſed vel neſcius, vel immemor Decreti Gregoriani, in quo dictio illa: *Iſtis*, haud profectò com-

Tom. 2. pag. 323. & Tom. 1. pag. 316. n. 5.

comprehendit omnes, qui per Orbem diffuſi ſunt, Canonicos Regulares: *Eſt perſonalis & demonſtrativa rerum, vel Perſonarum ad oculum . . . & refertur ad proximiora.* Sanè ignorare non potuit hic Scriptor, ſi tamen Gregorii Decretum reſcripti vocabulo à me nuncupari ei non diſpliceat, quòd: *Reſcripta Papæ non capiunt Perſonas non expreſſas*, & quòd; *Reſcripta perſonalia ſunt, nec tranſeunt ad alias Perſonas, quàm ad contentas in ipſis*; demumque, quòd: *Conſultatio, & declaratio Principis per viam Reſcripti non facit, Jus quo ad alios.* Multò plura coacervari hìc poſsent; at certè ſeriò penſitanti Decretum Gregorianum, ſcilicet, inter reſcripta Jure computari licere, fortè oneri eſsent, ſicuti ſuperflua nolenti id Reſcripti nomine compellare. Hos autem, ſi qui ſunt, Petronius arbiter, Umbraticos Scriptores diceret, apud quos etiam verum erit ſemper, articulum *iſtis*, *Propriè dici de eo, qui apud nos eſt, aut de quo loquimur.* Extra omnem ferè controverſiam eſſe deberet Vocem hanc Gregorianam ſuo cum Principe expiraſse. Hic autem, quàm gratis, quis non videt, ullo rationis momento, neque intervenientibus rationabilibus cauſis, ac circumſtantiis, Legem eſse univerſalem conteſtatur; ultimum & perentorium ſirmantem ſtatum, in omnes totius Orbis Canonicos Regulares. Pignatello quoque aſserere placuit: *Referri in Regeſtis Sacræ Congregationis Concilii*; qua in re ei cohęrere nequimus, cùm ſolummodo in quibuſdam Chartis invenibilis ſit, immo, quia: *Non eſt incluſum in Volumine aliarum Conſtitutionum, facit Jus ſingulare, nec afficit omnes, nec habet vim Legis Generalis*, uti de Reſcriptis traditur. Si qui Romam incolunt hęc voluntariè diſseminant, quę à vero longiſſimè procul ſunt; nil mirum, ſi exteri ſeſe accomodant, Orbem litterarium ita pręjudiciis implentes, En verba Thomaſſini, qui poſtquam docuit Concilium Tridentinum declaraſse Capacitatem Canonicorum Regularium non Tranſlatorum, per hęc verba: *Jure autem noviſſimo poſt Concilium Tridentinum eâdem Canonici Regulares gaudent licentiâ obtinendi Parochias, cùm eo illos non exuerit Tridentina Synodus, niſi cùm ab uno ordine in alium tranſierunt*, hoc modo proſequitur: *Anno verò 1581. Gregorii XIII. Conſtitutionem publicavit, qua Regularibus probibet, ne interponant ſe in Secularium Parochiarum regimen, etiam ad tempus, etiam cum Generalis ſui Licentiâ, niſi ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ.* Verè hìc indulgentiâ ac patientiâ ultra modum maximâ opus eſt, pro componendis animis Religioſo pacis amore, quia hinc multa eliciuntur gravamina veritati illata, & Çanonicis Lateranenſibus valde damnoſa. Verùm nemo neſcit, quòd: *Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, juſtitiâ exigente, non debent tolerari. Conſtitutionem* hic auctor eſse decantat, quando nuda vix eſt Cardinalis Caraffæ relatio. Verbo utitur *Regularibus*, ceu omnes complectatur Regularium Ordines; Decretum autem apertiſſimè reſtrictum eſt ad Canonicos Lateranenſes per ly *Iſtis*, ut ſæpius inculcavimus. Uſurpat *diſpenſationis* vocem, de qua infra, permiſſionis loco. Interponit denique *Apoſtolicam Sedem*, licet in Decreto ponatur Summi Pontificis. Duo hæc enim apud exactos Canoniſtas diverſò ſignificant. Nam Sedes Apoſtolica, quia numquam moritur, cenſent ejus declarationem durare ſemper; ſecus ceſſare debere, cum moriantur Pontifices, niſi robur Bullæ, Conſtitutionis, Brevis Apoſtolici ſimiliumque habeat. Vides quàm à Thomaſſino Gregorianum Decretum extollitur, ut ſe ſe dictis à Fagnano attemperet. Hic auctor poſtquam retulit Capitulum, .. Quod Dei timorem, ſermonemque inſtituit de Gregorii XIII. Decreto, ita ſcribit: *Ex his patet hac Decretali non obſtante hodie aſſumi non poſſe ad regimen Parochialium Eccleſiarum abſque diſpenſatione Summi Pontificis.* Candido honeſtoque Lectori quærelarum argumenta donantur; ipſe judex ſit. Neque obſtupeſcendum, ſi interpretationibus excedunt, qui in Re de facto nimiùm exorbitant. Evitari enimverò errores nęqueunt, cùm veritas ſuo in fonte minimè deguſtatur. Adjiciam & illud de Fagnani hac de re auctoritate, non minus mirum. Fagnanus ipſe loquens de mente Gregorii XIII. affirmat, prohibitionem Canonici Regularis, juxta declarationem ejuſdem Pontificis, verſari tantùm in Beneficio ſimplici, non autem in Curato. Cùm ergo Fagnano Fagnanus ipſe minimè conſentiens ſit, omnimodis hoc in negotio abjiciendus eſt. Ex his igitur quæ præmiſimus, indubiè clareſcunt capita rationum, quibus moti aſſerere nos minimè erubuimus, temporaneam haud perpetuam, Gregoriano ineſſe Decreto poteſtatem & vim. Ut autem amicitiam ineamus cum nonnullis, dicamus adhuc poſt obitum ſui Principis Gregorii XIII., Decretum, de quo agitur, ſupervivere ob multifariam multiſque modis çelebratam ejuſdem mentionem, apud laudati Pontificis Succeſſores. Admiſsâ

Tuſc. concl. 213. litt. 2. n. 4. & 6. Rota deciſ. 200. n. 5. p. 6. recent. Specul. l. 1. par. prim. tit. de Jud. deleg. §. 6. n. 8. Alexand. Conſtitut. 160. n. 9. l. 7.

In ſatiricon in princip.

Tom. 1. pag. 42.

Paul. de Caſtr. in l. 1. C. de Conſtitut. princip. Jaſon ibid. in verbo planè.

Part. 1. l. 3. cap. 22. n. 9. §. Jure. Ibid. §. anno, inferius.

Text. in Caput cùm jamdudum de Prabend.

Apud Thomaſſin. loc. cit.

In Cap. quod Dei timor. ſub n. 19.

igitur

igitur hac præſuppoſitione, explanandum nobis eſt propoſitum ab initio quæſitum, ſcilicet, Num vi ſuâ, ſive in ſenſu obvio acceptum hoc Decretum; ad Diſpenſationem Apoſtolicę Sedis expetendam, an ad gratioſam Summi Pontificis Permiſſionem poſtulandam, Canonicos Regulares impellat.

V. Ut cohærentia antedictis & Superioribus lucidiora ac firmiora tradamus, attingendum hîc ſtrictim aliquid eſt de Diſpenſationis ac Permiſſionis Vi ac ſenſu, ut intelligentiâ præeunte terminorum, planâ deducamur viâ ad argumenti præfixi veritatem aſſequendam. Diſpenſatio, igitur, eſt Juris Communis relaxatio facta cum cauſæ cognitione ab eo, qui Jus habet diſpenſandi; ſive eſt rigoris Juris per eum, ad quem ſpectat, Canonicè facta relaxatio: *Niſi rigor Diſciplinæ quandoque relaxatur ex diſpenſatione miſericordiæ*; *Unde videndum eſt*, ait Gloſſa, *quid ſit diſpenſatio; diſpenſatio eſt juris communis relaxatio facta cum cauſæ cognitione ab eo, qui jus habet diſpenſandi*. Et ex Capite ex his: *Diſpenſare eſt diverſa penſare* ſive, *diſpenſatio eſt provida juris communis relaxatio, utilitate, vel neceſſitate penſatâ*; vel ſic eſt: *Rigoris juris, per eum, ad quem ſpectat Canonicè facta relaxatio*. Demum,: *Vocatur autem diſpenſatio vulnus, quia jus vulnerat*. Permiſſio verò, eſt dimiſſio ejus, quod nullo jure prohibetur: *Omnis autem lex, aut permittit aliquid, ut Vir fortis petat præmium, aut vetat*. Gloſſa ubique ait: *Tribus modis dicitur aliquid permitti, uno modo, quod nullo jure prohibetur, ſecundo modo, quod contra Conſtitutiones humanas indulgetur, Tertio modo dicitur illicitum permitti, ut magis illicitum vitetur*. Vel, ut Præpoſitus docet: *Poteris dicere, quod triplex eſt permiſſio, una eſt ſimplex dimittens, & indulgens. Secundò accipitur, tamquam tollens impedimentum. Tertio modo dicitur permiſſio præſtans juvamen*. Hinc elucet permiſſionem & diſpenſationem plurimùm inter ſe diſcrepare. Hæc ipſum Jus directè afficit, ut relaxet, utpote contrarium: *Poſſit diſpenſativè*, ait Joannes XXII., id eſt, pluralitas Beneficiorum concedi, *cùm aliàs non liceret de jure communi*. Illa verò, Uſum juris reſpicit, non nihil ſuſpenſum, minimè ipſum Jus: *Dicitur aliquid permitti, quod nullo jure prohibetur*. Hîc permiſſio volita à Gregorio XIII. nequaquam jus contrarium ſupponit; tantummodo meram ejuſdem Noluntatem, quæ minimè Jus commune fundat & firmat, ex prçlibatis. Conſtat ulterius, per permiſſionem exigendam à Canonicis Regularibus, uti imponit Gregorius XIII. nihil indulgeri contra Conſtitutiones humanas, quę irreperibiles ſunt ante Gregorianam Noluntatem, quę ſola in quæſtione hac, illud eſt impedimentum, quod per permiſſionem Pontificiam tollitur, quęque obſtaculum haud eſt juris communis, ſed veluti prohibitio quędam proviſionis gratiâ pro illis capta temporibus. Non enim per Permiſſionem vulnus infligitur legi univerſali contrarię; imò Uſus liber ei conceditur, quę lex, ut monui, non prçſupponitur; ſed per eam ceſſat Pontificis nolitio quę, abſque ullâ vel minimâ juris communis lęſione, tranſit in priſtinam Volitionem. Hęc autem volitio eſt illud juvamen quod prçſtatur, commenſurandum tamen ſimplici Noluntati, ſive damno illato, ex merâ nudâque Noluntate. Sanè abſque ullâ contentione, conſenſuros ſuperius dictis, facilè ſpero veritatis ſectatores. Impetrem ſaltem, jam ſatis erit, ne pro eadem omnino Re; Diſpenſationem ac Permiſſionem, accipiamus. Peſpicuum, igitur, cùm ſit in Gregoriano reſcripto nullam fieri mentionem Diſpenſationis, at ſolummodo Permiſſionis: *abſque permiſſu*; remotâ omni controverſiâ, nobis quoque perſuaſum eſſe debet, Permiſſionis nomine intelligendam minimè eſſe Diſpenſationem; cujus vox, littera ac ſpiritus procul ſunt à Gregoriano reſponſo; ac proinde, ullâ umquam lege firmabitur, Canonicos Regulares, Vi ac ſenſu Gregorianæ Noluntatis, ad Diſpenſationem poſtulandam adigi, ſive compelli. Etenim lex: *Tantùm diſponit, quantùm loquitur*.

Can. Requiritis 6. niſi rigor 7. q. 1.
Gloſſ. in eod. Can. V. pleriſque.
Argum. 12. q. 1. Cap. ex his.
Speculator. in ſuo ſpecul. jur. tit. de diſpenſat. §. 1.
24. q. 4. c. ipſa pietas cir. fin.
Can. omnis diſtinc. 3.
In verbo permiſit.
Idem ex Cardinal. de Turre Cremat. p. 1. diſt. 3. n. 2. fin.
In dict. Can. Omnis.
Extrav. Comm. lib. 3. de prabend. & dignitat. c. 4. execrabilis.

Rota deciſ. 276. n. 12. part. 2. recent.

VI. Paulò diligentius prolixiuſque hęc nobis materia pertractanda eſſet, ſi verſaremus animo contentioſis calamis bellum nos indicere, non autem miti atramento, moderatioris conſilii Scriptoribus hęc tentamenta producere, potius concordiæ, quàm diſſenſionis ſtabiliendæ gratiâ. His rationibus atque momentis nihilominus adjungere liceat, etiamſi intra limites ſimplicis permiſſionis Gregorii verba: *abſque permiſſu* continerentur uti nos volumus, mitiori adhuc intelligentiâ interpretanda eſſent ut mox dicemus, eo juris principio quòd ea quæ vel tantillum, rigoris ſapiunt, benigniori ſenſu conſultò explicanda ſint. Ulterius prædictis terminis, ut in Re ſiſtamus noſtrâ, ſi ambiguitatis nonnihil dignoſceretur ineſſe; ſanè cavendum eſſet, abſoluto Diſpenſationis promendo judicio, juxtà Gregorii dictum; *In rebus ambiguis abſolutum non debet eſſe judicium*; imò ſecundùm regu-

Tit. 25. de Clerico percuſſore C. Tribunal judicis decretal. 5.

regulas juris: *Semper in dubiis benigniora præferenda eſſe*. Accipe obiter dictionem *ſemper*, *ut includentem omne tempus*, *& omnes caſus*, & tradit Gloſſa, cujus veſtigia ſequitur Rota hunc in modum: *Adverbium ſemper eſt compræhenſivum omnium temporum*, *menſium*, *& Caſuum abſque ulla interruptione ejus continuationis*. Addo, Permiſſionem ipſam Pontificiam ad limites etiam nudæ, ſimpliciſque permiſſionis reſtrictam, eo ex capite; quia Licentiæ Patris Generalis ſuper impoſita ac ſuperaddita eſt, quæ ſola ſat erat, ut Canonici Regulares Parochiales Eccleſias adirent, nonnihil gravaminis ac oneris continere; atque adeo obſervare juvat, ſi odia lenius interpretanda ſunt, ipſam quoque permiſſionem magis magiſque reſtringendam eſſe, nequaquam verò laxandam, ut placuit Gregorio, hujus nominis Nono: *Cùm ſit pænale*, *reſtringi potius convenit quàm laxari*. Verùm, ubinam, quæſo, amica reſtrictio, ſi verbis, *abſque permiſſu*, addatur vehementior vis, videlicet, Diſpenſationis vulnus, quod ferre non poſſunt? Nulli autem non exploratum eſt, quòd tunc mitius verba permiſſionis acciperentur, ſi, ablegatâ diſpenſationis voce, quomodocunque prohibitio tolleretur, benignè dimittendo Patri Generali poteſtate ſuâ uti fruique. Uſu ſiquidem liberè relaxato, nulla obſtans prohibitio extaret; atque adeo, plurima congeſta Jura præclarè inſonarent firmum inconcuſſumque Jus Canonicis Regularibus adſiſtere, Parochialia munera obeundi, hunc in modum: *Quod non prohibetur*, *permitti intelligitur*; *quicumque non prohibetur per conſequentiam admittitur*; *Cùm regulariter qui non prohibetur expreſſè ad exercendum procuratoris officium*, *idoneus debeat reputari*, Conſultò quoque Aquiſgranenſes Patres licere firmarunt Canonicis Aſquiſgranenſis Eccleſiæ, *linum induere*, *carnibus veſci*, eo quia: *In Sacris Canonibus illis prohibitum non legebatur*.

De Regul. Juris la 36.
Gloſſa in l. 1. verb. ſemper §. ſolut. Matrim.
Rot. in deciſ. 142. n. 8. cor. Dunoz Iun. & deciſ. 476. num. 10. part. 19. recent.
De elect. & electi poteſt. tit. 6. cap. 22.
De jure Fiſci lib. 10. tit. 1. Cap. certa forma.
Gloſſ. lib. 4. Decretal. tit. 1. de Sponſal. & Matrim. C. Cùm apud 23.

Ut ut autem hæc Res ſe habeat, eſt & aliud quod obſervem. Tametſi horum verborum loco, id eſt, *abſque permiſſu*, Pontifex aliis his vocibus uſus fuiſſet, videlicet: *Abſque diſpenſatione*; ſuas adhuc exceptiones paterentur hæc verba, ac deliniri horum rigor neceſſe haberet, tenuvioris interpretationis medicamento; eo quia diſpenſationes, magis vel minus, recedunt ſemper à Jure; ideoque, ut ei odioſæ, limitatione indigent: *Diſpenſatio*, *quæ exorbitat à jure*, docuit Bonifacius Octavus, *veluti odioſa*, *debet reſtringi*. Nec mirum, quia, quo minor Legi plaga infligitur, eo magis Juris auctoritati conſulitur. Sanè Diſpenſationis vocabulum, fortè lato hîc modo, non ſtrictim, accipiendum eſſet; exemplo, ni fallor, Sacræ Congregationis Concilii, quæ illigando ſimul cum permiſſione diſpenſationem, probabile eſt pro eodem hæc duo ſumere voluiſſe, diſpenſationem, benigniori interpretatione donando; eoque magis urget reflexio, cùm Canonici Regulares S. Georgii in Alga de quibus eſt ſermo, ex Eminentiſſimo Petra, *Seculares ſint*, ac proinde, minimè indigent diſpenſatione. Decretum autem hoc eſt: *Supradictos Canonicos ex permiſſione & diſpenſatione Apoſtolica eſſe capaces ad obtinenda Beneficia tam Curata*, *quàm ſimplicia Secularia*.

De Procurator. Tit. 19. cap. 1. Non indiſcretè in 6.
Conc. Aquiſgran. Ann. 816. Can. 115.
Tit. 11. C. 1. de Conſtitut. de filiis Presbyteror.
Tom. 2. pag. 13. fin.
1648. 2. Maji decretor. l. 18. fol. 472. ſub Innocen. X.

VII. Quàm propè, vel quàm procul à vero ea ſint, quæ prænarravimus, Boni Æquique cultori judicium dimittamus. Neque hîc forſan diſplicebit, in argumenti corroborationem, alio nos lumine uti, ex dictis à Gregorio Nono deprompto, & relato à Clemente III. hoc pacto: *Non debet aliquis verba conſiderare*, *ſed voluntatem*, *& intentionem*, *quia intentio non debet verbis deſervire*, *ſed verba intentioni*. Quæ autem eſſe potuit Summi Pontificis intentio hoc in ſuo reſcripto, præterquam ut faceret ſatis Oratorum precibus, ſuamque proderet voluntatem. Notum eſt enim: *Reſcripta Principum recipere interpretationem à precibus*. Preces eò tendebant, ut decerneret Pontifex: *Se il loro Generale pò dare à detti ſuoi Canonici licenza . . e non potendo à chi ſpetta cotal facoltà*. Per ea verba: *Etiam de licentiâ ſui Generalis*, Gregorius voluntatem ſuam explicuit, atque decrevit, Patris Generalis partes eſſe licentiam relaxandi pro abeundis Parochialibus Eccleſiis, cæteros excludendo, ſi iis fortè fuiſſet ſpes hujuſcemodi facultates concedendi. Per alia verò verba: *Abſque permiſſu*, monuit nos, haud obſtante Jure Communi favorabili, ac inveteratâ pacificâ praxi, velle conſcium fieri, interdicendo Parochiarum adminiſtrationem, niſi Pontificiâ accedente permiſſione: Hoc quidem non continebatur in precibus; verùm quia tutiſſimum & religioſiſſimum eſt Paſtoris univerſalis Eccleſiæ lumine ac judicio regi; il, qui pietatis ac religionis Legi adſtricti ſunt, Noluntati, vel voluntati ſui Principis parère, minimè dedignantur; imò ſummo honori lubenter adſcribunt, etenim ſcriptum eſſe noverunt ab Innocentio III.: *Qui noluerunt obedire ſpontanei; diſcant acquieſcere vel inviti*.

Tit. 40. de verbor. ſignificat. C. in iis, qu. 15. lib. 5. decretal.
Rota deciſ. 171. n. 2. p. 2. & deciſ. 479. num. 1., & 5. part. tom. 2. recentior.

Tit. 7. de Hæret. C. cùm ex injuncto 12.

Quæ cùm ita ſint, Pontifex omnem Poteſtatem ac Sapientiam in ſui Pectoris Scrinio ſervans, Oratorum preces, ſi falſitati inniti noviſset, imò Sacris Canonibus, Conciliiſque refragari, ſummâ vi, vehementiorique terminorum calore, propóſitum, mentemque ſuam aperuiſset, graſsatumque errorem, corruptelamque omnem de medio penitus eradicaſset. Ratum, inconcuſsum Jus Commune reliquit, appictâ tantummodo Pontificię Permiſſionis conditione; neque damnavit uſum & praxim in ſupplici libello expreſsam; modificare ei placuit, Diſpenſationis neceſſitati nil prorſus eos reddens obnoxios. Verùm quia temporibus ejus conducibile eſse cenſuit, ſuperaddere facultati Patris Generalis quoque Pontificium Permiſsum, reſervavit ſibi quoque facultatem impartiendi hanc conceſſionem, mitioribus verbis id præſcribens, Permiſſionis videlicet, nequaquam Diſpenſationis. Hoc porrò ſilentio maximè firmatur Canonicorum Regularium Capacitas ad Beneficia Secularia, quoniam hîc loci erat falſam opinionem, corruptiſſimumque morem configere, vulnere Diſpenſationis inflicto: Ne dum erat ex famâ quaſi notorium, imò ore ipſo partium; atque adeo haud opus erat accuſatore, juxta illud Auguſtini de morte Abel: *evidentia perpetrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris*. Cùm igitur doctus Pontifex id ſtudioſè non egerit, & aliunde, quia diſcrimen Diſpenſationem inter & Permiſſionem medians maximum eſt; ęquum haud eſt, ut id quod ſapientiſſimus Pontifex reſtrinxit atque concluſit intra Cancellos ſimplicis Permiſſionis, transferri debeat ultra proprios limites, pręter mentem, pręter voluntatem Pontificis, gratis verbo Permiſſionis, vim Diſpenſationis inferendo. Si verum eſt ex Innocentio III., quod: *Diverſitatem corporum, diverſitas ſæpè ſequitur animorum*; Sanè non idem erit ſpiritus ac indoles Diſpenſationis ac Permiſſionis, quia naturâ ac ſignificatione magis diſcrepant, quàm corpora diverſa diverſificentur inter ſe. Hîc animadverti velim, ut, dum infero atque concludo, Decreti Gregoriani vigore Canonicos Regulares minimè Diſpenſationi, at ſolummodò Permiſſioni expoſtulandę obnoxios eſſe, ſi ultra Veri Æquique limites prætervectum eſſe me aliqui norint, parcant calamo, non animo, qui moderationis conſilia ſequi cupiens, nec reprobare neque laudare in Votis habet, ea niſi, quę cordati Viri, Juſti cultores, vel approbant, vel illaudant. Eoque magis contrarium mihi cavendum eſt, quia de hîc Re propriâ agitur, pro quâ Judex nemo, nemo teſtis eſſe poteſt: *Omnibus enim in re propriâ dicendi teſtimonium facultatem Jura ſubmoverunt*.

Lib. 5. Decretal. tit. 1. de accuſat. q. C. evidentia 9. Lib. 3. Decretal. tit. 8. de conceſſion. præben. c. quia 5.

Text. in l. 5. c. de Teſtibus.

§. V.

Anno 1584.

Sub Gregorio XIII. operâ S. Caroli Borromæi, quidam Canonicus Regularis Lateranenſis inveſtiturâ donatus eſt Eccleſiæ Parochialis Secularis, cum ſolâ Licentiâ Patris Generalis.

I. CUm in Mediolanenſis Eccleſię Diœceſi vacaverit per obitum Parochialis Loci vulgò Vimodrono nuncupati ſub titulo S. Remigii, per Vicarium Generalem Archiepiſcopatus Mediolani ſub Sancto Carolo Borromęo, Domnus Theophilus de Vareſiis Canonicus Regularis Lateranenſis, ſolâ accedente licentiâ ſui Generalis delectus, proviſus ac incardinatus fuit Parochus in pręfatâ Eccleſiâ, ut Poſseſſionis Acta teſtantur, quę in robur invictę veritatis, quam pre manibus habemus, adducimus.

Audoenus Ludovicus J. V. D. utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi Domini noſtri Referendarius, Archidiaconus Cameracenſis Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domini Domini Caroli Tit. S. Praxedis S. R. E. Presbyteri Card. Archiepiſcopi Sanctæ Eccleſiæ Mediolanenſis Vicarius Generalis. Dilecto nobis in Chriſto Reverendo Don Theophilo Variſio de Triviglio Canonico Regulari Congregationis Lateranenſis Salutem in Domino. Inter cætera, quæ pro injuncti nobis officii debito præſtare cupimus, illud præcipuè nobis cordi eſt, ut Parochialibus Eccleſiis, quibus de Rectoribus per nos providendum eſt, tales præficiamus, qui officio, & miniſterio Curæ Animarum, quod omnium graviſſimum eſt, laudabiliter ſatisfaciant. Cum itaque ſicut accepimus Parochialis Eccleſia S. Remigii Vicemodroni Pleb. Secrati Mediolanen. Diœceſ. quàm aliàs Ven. Presbyter Joannes Bonarottus illius ultimus Poſſeſſor obtinebat, per reſignationem ejuſdem Joannis in manibus noſtris ſpontè, & liberè factam, ac per nos admiſſam nuper vacaverit, & ad præſens vacet, Nos eidem Eccleſiæ

cleſiæ, ac Animabus illi ſubditis, de idoneo Rectore providere volentes; tibi facultatem à Rev. Generali tuo ſuſcipiendi Beneficia Eccleſiaſtica etiam in hac Diœceſi habenti, qui à Reverendis Patribus Examinatoribus in Synodo Diœceſana Mediolanen. deputatis, in concurſu juxta Sacri Concilii Tridentini præſcriptum, examinatus moribus, & doctrina ad hanc Parochialem Eccleſiam regendam, ejuſque curam per Te ipſum gerendam, idoneus nobis renunciatus fuiſti, & quem nobis ipſi præ cæteris, qui ad eandem idoneis nobis renunciati fuerunt delegimus, Parochialem Eccleſiam prædictam, cum illi forſan annexis, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis univerſis, conferimus, & aſſignamus, deque illa te coram nobis propter hoc flexis genibus humiliter conſtitutum, & acceptantem per bireti capiti tuo impoſitionem inveſtimus. Quo circa univerſis, & ſingulis Perſonis Eccleſiaſticis, Notariiſque, ac Tabellionibus publicis Civitatis, & Diœceſis Mediolanenſis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis, & cenſuris contra inobedientes Superiorum mandatis à jure inflictis, & arbitrio noſtro infligendis, per præſentes præcipimus, & mandamus, ut cum pro parte tua vigore præſentium requiſiti fuerint, vel eorum aliquis requiſitus fuerit, ad ipſam Parochialem Eccleſiam perſonaliter accedere, teque vel Procuratorem tuum pro te in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Parochialis prædictæ ac omnium illi annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædeceſſorum, ſervatis ſervandis inducant auctoritate noſtra, & defendant inductum amoto exinde quolibet illicito detentore, quem nos etiam harum ſerie amovemus, & denuntiamus motum, fictabilibus verò Colonis, & aliis arrendatariis de Parochialis prædictæ, ac omnium illi annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædictorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integrè tibi, vel Procuratori tuo legitimo, debito tempore reſpondeant, ac ab aliis quantum in ſe fuerit reſponderi faciant. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſignatas, ac per infraſcriptum Cancellarium Archiepiſcopalem ſubſcriptas, ſigillique Archiepiſcopalis S. Ambroſii munitas fieri juſſimus. Dat. & act. Mediolani in Palatio Archiepiſcopali, Anno à Nativitate Domini 1584. 4. Idus Januarii, Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Gregorii, Divina Providentia Papæ XIII. Anno XII. præſentibus Reverendiſs. D. Jo: Andrea Pionnio Sac. Theologiæ Doct., & D. Jo. Petro Gluſſiano Doctore, teſtibus idoneis ad præmiſſa omnia, & ſingula tactis, atque ſpecialiter rogatis.

Audoenus Ludovicus Vic. Gen.

Addamus hîc punctum hoc, quod præ manibus tenemus, Capacitatis videlicet Canonicorum Regularium Lateranenſium ad Beneficia Secularia, in Sacro Rotæ Romanæ Tribunali diſcuſſum fuiſſe ſub Pontificatu Clementis Papæ Octavi, & ab Illuſtribus illis Patribus poſt maturam deliberationem firmis rationibus fundamentaliter fuiſſe deciſam Controverſiam. Unde ab eorum Sententiâ, quæ ſuperventuris Seculis Statum in hoc firmare debebat, ſatis, & ubique eorum ſenſum compræhendimus, quem ſubtus deſcribimus, quem tenet Deciſionum Corpus ſub Anno, menſe, & die ſupradictis, quemque valido munit fundamento judicium Patrum Tridentinorum, cum quo Sacra Rota concordat.

Anno 1598. Veneris 6. Martii Papien. Juriſpatronatus Seraphin. deciſ. ſub Clemente VIII.

Fuit quæſitum. An Canonico Regulari cum licentiâ Superioris poſſit provideri de Beneficio Curato Seculari, & fuit concluſum poſſe, per Text. in Cap. quod Dei timorem *de Stat. Monach. & ibi Abb. in Sum. de ſtat. Monach. Idemque videtur ſentire Sac. Concil. Tridentinum cap. 11. ſeſſ. 14., dum vult Canonicum Regularem Tranſlatum ad alium ordinem non eſſe capacem Beneficii Secularis Curati; Tacitè enim innuere videtur, non Tranſlatum eſſe capacem. Idem voluit Rota deciſ. 5. de Jurepatronat. in nov. quidquid ſit de aliis Monachis, quia iſti habent regulam laxiorem. Egid. deciſ. 751. ante fin. Federic. conſ. 136. Roch. de Jurepat.* in verbo honorificum *qu. 5. num. 13. Præpoſit. in cap. priſcis num. 4. diſtinct. 56 Sylva de Benef. par. 4. quæſt. 70. verſ.* aut eſt Curata, *Navar. conſ. 9. de præben. Lambert. lib. 2. part. 1. art. 19. 7. qu. principali cum aliis, & tenuit Rota referente Guidobono deciſ. 96. cui deciſioni circa illum art. An requiratur diſpenſatio Epiſcopi vel ſufficiat licentia ſui Superioris, magis eſt ſtandum quam deciſioni 85. part. 1. Caputaque cum Guidobonus fuerit Relator illius Cauſæ, & ita per Dominos concluſum.*

Seraphinus Olivarius Razzalius R. Aæ Decanus.

Guidobon. deciſ. 96.

Etſi deciſ. Rotæ 262., & 482. in novis, & Ægid. 750. & 314. Staphil. de lit. grat. & juſt. fol. 20. verſ. Sed ſi datur *tenuerunt, quod Regulares non poſſunt obtinere Parrochialem Eccleſiam Secularem Not. Fel. in cap. in noſtra 40. correll. verſ. & notat de Reſcript. Tamen videtur in contrarium eſſe communem opinionem, ut not. Abb. in Cap.* Quod Dei timorem *Jo. de Sylva in tract. de Benef. qu. 70. par. 3. Card. Alex. & alii in cap.*

Parro-

Parrochialis 16. qu. 1. Card. Alex. in cap. priſcis 55. diſtinct. 97. Roccb. de Curt. in verb. honorificum *num. 8. & ſeq. de jurepatr. ſed quidquid ſit in aliis Regularibus, ſecus eſt in Canonico Regulari, ut dicit eadem deciſ. 262. qu. 5. de Jurepatr. in nov. ut fuit tentum coram me 16. Novemb. 1552. in una Meten. Parochialis de Richeno.*

§. VI.

Anno 1671.

Decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub Clemente Decimo editum, occurrit hîc proponendum.

I. ET ſi Diſciplinæ Regulas meo calamo continuò optaverim, hoc in Opere de Re Beneficiariâ, ne modeſtiæ ac tenuitatis meæ finibus exilirem, eo magis, conſilii mei eſt, gnaviter & religiosè reverentiæ partes implere, hoc loco, ubi Summi Pontificis, nempe Clementis X. Decretum, longè latèque effuſum, Ordo ſcribendi recolere jubet ac cogit, eâ dumtaxat mente, ut nihil deſit, quòd Argumento luculenter ſervire, nemine ambigente, ſuadeatur. Et præcipuè quia non neſcius ſum, Rotâ Sacrâ docente: Irrefragabilem eſſe Supremam Pontificiam Poteſtatem in propoſito diſponendi de Bonis, & Juribus Eccleſiaſticis, quorum Cura, Cuſtodia, Adminiſtratio, ac diſpenſatio fuit à Chriſto Domino Summis Pontificibus Vicariam ejus Poteſtatem in Terrâ obtinentibus, commiſſa, ac relicta. Hoc ergo ut exequamur, Decretum ipſum damus.

Reverendiſs. Aldrovando Decano. Romana Reintegrationis. Vener. 2. Julii 1731.

18. *Martii 1671.*

CUm fel. rec. Gregorius XIII. aliique nonnulli Summi Pontifices ejus Succeſſores ad Regularem Diſciplinam in Congregatione Canonicorum Lateranenſium Ordinis S. Auguſtini magis, magiſque firmandam, Decretis ſuis mandaverint ne dicti Canonici Curæ Animarum in Eccleſiis Secularibus exercendæ juxta Conſtitutionem Innocentii III. recol. mem. incipientem Quod Dei timorem &c. Cæteroquì Capaces ad hujuſmodi Curam in prædictis Eccleſiis exercendam, admittantur. Quorum Decretorum obſervantiam retinendam eſſe non ſemel declaratum fuit: Aſſerentibus verò è contra quibuſdam dictorum Pontificum mentem, haud fuiſſe certâ perpetuâ lege latâ Innocentianam Conſtitutionem prorſus abrogare; ſed imò illorum Decreta, ſeu mandata cum ipſis expiraſſe, ac propterea pro diverſitate temporum diverſas forſan editas fuiſſe declarationes, nec uniformem ſervatam praxim.

Ideo ex prædictis non infrequentes dubitationes, & controverſiæ ſubortæ noſcuntur, ob quas Religioſa quies perturbari facile poſſet accuratiùs in hoc Sacro Ordine cuſtodienda, cùm illius Apoſtolica Inſtituta Primævam Diſciplinæ, ac Sanctimoniæ Antiquorum Clericorum Imaginem, ac Symbolum referant; Quibus ipſa naſcentis Eccleſiæ primordia florebant.

Quapropter ad hujuſmodi dubitationes explicandas, & Controverſias definiendas, atque ut magis accuratâ diſquiſitione eorum Canonicorum ſpiritus, & Vocatio dignoſcatur, qui dum in tranquillitate Montis Sion Cœleſtium Contemplatione ſuaviſſimè paſcuntur; ad frangendum in Valle lacrymarum panem Parvulis (videlicet è Clauſtro ad Regimen deſcenſuri Parochialium) invitantur: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Negotiis & Conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita Re maturè examinatâ, atque audito P. Procuratore Generali dictæ Congregationis Lateranenſis, ſpeciali ſibi Auctoritate per Sanctiſſimum Dominum noſtrum Clementem Papam Decimum VIVÆ VOCIS ORACULO *attributâ, declarat, ſtatuit, atque decernit, ut in poſterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonicis Regularibus Ordinis Sancti Auguſtini Congregationis Lateranenſis, quamvis non Translatus* ad Curam Animarum in Eccleſiis Secularibus, etiam de Jure Patronatus *in perpetuum ſeu ad tempus quocumque Titulo exercendam admittatur*, niſi præter Abbatis Generalis Licentiam, expreſſum quoque Sedis Apoſtolicę Indultum accedat, *quod juxta Sacrorum Miniſtrorum penuriam, & prout Animarum poſtulabit utilitas in contingentibus Caſibus concedetur; Itaut quælibet Collatio, Inſtitutio, & Deputatio in favorem hujuſmodi Canonicorum aliter facta, irrita prorſus, atque inanis cenſeatur, & ſit; ac nulla etiam triennali longior poſſeſſio iiſdem ſuffragetur. Canonicus vero cui ejuſmodi conceſſum fuerit Indultum ad mentem præfati Innocentii III. (ſi commodè fieri poſſit) Socium unum ex ſuo Ordine, & Congregatione ſecum habeat, cujus in iis, quæ Dei ſunt, & Regularis Obſervantiæ, tàm Conſortio, quam Solatio perfruatur.*

Cæterum ſi fortè aliqui ex præfatis Canonicis, ante hujus Decreti promulgationem ad Curam

Curam Animarum in hujuſmodi Eccleſiis Parochialibus exercendam quoquo nomine ſaltem cum Licentiâ ſui Abbatis Generalis jam admiſſi reperiantur; eadem Sacra Congregatio itidem Speciali ſibi Auctoritate per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum attributâ benignè indulget, ut illis (quatenus aliud non obſtet Canonicum impedimentum) in hujuſmodi exercitio Curæ Animarum juxta Collationem, Inſtitutionem, ſeu Deputationem per ipſos jam obtentam licitè valeant (Socium juxtà prædicta ſecum habendo) continuare.

Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſenti Decreto contenta, ſupradictâ Conſtitutione Innoc. III. aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam neceſſariò, & individuè exprimendis: Nec non illorum etiam juramento confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, Formulâ Profeſſionis in eo ordine, & Congregatione emitti ſolitæ, Conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque Indultis, & Privilegiis, etiam in Corpore Juris clauſis, aut ex Cauſà, & Titulo oneroſò ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis; Nec non irritantibus Decretis etiam Motu Proprio, & certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per Viam Communicationis, ſeu Extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per Clauſulas Generales mentio, ſeu quavis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet tenoris hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habendis, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur (illis aliàs in ſuo robore permanſuris &c. Eadem Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ Auctoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque Contrariis quibuſcumque.

Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut ſupradictum Decretum in Valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixum omnes, ad quos pertinet ita arctet, & afficiat, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum fuiſſet, atque ejuſdem tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ hac die 18. Martii 1671.

II. Ex Lectione Apoſtolici hujus Decreti dilucidius nonnulla intelliguntur, quæ nos ſuperius obſervatu digna cenſuimus. Nemini enim ambigere fas eſt vulgatiſſima ea eſſe, quæ de Sacro Canonicorum Ordine hoc in Decreto reponuntur. Non ſit moleſtum tamen immorari pauliſper illis verbis, quæ, ob oculos poſito Decreto, Legentibus obviam fiunt, videlicet; *Cùm illius Apoſtolica Inſtituta Primævam Diſciplinæ, ac Sanctimoniæ Antiquorum Clericorum Imaginem, ac Symbolum referant, quibus ipſa naſcentis Eccleſiæ primordia florebant*. Hæc verba mirificè exprimunt Canonicorum Regularium Naturam, Mores, genium, nec non Hierarchica miniſteria; quæ Clericatum ornant, & comitantur. Si expreſſam effigiem Primorum Eccleſiæ Clericorum Canonici Regulares repræſentant, referuntque; neceſſe eſt eos ad formam ſive exemplar eſſe efformatos Clericorum naſcentis Eccleſiæ, aſſimilarique eis Inſtitutione, Fine, Muniis; *Qui detinet eamdem naturam, & qualitatem, eaſdem prærogativas habere debet*; adeo ut Clerici juveneſcentis Eccleſiæ in Regulares Canonicos propriæ Notam Vitæ videantur transfudiſſe, eamque in eis conſpici ac legi, veluti Primitivæ Eccleſiæ Clericorum ſimillima Imago, vivumque Symbolum. Nil autem antiquius apud Eccleſiaſticos eruditoſque Scriptores, quàm Miniſtros Altaris Clericos mancipari procurandæ Populorum ſaluti, veluti Operarios Vineæ Cœleſtis, Agrique Eccleſiæ Agricolas. Hæc eorum, qui in ſortem Domini nuncupati ſunt, munera; Evangelii eſſe Præcones, Sacramentorum Adminiſtratores; ac Miniſterio Altaris, Sacerdotalibus functionibus Pietatiſque vinculo, Religioni, Fideique Fideles adglutinari; ſucceſsêre enim in omnes vices Apoſtolorum, Apoſtolorumque Virorum ut ſupra diximus: *Clericorum eſt Oves paſcere*: legitur in Clementinâ, *Exivi de Paradiſo*. *Clerici paſcunt Oves*, Hieronymo teſte ad Heliodorum. Juſtinianus idem fatetur: *Officium Clerici eſt, docere, & paſcere Populum, uti gregem ſibi commiſſum*. *Paſtorales illis ſollicitudines, ac Eccleſiæ Præfectura concredita eſt*, ajebat Chryſoſtomus. *Hi ſiquidem curam habent ſui & Plebis*, dicebat Iſidorus è Peluſio. *Clericorum Officium ex eo quòd Clerici ſunt, eſt docere & paſcere Populum*; docuit non ſemel Angelicus. Eccleſia uti Sponſa mirabili cir-

Card. de Luca de regular. diſc. 19. n. 5. & alibi.

Novella 133. De Sacerdot. l. 6. c. 7. & 8. Epiſt. 284. Opuſc. 34. concl. 4.

cundata varietate habet & qui Se ipſos ædificant, & qui Ipſam. Cùm de Clericis ſermo eſt, ſufficiat memorari id, quod vehementiſſimè ac ſæpius ingerere nunquam deſtitit Auguſtinus Clericis Hypponenſibus, hunc in modum eis explicans onera Clericorum: *Clericus duas Res profeſſus eſt, & Sanctitatem & Clericatum. Sanctitatem interius, nam Clericatum propter Populum ſuum Deus impoſuit Cervicibus ipſius, cui magis Onus eſt quàm Honor.* Certè Onus quod ſuſtineri vix poteſt; *Pro unoquoque ſatagere, magnum Onus, magnum Pondus, magnus Labor*, alibi ait Auguſtinus. *Perculoſiſſimum Miniſterium*, idem ſcripſerat. Hinc illæ repulſæ timoris plenæ quas deſcribit Auguſtinus memorans ævi ſui Epiſcopos: *Tam multi ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi Operis Boni.* Exemplum reliquit meritò imitandum S. Cornelius Papa, S. Cypriano teſte, qui de eo ſic ſcribit: *Non vim fecit ut Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, ut Epiſcopatum coactus exciperet.* Verè magnum onus, periculoſiſſimum miniſterium, pro unoquoque ſatagere. Parùm conſuleretur veritati ſi Clerici aſſimilarentur in cunctis iis, qui amant quietem, ſeſe non immiſcent turbis ac tumultui, in otio ſervientes Deo. Habent hoc etiam, ſed ut magis parati ſint ad inſtructionem Populorum; Regimenque Animarum, Catechæſi exempli potius quàm verbi. Si qui hujus perfectionis ac caracteris unquam fuerunt Clerici, ii certè qui ab Apoſtolis imbuti & eruditi deſcenderunt.

Serm. 355. cap. 4. num. 6.
Serm. 339. cap. 3. num. 4.
Epiſt. 21. num. 2.
Epiſt. 173. num. 2.

Quæ cùm ita ſint, ecce Canonicorum Regularium munia, functiones, exercitia in ipſos derivata, unâ ſimul cum Clericatu, à Primis Eccleſiæ Clericis, quorum Imaginem ac Symbolum referunt. Hæc eorum hæreditas in ipſos translata à Clericis illis, quibus ipſa naſcentis Eccleſiæ primordia florebant. Paſcere Oves Chriſti pabulo Verbi Divini, ac Sacramentorum adminiſtratione, Auguſtini exemplo, qui Populo prædicabat, ac frequentiſſimè tractabat Verbum Dei & Sacramenta miniſtrabat, qui rebus Eccleſiaſticis incumbebat, fatebaturque Deo, dicens: *Me ſic miniſtrare voluiſti.* Imaginaria potius & fumoſa, quàm vera Imago eſſent Primorum Clericorum Canonici Regulares, ſi nihil in Se referrent ejus, quod nobilius eminebat in illis, nilve oſtentarent præter colorem umbramque nominis. Ea ergo quæ in Clementino Decreto zelo Religionis & Spiritu veritatis aſſeruntur de Canonicis Regularibus, indicata fuere prius à Summis Pontificibus, ſignanterque à S. Pio V. de iiſdem ajente, ut alibi memini dixiſſe: *Ab Apoſtolis Originem traxerunt. Primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum*; Ex Sixto IV. *A Sanctis Apoſtolis inſtituti*; ex Pio IV. Quibus poſitis, in claram venit conſequentiam Canonicos Regulares profiteri cum Sanctitate interiori Clericatum; cujus nomine nil aliud intelligere fas eſt præter id, quod in eo intellexerat Auguſtinus, videlicet, Onus regendi Populos, Animas paſcendi: *Clericatum propter Populum*: Certè hic eſt Canonicorum Regularium Caracter, Spiritus, & Vocatio, ut ponitur in Decreto.

Epiſt. 21. num. 3.

III. Pro eorum, quæ mox inſinuavimus robore, ea quæ ſequuntur in Decreto recolamus; ibi enim legitur de Canonicis Regularibus ſic: *Qui dum in tranquillitate Montis Sion Cœleſtium Contemplatione ſuaviſſimè paſcuntur; ad frangendum in valle lacrymarum panem parvulis (videlicet è Clauſtro ad Regimen deſcenſuri Parochialium) invitantur.* Duo hîc Vitæ Activę & Contemplativæ indicantur exercitia: paſci in Monte Sion, & paſcere parvulos in Valle lacrymarum Evangelico pane: Propriè convenit Ordini Canonicorum Regularium actus Vitę Contemplativę, imò excellentiori modo, ut ait D. Thomas: *Utraque Religio, ſcilicet Monachorum & Canonicorum Regularium ordinatur ad opera Vitæ Contemplativæ: inter quæ præcipuè ſunt ea, quæ aguntur in Divinis Myſteriis, ad quæ ordinatur directè Ordo Canonicorum Regularium, quibus per Se competit, ut ſint Clerici Religioſi.* Ad hanc Vitam perfectionis plenam reducibile eſt, quod ex Auguſtino dicebamus; Clericus profeſſus eſt Sanctitatem interiorem. Propriiſſimè quoque convenit exercitium Vitæ Activę; indicat hoc in illis Profeſſio Clericatus, qui eſt directè propter Populum; Vobiſcum hic vivimus, propter Vos vivimus, ajebat Plebi S. Auguſtinus; paſcebat eos doctrinâ & prędicatione Verbi Dei. Notatu dignum eſt, quòd hic actus eſt quidem Vitę Activæ, deſcendit tamen ex Contemplativâ, ut docet Angelicus: *Opus Vitæ Activæ eſt duplex: Unum quidem, quod ex plenitudine Contemplationis derivatur, ſicut Doctrina & Prædicatio. Melius eſt enim illuminare, quàm lucere ſolùm, & contemplata tradere, quàm ſolùm contemplari.* Duo hi prædicti actus, notantur in Decreto Clementino in Perſona Canonicorum Regularium, hoc eſt: Paſci in Monte Sion Cœleſtium Contemplatione, & frangere panem parvulis in Valle fletus. Mirabiliter duo

2. 2. qu. 189. 8. 2.

duo hæc deſcribuntur à S. Auguſtino his verbis : *Otium ſanctum quærit charitas veritatis ; negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis . Quam ſarcinam ſi nullus imponit , percipiendæ atque juvandæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur , ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem : ſed nec ſic omnino veritatis delectatio deſerenda eſt , ne ſubtrahatur illa ſuavitas , & opprimat iſta neceſſitas* : Hæc Auguſtinus. *Lib. 19. de Civit. Dei cap. 19.* Poſt quæ concludit Angelicus ſic : *Et ſic patet quòd cùm aliquis à Contemplativâ Vitâ ad Activam vocatur ;* (Nota benè) *non hoc fit per modum ſubtractionis ; ſed per modum additionis* . *2. 2. 181. ar. N. ad 3. fin.* Additur contemplationi veritatis , ſeu dulcedini Divini amoris , Zelus Animarum ; & dilectio proximi ; & interdum contingit , ait D. Thomas : *Quòd aliquis in operibus Vitæ Activæ plus meretaur , quàm alius in operibus Vitæ Contemplativæ ; puta , ſi propter abundantiam Divini amoris , ut ejus voluntas impleatur propter ipſius gloriam , interdum ſuſtinet à dulcedine Divinæ Contemplationis ad tempus ſeparari* . *Ibid. qu. 182. 2. 0.* Certè ubi occupatur homo in exercitiis charitatis Proximi , & in compoſitione ac ordinatione interiorum Animę paſſionum , minimè impeditur Vitę Contemplativæ vacare ; hęc potius adjuvatur quàm deſeritur , per hoc quòd ſarcina charitatis ex neceſſitate Proximi erudiendi ac paſcendi imponitur .

His pręmiſsis , ad Canonicos Regulares venio , qui , ut ex monumentis alibi non ſemel allatis , ac ex Clementino Decreto , abſque controverſiâ Imago ſunt & Symbolum Antiquorum Clericorum , verèque Clerici ; & ne dum incolæ Montis Sion , verùm etiam Parvulis , hoc eſt , idiotis ac rudibus hominibus Evangelici panis Diſpenſatores . Dum igitur deſcendunt à ſummitate Montis Sion ad ima Vallis fletus , ſeu cùm è Clauſtro tranſeunt ad regimen Parochialium , vel , ut verbis Auguſtini loquar , quando hoc Onus eorum cervicibus imponitur , & ſarcina charitatis ſuſcipienda conſulitur , vel cùm ab Epiſcopis vocantur , ut ex ſupplici Libello , ſub Gregorio XIII. , ſeu invitantur ad grave pondus Animarum , ſubeundum , & ut terminis utar hujus decreti , ad frangendum panem parvulis ; quid aliud agunt pręter id quod congruit eorum Spiritui , Vocationi , Propoſito , Inſtituto & Fini ? Quid aliud , pręter id quod à Primis Eccleſiæ Clericis agebatur , idque quod à Clericis Hypponenſibus traxerunt , videlicet Hierarchica miniſteria , Apoſtolorum & Auguſtini exemplo , *ad quæ* , ut ait nunquam ſatis laudatus S. Thomas , *ordinatur directè Ordo Canonicorum Regularium , quibus per Se competit ut ſint Clerici Religioſi* ? *2. 2. 189. 8. 2.* Quid aliud reipsâ faciunt quàm ea quę in otio ſancto meditati ſunt , in aliorum utilitatem eructare & convertere ? Melius eſt enim , teſtatur Angelicus : *illuminare , quàm lucere ſolùm , & contemplata tradere , quàm ſolùm contemplari* . Hoc agunt Canonici Regulares cum ab otio ſancto ad negotium juſtum , ſive à vacatione veritatis ad neceſſitatem charitatis , Prælatis allicientibus , tranſmigrant ; aſſumunt videlicet id quod eſt Ars artium , Scientia ſcientiarum ; efficiuntur veluti duces , magiſtri & medici , qui ſubditos in Cœlum dirigunt ; Vocantur ſiquidem in partem ſollicitudinis & gubernationis Eccleſiarum ; quæ ut rectè fiant , aptiores videntur hi , qui voluptates & pompas ſeculi contempſerunt , Seculoque renunciaverunt ; quia nemo rectius cuſtos præponitur vitæ alienę , quàm qui prius cuſtos eſt factus vitę ſuę . Quapropter , ex Ivone Carnutenſi , *in Primitiva Eccleſiâ nullus conſtitutus eſt Rector Animarum , niſi de Communi Vitâ aſſumptus* . *Alibi cit.* Hoc agere intendunt Canonici Regulares dum à Rachelis & Marię deliciis , per quas Vita Contemplativa indicatur , ex Obedientiâ charitatis , tranſeunt ad Liæ & Marthę Domum , in quibus Vita Activa elucet , hoc eſt , dum ſibi imponi permittunt Regimen Animarum ; ſpeciali utilitati præferunt communem utilitatem , minori Bono , majus ac univerſalius Bonum ; quod dum ab ipſis agitur , per hoc nequaquam deſerunt Vitę Contemplativę pabulum , quia ex plenitudine Contemplationis derivare ſolent Doctrina & Pędicatio , quibus erudiuntur Populi , & parvulis & rudibus Evangelicus panis frangitur .

Habemus in Capite *licet de Regularibus* neminem poſſe Pręſulatum deferere ut ingrediatur Religionem , abſque Licentiâ Summi Pontificis , ratioque adducitur : *Quoniam ſicut majus Bonum minori Bono præponitur , ita Communis utilitas Speciali utilitati præfertur ; & in hoc Caſu rectè præponitur Doctrina Silentio , Sollicitudo Contemplationi , & Labor quieti : ad quod utique deſignandum Unigenitus Dei Filius Jeſus Chriſtus , non de Rachele ſecundùm carnem natus eſt , ſed de Lia : nec legitur eum in Domum ſuam Mariam excepiſſe , ſed Martham* . Hoc idem applicabile eſt totum Canonicis Regularibus , qui dum Vitam Activam ducere rogantur , Communem utilitatem ſpeciali utilitati pręferunt ; & ſimiliter in eis rectè pręponitur Doctrina Silentio ,

 Sol-

Sollicitudo Contemplationi, & Labor quieti. Neque obeſſe poteſt, ut aliquibus placuit, dum Parochialibus Secularibus incumbunt Eccleſiis, eos degere in Seculo. Etenim omnes in Seculo vivimus; non autem omnes qui in Seculo vivunt, Seculariter vivunt. Sat eſt mentis affectu non eſſe in Seculo; cęterum per pręſentiam corporalem etiam Chriſtus Dominus in mundo erat. Quando ergo quis in Seculo occupatur propter divinum obſequium, quod redundat in utilitatem Proximorum, facilè Jeſum inveniet, qui ſolùm abeſt ab iis, qui in Seculo Seculariter vivunt, hoc eſt, cum Mundo & cum Carne. Unde id de Parochis, in noſtro caſu
2.2.qu.188.a.3. uſurpare licet, quod de Religioſis docuit S. Thomas, qui ait: *Quamvis ergo Religioſi, qui circa opera Vitæ Activæ occupantur, ſint in Seculo ſecundùm præſentiam corporalem, non tamen ſunt in Seculo quantùm ad mentis affectum: quia in exterioribus occupantur non quaſi quærentes aliquid in mundo, ſed ſolùm propter divinum obſequium*. Perſtringenda hîc ſunt quę hucuſque recoluimus juxta tradita in Decreto; videlicet; Canonicos Regulares referre in ſe ipſos Symbolum ac Imaginem Primorum Clericorum, quibus nil antiquius pręter Populorum regendorum curam, & inſimul eos Vitæ Contemplativæ vacare in Monte Sion, ac Activæ in Valle Lacrymarum frangendo panem parvulis; quæ omnia propriiſſimè ac inſeparabiliter inſunt eorum Inſtituto, Vocationi, Spiritui, Clericatui & Fini; inhærendo iis, quæ in Decreto reponuntur, uti antecedentia, ex quibus immediatè ac illativè neceſſariò deducuntur ea, quæ mox tetigimus, præcipuè recolenda illa decreti verba: *Cùm illius Apoſtolica Inſtituta primævam Diſciplinæ, ac ſanctimoniæ Antiquorum Clericorum imaginem, ac Symbolum referant, quibus ipſa naſcentis Eccleſiæ primordia florebant*.

IV. Hic in memoriam Lectori revoco hæc poſt verba alia immediatè ſequi per modum Concluſionis ac Diſpoſitionis, eaque eſſe quæ mox ſubjicio, videlicet: *Quapropter.. ut magis accurata diſquiſitione eorum Canonicorum Spiritus, & Vocatio dignoſcatur... Sacra Congregatio.. Epiſcoporum & Regularium.. declarat, ſtatuit, atque decernit, ut in poſterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonicis Regularibus Ordinis Sancti Auguſtini Congregationis Lateranenſis, quamvis non translatus ad Curam Animarum in Eccleſiis Secularibus, etiam de jure Patronatus; in perpetuum ſeu ad tempus quocunque titulo exercendam admittatur, niſi præter Abbatis Generalis licentiam expreſſum quoque Sedis Apoſtolicæ Indultum accedat, quod juxta Sacrorum Miniſtrorum penuriam, & prout Animarum poſtulabit utilitas in contingentibus caſibus concedetur*. Duæ hic opiniones aperiendæ occurrunt circa hanc vocem, *Indultum*. Una, *Indulti* nomine, *Diſpenſationem*; verùm alia, *Permiſſionem* intelligit. Alibi differentiam inter *Diſpenſationem* & *Permiſſionem* adſignavimus. Diſpenſatio hodie accipitur à Juris peritis pro Communis Juris relaxatione, neceſsitatis aut certè majoris ali-
V. Art. 13. §. 4. num. 5. cujus utilitatis causâ, cuipiam conceſſa. Hiſce ferè terminis utitur Clementinum Decretum ex nuper aſsignatis; quibus ſi addas praxim Canonicorum Regularium Lateranenſium recurrendi ad Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium obtinendæ causâ facultatis, apparebit fortè, mentem Sac. Congreg. eam eſſe, ut diſpenſet. Permiſsionis autem vocabulo regulariter intelligitur dimiſsio, ſeu conceſsio ejus quod nullo jure prohibetur; de qua conceſsione, maximi ponderis
Archidiac. Tambur. tom. 3. diſp. 9. q. 8. num. 11. Joann. Andr. Ancaran. Abbas in Cap. Quod Dei timorem. auctores ſcribunt ſic; *Verbum Concedimus non inducere Diſpenſationem, ſed Juris conceſſionem*; potiuſque præſupponit Jus quàm conferat. Qui igitur ſecundam tuentur explicationem, pro viribus ſuſtinent nullum eſſe locum Diſpenſationi, inhærendo Decreto; quia, Primò, Decretum ipſum rotundis terminis Canonicos Regulares Lateranenſes Capaces Beneficiorum Secularium declarat, his verbis: *Ceteroqui capaces ad hujuſmodi Curam in prædictis Eccleſiis exercendam*. Quòd ſi: *Conſtitutio Apoſtolicæ Sedis.. nihil debet obſcurum, vel ambiguum continere*, ut ait Gregorius IX. multo magis ab eâ abeſſe neceſſe eſt contradictionem, quæ omnium oculis occur-
§. Cùm fel. recordat. Decretal. l. 1. tit. 2. de Conſtit. cap. 13. reret, ſi eodem ipſo Decreto quo Capaces judicantur, Incapaces, ex neceſsitate Diſpenſationis, ſtatuerentur. Hinc à Decreto, ut omnem auferant contradictionis ſuſpicionem, hujus Opinionis Auctores, oculatius obſervant à vocabulo Diſpenſationis expreſsæ omnino abſtinuiſse Decreti Compilatores, & adhuc deſiderari; quo nil facilius ut exprimeretur. Neque convenit ea, quæ ex naturâ ſuâ minimè neceſsariò inducunt interpretationem odioſam, rigidè explicare, imò favorabiliter, exponere, uti nomen Indulti; de quo inferius. Notant inſuper unam ex cauſis finalibus hujus decreti edendi, fuiſse, ut de medio tollerentur dubitationes & controverſiæ, quæ ſuboriebantur; verùm non, quod quidam autumarunt, ut nota fieret Diſpenſatio indicta à Pontificibus Prædeceſsoribus, per Indul-

tum

tum tollenda, de qua altiſsimum ſilentium; ſed quia communiter Auctores aſſerebant anteriora Decreta ipſis cum Pontificibus expiraſse ac ſepulta fuiſse, neque vim Legis habuiſse perpetuæ; quibus explicationibus Res in obſcuro continebatur. Nec prudenter magis potuerunt Sac. Congreg. Patres huic malo mederi, quàm id certâ perpetuâque Lege futuris temporibus inviolabiliter duraturâ ſtatuere, quod anteacto Seculo mandaverat præcipuè Gregorius XIII. A decretis autem præcedentium Pontificum procul ſemper fuit Diſpenſationis nomen, exemplum dante Gregorio XIII., cujus Decreto ſive Reſponſo nil aliud cavetur, niſi ut, præter Licentiam P. Generalis, poſtuletur quoque Summi Pontificis Permſsio: *Noluit licere .. etiam de Licentiâ ſui Generalis, abſque Permiſſu Summi Pontificis . . .* Ad quod Oraculum ſignanter ſeſe refert Clementinum decretum; etenim ſic incipit: *Cùm fel.record. Gregorius XIII. . .* Ut ergo uniformis ſervaretur praxis, neque pro diverſitate temporum in poſterum diverſæ ederentur declarationes, atque ad eliminandas controverſias, dubitationeſque explicandas, demum pro præcedentium Decretorum obſervantiâ ſtabiliendâ, Clementino hoc decreto deffinitum fuit, ut Una eademque Lex clarè, explicitèque condita à Canonicis Lateranenſibus cuſtodiretur futuris temporibus perpetuò tenenda, juxta juris regulas, quæ ſic præſcribunt: *Leges & Conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi, niſi nominatim in eis de præteritis caveatur.* Hæc autem Lex eſt, ut Sedis Apoſtolicæ, Licentiæ Patris Generalis, Indultum accedat. *Lib. 1. Decretal. tit. 2. de Conſtit. cap. 13.*

V. Ut autem magis appareat Indulti nomine conceſsionem, minimè verò Diſpenſationem intelligi oportere, ſuadent, priora verba Decreti, eaque ſunt: *Cùm fel. recordat. Gregorius XIII. ad Regularem Diſciplinam in Congregatione Canonicorum Lateranenſium Ordinis S. Auguſtini magis magiſque firmandam mandaverit ne dicti Canonici Curæ Animarum in Eccleſiis Secularibus exercendæ juxta Conſtitutionem Innocentii III. recol. mem. incipientem, Quod Dei timorem, cæteroquì Capaces ad hujuſmodì Curam in prædictis Eccleſiis exercendam admittantur. . .* Narrat hoc igitur Decretum Gregorium XIII. demandaſse ne Canonici Lateranenſes ad Curam Animarum exercendam admitterentur, licet eſſent Capaces; *Cæteroqui Capaces, juxta Diffinitionem Innocentii III. in Capite, Quod Dei timorem*, eo præcisè fine ut Regularem obſervantiam magis magiſque illibatam ſervarent in Congregatione prædictorum Canonicorum Regularium. Summis autem Pontificibus, ſignanter Gregorio XIII. pro obtinendo Regularis obſervantiæ fine in prædictâ Congregatione ſat fuit ultra Licentiam Patris Generalis onus imponere poſtulandæ Permiſsionis Summi Pontificis, nequaquam Diſpenſationis, de qua in toto Decreto Gregoriano, cui cæteri innituntur Papæ Succeſſores, ac Clementino, altiſsimum ſilentium. Porro quomodo illibata ac intemerata Regularis obſervantia cuſtodiretur, ſi contra Ordinis Canonici Regulas, Conſuetudines, Profeſsionemque ipſam per viam Diſpenſationis & Incapacitatis incederet Decretum Clementinum? Denique ſi non ſemel declaratum fuit, retinendam eſſe obſervantiam Decreti Gregoriani quomodo ſimilia Decreta ſartatecta dici poſsunt, ſi præceptum obtinendæ ſimplicis Permiſsionis in neceſsitatem adeundæ Apoſtolicæ Diſpenſationis, toto cœlo diſtantis, converteretur? *Cùm leges inſtitutæ fuerint, non erit liberum judicare de ipſis, ſed oportebit judicare ſecundùm ipſas.* Huic, & ego opinioni lubentiſsimè adhæreo; minimè intelligendo, Indulti nomine Diſpenſationem; quapropter hunc in finem, ſit. *Diſt. 4. in Iſtit.*

§. VII.

Num hoc in Decreto ly Indultum, *pro merâ Permiſſione an pro verâ Diſpenſatione, accipiendum, ſit.*

I. APpoſitè Quæſitum reſtringimus ad præſens Decretum, nolentes verbis Bellum indicere, qui potius cupimus ſenſum ex ſenſu, non verbum ex verbo inveſtigare, contextu utentes Decreti: *Quia*, ut ait S. Gregorius, *plerumque dum proprietas verborum attenditur, ſenſus veritatis amittitur.* Et ſi velimus verba verbis explanare, nemini fas erit ambigere, *Indultum* ex verbo *Indulgeo* derivare; quo certiſsimè minimè coarctamur, ut quoties verbum *Indulgeo* uſurpatur, toties Juri injuria irrogetur; hoc agit Diſpenſatio, cùm ſæpiſsimè Sacri Canones hoc utantur verbo pro explicanda Conceſsione. Innocentius III., ita loqui- *De verbor.ſignificat. C. ad explendum 8. tit. 4. lib. 5. Decretal.*

loquitur: *Ut Privilegia, quæ quibuſdam Religioſis Perſonis Romana conceſſit Eccleſiâ* ... Porrò infra ſubdit: *Sanè quibuſdam Regularibus Apoſtolica Sedes Indulſit*. Ecce hîc unum idemque ſonat, Indulgere ac Concedere: *Conceſſit, indulſit*. Verbum autem concedimus, ut mox ajebamus, non induit Diſpenſationem, ſed juris Conceſſionem. Martinus IV. in extravaganti, quæ incipit: *Viam ambitioſæ cupiditatis*, expreſsè jubet, ne Religioſi Mendicantes tranſitum faciant, *Ad alios Ordines præſertim Monaſticos .. tam Sancti Benedicti . . Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini*. Quia, *Prout facti experientia docet*, ait Martinus IV. Religionem deſerere geſtiunt *ut liberius degant*, & fruendorum Beneficiorum dignitatumque causâ, *fucatis coloribus*, ſub prætextu virtuoſius vitam tranſigendi, *ob frugem melioris vitæ*. Et quoniam hæc erat Pontificis expreſſa intentio, derogat cuilibet facultati, ſi quam olim obtinuiſſent, his terminis: *Licentiam à Sede Apoſtolica . . virtute cujuſcunque licentiæ etiam Indulti Apoſtolici* .. additque infra: *Virtute alicujus Licentiæ vel Indulti, abſque Sedis hujuſmodi Licentia ſpeciali*. Hic Licentia, quæ fortè Permiſſionis & approbationis, non verò Diſpenſationis eſt, & Indultum promiſcuè uſurpantur. Clarius quoque ex *Capite Licèt* de Regularibus idem patet; etenim ſic incipit; *Licèt quibuſdam Monachis, & Canonicis . . à Sede Apoſtolica ſit indultum* . . in medio autem Capitis nil aliud occurrit præter hæc nomina: *Licentiam indulgere*. Ut ut hæc ſint, eruditionis ergo dicta, certè hæc duo, videlicèt Permiſſio & Diſpenſatio aliquando pro eodem ſumuntur, lato fortè ſenſu intellecto vocabulo Diſpenſationis. Sacra ſiquidem Congregatio decidit ſic in Perſona Canonicorum Regularium S. Georgii in Alga, nempe eſſe Capaces: *Ex Permiſſione & Diſpenſatione Apoſtolica ad obtinenda Beneficia tam Curata, quàm Simplicia Secularia*; eòque magis, quia S. Georgii in Alga Canonici cenſentur, apud Cardinalem Petra, *Seculares*, ullâ indigentes Diſpenſatione. Nihilominus ſupra diximus diverſa hæc duo eſſe, id eſt, Diſpenſationem & Permiſſionem. Refert Eminentiſſimus Petra quoſdam, ut probent Monachos quoque Capaces eſſe Beneficiorum Secularium, *Speculari* .. ait idem Eminentiſſimus, *non requiri rigoroſam Diſpenſationem, ſed tantùm Permiſſionem Sedis Apoſtolicæ*. Proſequitur ibi laudatiſſimus Cardinalis hunc in modum: *Tamen iſti termini confunduntur, cùm revera Apoſtolicum Indultum omninò requiratur, ut Regularis aſſumi poſſit ad Eccleſiam Parochialem Secularem*.

Notandum hîc venit Eminentiſſimum hunc Cardinalem ſermonem hoc loco inſtituere de Capacitate Monachorum & Canonicorum Regularium ad Beneficia Secularia; ſic enim loquitur: *Diſſerturus de Capacitate Secularium Beneficiorum in Regularibus, & Canonicis Regularibus*. Obſerva Lector hîc diſtingui Regulares à Canonicis Regularibus. Proſequitur hoc modo: *Deſcenſuri primò quo ad Monachos* .. Nomine ergo Regularium Monachos intelligit. Quo fortè ſenſu indicare voluit Monachos tantùm Regularium nomine, Concilium Bituricenſe, ſic loquens: *Monachi Beneficiis Curatis non præficiantur: ſed Secularia Secularibus, & Regularia Regularibus tantùm conferantur*. Et quamvis de Canonicis Regularibus loquens eos obnoxios reddat Diſpenſationi; reſtringit tamen hanc neceſſitatem in caſu Beneficiorum Simplicium ac Canonicatuum, diverſimodè ſemper loquens de Beneficiis Parochialibus. Sed neque potuit tantus Vir Conſtitutionum Apoſtolicarum Interpres ac Magiſter aſsimilare Monachis Canonicos Regulares indiſcriminatim, quod non egit, Innocentius III., *in Capite de Poſtulando*. Ex hoc Canone ejuſdem Innocentii, quia colligitur *idem judicium de Canonicis Regularibus quod de Monachis eſſe obſervandum*; placet nonnullis in foro recens ſcribentibus reliqua omittere, id eſt: *Quantum ad ſupradicta*. Quæ quæ ſint enumerat Innocentius III., nempe nequaquam admittendos eſſe ad patrocinium Cauſarum, ne extra Clauſtrum materiam habeant evagandi; eſto Capitulum cui innituntur iidem Canonici Regulares, expreſsè loquatur de Monachis, haud verò de Canonicis Regularibus. Hoc minimè obſtante jubet Pontifex idem obſervandum etiam quo ad Canonicos Regulares, id eſt, ut nequaquam ad advocati officium advocentur, non ſolùm in Cauſis Eccleſiaſticis, verùm etiam in forenſibus, uti practicabatur in Diœceſi Compoſtellanâ à Canonicis Regularibus, ut ſe fortè in Jure peritos geſtirent demonſtrare, *niſi fortè id Monaſterii expoſceret utilitas*. Hanc reſtrictionem ignoraſse laudatiſsimum Scriptorem nefas eſt opinari. Multo minus credibile eſt doctiſsimum Cardinalem idem ferre poſſe judicium de Monachis ac de Canonicis Regularibus, poſtquam legerit Divum Thomam, qui huic Capiti de Poſtulando ſibi objecto reſpondet, omnemque diluit difficultatem, ut conſtanter Monachos à Canonicis Regularibus diſtinguat,

Cap. 24. ut privilegia tit. 33. de Privilegiis.

Viam ambitioſæ. Martin. IV. extrav.

V. Tuſc. practic. concl. tit. 1. v. licentia, concl. 351. Lib. 3. Decretal. cap. licet de Regular. c. 18. Innocent. III.

Lib. 18. Decretor. fol. 472. an. 1648. 2. Maii Epor. & Regular.

Tom. 2. pag. 8. fin.

Anni 1584. tit. 36. Can. 10.

Lib. 1. Decretal. tit. 37. de Poſtulando cap. ex parte 2. Innoc. III.

V. Gratian. in Cap. Monachi 35. 16. qu. 1.

Gonzalez hic.

guat, hoc pacto: *Dicendum, quod eadem eſt ratio de Monachis, & omnibus aliis Religioſis, quantum ad ea quæ ſunt Communia omni Religioni: puta quod totaliter ſe dedicent divinis obſequiis, & quod eſſentialia vota Religionis obſervent, & quod à Secularibus negotiis ſe abſtineant. Sed non oportet ſimilitudinem eſſe quantum ad alia, quæ ſunt propria Monaſticæ Profeſſioni, quæ ſpecialiter ad Vitam Contemplativam ordinantur. Unde in prædictâ Decretali de poſtulando non dicitur ſimpliciter, quod ſit idem judicium de Canonicis Regularibus quod de Monachis, ſed quantum ad ſupradicta, ſcilicet, quod in forenſibus cauſis officio advocationis non utantur.* Addit inſuper; *& in Decretali inducta de Statu Monachorum, poſtquam præmiſerat quod non putantur à conſortio Monachorum ſejuncti Canonici Regulares, ſubditur, Regulæ tamen inſerviunt Laxiori. Ex quo patet,* concludit Divus Thomas, *quod non omnia teneantur ad quæ Monachi.* Inconcuſſa res eſt apud Divum Thomam, pluribus in locis, latum eſſe diſcrimen Monachos inter & Canonicos Regulares, nec non penes Eminentiſsimum Petra ſupra laudatum, qui ſpeciatim de Canonicis Regularibus Lateranenſibus ſcriptum reliquit: *Reputantur magis eſſe in Statu Cleri Secularis, licet etiam in iſtis hodie aliqua quaſi tas Regularis inſpiciatur*: idem alibi: *Potius de Clero Seculari reputantur*, eadem prorſus veſtigia calcans, quæ Cardinalis de Luca, qui agens de Canonicis Regularibus ait: *Canonici Regulares ſub Clero Seculari potius recenſeri ſolent . . de Clero juxta Hierarchicum Ordinem recenſentur.* Quia ergo palmaris intercedit diſcrepantia Monachos inter & Canonicos Regulares, imò permaxima confœderatio Canonicos Regulares inter & Clerum Secularem, poſſet quis ad trutinam revocare, cur in caſu Canonicatuum & Beneficiorum Secularium Simplicium obnoxii declarantur Canonici Regulares Diſpenſationi?

2.2. 188. art. 2. ad 2.

Tom. 5. pag. 81.
Pag. 522. n. 4. §. In quo.
In annot. ad Concil. diſcurſu 35. num. 7. de Regular. diſc. 19. n. 5.

II. Sanè hucuſque verbum ex verbo derivavimus, contra præconceptum propoſitum ac votum, potius quàm ſenſum ex ſenſu, quod in ſequentibus nequaquam prætermittemus. Ut autem hoc aſſequamur, ſatius duximus ex ipſo Decreti contextu nonnulla inferre, quæ ipſi Decreto, ut videtur, reſiſterent, ſi *Indulti* nuncupatione, *Diſpenſatio* conciperetur. Certè, ut præmonuimus, Diſpenſatio à Doctoribus deffinitur, quod ſit: *Juris communis Relaxatio in his*, inquiunt Hyeronimus Paulus & Rebuffus, *quæ contra diſpoſitionem Juris Communis ſunt, datur diſpenſatio.* Quoties igitur aliquid nequaquam diſponitur contra Jus Commune, non cadit Diſpenſatio; unde potius dici poſſet, *Papam indulgere, quàm diſpenſare*, ut tradit Corradus. Quæ cùm ita ſint, oportet neceſſariò diſtinguere Diſpenſationem inter & Indultum, à verbo indulgeo deductum. *Indultum* porrò deffiniri poterit, quod ſit: *Remotio impedimenti.* Obſtat in Caſu noſtro Decretum Gregorii XIII., ne id, quod de Jure Communi competere omnes docent, omnino liberè obtineatur. Qua propter doctiſſimè compilator Decreti Clementini uſus eſt verbo, *Indultum.* Id enim, in ſenſu obvio acceptum, nil aliud operatur, quàm removere impedimenta Gregorianæ Permiſſionis, prohibentis licitè aſſequi, quod de Jure conceſſum eſt. Etenim vigore Indulti novum Jus non tribuitur, ſed antiquum præſervatur; illa ſiquidem poteſtas, quæ eſt impedita, per Indultum ad actum reducitur, ſeu reſtituitur. Et quamvis Indultum rationem habeat privilegii, nihilominus, *nil Juris conferre, ſed removere obſtacula, ut ſæpius dictum eſt, nec augere Ordinarii Jurisdictionem, ſed tantùm præſervare*, idem tradit Germonius. Hoc totum declaratur per eundem Germonium, ubi ſibimet obiicit, Quid ſibi volunt illa verba, *ſublatis impedimentis.* Ibi enim ſoluit hanc difficultatem, Remque noſtram dilucidat. *Reſponſio eſt in promptu*, ait ipſe: *Nam licet omnis auctoritas, omniſque poteſtas conferendi Beneficia jam ab initio naſcentis Eccleſiæ penes Sanctiſſimum ejuſdem univerſalem Rectorem exiſteret, duretque ac duratura ſit in perpetuum, ut ea, quæ divina prorſus eſt, nec humanas extimeſcit viciſſitudines, aut accidentia: verumtamen, quia Veteres Pontifices Maximi contenti fuerunt Collatione eorum Beneficiorum, quæ Urbis ambitu claudebantur, & permiſerunt Epiſcopis, ut omnia Beneficia, quibus vellent, conferrent; demum ob cauſas ſuperius adductas nonnulla ſibi reſervarunt, quæ deinceps Epiſcopi ipſi niſi per Regulas Cancellariæ conferre prohibiti ſunt, ipſi impediebantur, quo minus liberè conferrent, uti conſueverant, quæ impedimenta per Indultum Apoſtolicum tolluntur, iis, quibus eſt indultum, in priſtinum reſtitutis: proinde eleganter Caputaquen.* poſt Caſſad. deciſ. 214. num. 6. & 7. par. 2. *cenſet, Indulta, & Alternativas cenſeri gratias favorabiles, quia per ea, vel eas Ordinarius conſervatur in ſua antiquâ prærogativâ. Impedimentum verò faciunt Regulæ Cancellariæ contra Jus Commune, quod impedimentum tollitur per Indultum, vel Alternativam Epiſcopis conceſſam*: Jacobus Puteus in deciſ. 206.

Gloſſ. in cap. requiritis verbo ut pleriſque 1. q. 3. Abb. in Cap. Fraternitatis de ſchiſmat. Corrad. praxi diſpenſ. lib. 1. c. 1. num. 3. Apud Germon. de Indultis Cardinal. tom. 1. pag. 418. n. 111.
Corrad. ibid. l. 4. c. 2. n. 48. apud Germon. loc. cit.
In §. Ac Beneficia n. 39. tom. 1. pag. 464.
Ibid. pag. 417. §. Per quæ ſublatis n. 87. ſed urgebit. Edit. Romæ ann. 1633.
Nuncupavit hoc opus olim impreſſum in Typographia Vaticana Greg. XV. Anno 1622.

num. 2.

num.2. l.1. *dicit*, *Indulta nihil aliud operari, quàm quòd removent obſtacula, non autem ordinariam ampliant Juriſdictionem*: idem deciſ. 162. *n.*5. & *n.*8. *lib.*2. atque etiam Simonetta 2. deciſ.18. Creſcent. de privileg. deciſ.11. & *Doctiſſimus Sacri Palatii, ſeu Rotæ Auditor Scipio Lancellottus, nunc magnæ auctoritatis Cardinalis, in una Bononienſi optionis die 9. Januarii 1579.* Hæc Anaſtaſius Germonius Archiepiſcopus Tarantaſienſis, & Caroli Emmanuelis Allobrogum Ducis apud Sacram Catholicam Majeſtatem Legatus. Stat igitur, Indultum nihil de novo tribuere, ſed tantùm removere obſtacula. *Domini*, habet Rota, *negativè reſponderunt moti ex eo, quod per dictum Indultum fuerunt tantùm remota obſtacula reſervationum, & affectionum Apoſtolicarum; ita quod reſpectu Juris conferendi nihil de novo fuerit datum, quod non haberetur ante reſervationes vel affectiones. Reſponſum fuit,* alibi eadem Rota decidit, *ſimilia Indulta nihil de novo ipſis Ordinariis tribuere, ſed tantùm removere obſtaculum reſervationis, quo ceſſante Ordinarius Jure proprio confert, ac ſi reſervationes non emanaſſent.* Item habet: *Cùm eatenus ſuffragetur* Indultum, *quatenus ſonat, & regulariter removet obſtacula reſervationum, & affectionum Apoſtolicarum, non autem tribuat indultario aliquid de novo circa Jus conferendi, quod non haberet.* Ex quibus notatum hîc vellem duo conſiderari in Indulto, primum, nihil de novo tribuere circa Jus. Secundum, removere impedimenta, ſive obſtacula eo modo quo ſunt. Ad Rem noſtram. Indultum, de quo ſermo eſt, nihil de novo tribuit Canonicis Regularibus Lateranenſibus circa Jus proprium, quod eſt ipſum Jus Commune ipſis adſiſtens. Quoniam autem huic Juri Communi ac libero acceſſit obligatio poſtulandæ Permiſſionis Pontificiæ, ſub Gregorio XIII., quæ eſt veluti obſtaculum unicè impediens expeditum uſum poteſtatis de Jure Communi competentis; hinc per Indultum tollitur hujus uſus impedimentum. Et quia hoc impedimentum natum eſt ex Noluntate Pontificis, ex ipſiuſmet Volitione penitus tollitur, ac ſi natum non fuiſſet; Nam; *Omnis Res per quaſcunque cauſas naſcitur* ut ait Chryſoſtomus, *per eaſdem diſſolvitur.* Hæc autem Volitio eſt ipſa Permiſſio à Gregorio XIII. volita. Permiſſio, inquam, vel naturâ ſuâ proviſionalis, vel jam dudum extincta; certè minimè in Jure expreſſa, neque fundans Jus Commune, ſed neque ex Regulis Cancellariæ extracta; ac proinde Re ipsâ Indultum Clementinum in ventre nil habet præter Permiſſionem, nullo verò modo Diſpenſationem; ex eo etiam, quia uti odioſum ac reſtrictivum in materiâ Beneficiali convenit mitiori interpretatione donari. Nam: *In contractibus plena, in teſtamentis plenior, in Beneficiis quoque pleniſſima eſt interpretatio adhibenda.* Diſcreto lectori ſat eſſe cuperem ea, quæ prædiximus, ut Vocabulum hoc: *Indultum* apprìme intelligat; quod in Rem noſtram, nil aliud operatur, dum conceditur à Sanctâ Sede, præterquam reſtituere in priſtinum Canonicos Regulares Lateranenſes, ac ſi nulla præceſſiſſent vel emanaſſent Decreta ad permiſſionem petendam obligantia; eorumque antiquas prærogativas præſervare, quæ, vigore prædictorum Decretorum ſuſpenſæ impeditæque remanſere. Equidem cum hoc Indultum conceditur; nil tribuitur quòd ſit contra Jus Commune, ſed ſola, quæ ſubſequuta Decreta ſunt tolluntur. Ceſſante ergo obſtaculo Noluntatis Pontificiæ Indulti ſive Permiſſionis Beneficio, Pater Generalis Jure Proprio Licentiam confert Parochias adeundi, ac ſi impedimenta non emanaſſent. Hinc in Decretis Conceſſionis Sac. Congreg. Epiſcopor. & Regular. apponere conſuevit hæc verba: *Pater Generalis utatur Jure Suo.* Cæterum parum Veritati conſuleretur ſi nomine Indulti hîc intelligeretur Diſpenſatio. Hoc iterum diſpiciamus.

Rota dec. 204. n. prim. coram Pamphil.
Deciſ. 116. n. 9. par. 16. recent.
Deciſ. 523. n. 11. & 12. part. 19. tom. 2. recent.
Tit. 41. de Regul. juris C. omnis 1.
Tit. 24. de donat. C. Cùm dilecti 6.

III. Ab initio Decreti enarratur Gregorium XIII. mandaſſe ne Canonici Lateranenſes admitterentur ad Curam Animarum, eo præciſè fine, videlicet: *Ad Regularem Diſciplinam in eorum Congregatione magis magiſque firmandam.* In primis Gregorio XIII. ſat fuit onus ſolummodo imponere petendæ Permiſſionis à Summo Pontifice, minimè verò Diſpenſationis. Etenim Diſciplina Regularis apprìmè ſervaretur, ſi denegatâ Permiſſione, Canonicis Regularibus non ſit conceſſum adire Eccleſias Seculares; Clauſtra eo tunc incolerent. Diſpenſatio porro, quæ Statum Clericalem ac Inſtitutum inſerviendi Populo alterat & immutat, animos potius perturbaret, quàm in diſciplinâ pacis contineret. *Scimus enim, & ex evidentiâ facti colligimus,* liceat hîc applicare Bonifacii Octavi dictum, *quod non niſi in Pacis tempore benè colitur Pacis author;* & quia abſque interiori tranquillitate non eſt Pax, quę, ex Iſidoro, *eſt ſtatus tranquillus.* Refert auctor Diſciplinæ ex Fagnano Canonicos Regulares ſub Gregorio XIII. (penes ipſos fides) *Flagitaſſe abſolvi ſe ab hujus Conſtitutionis obſervantiâ, & repulſam paſſi ſunt.* Vocat hic auctor *Conſtitutionem*, Reſpon-

De Majorit. & obedien. lib. 3. de Sepulturis c. 2.

ſum

ſum fortè cum Pontifice extinctum. Agebatur hîc de ſolâ Permiſſione poſtulandâ, intactâ Capacitate; nihilominus dolore affecti ægrè ferebant libertatis vulnera ſuſtinere; Nam: *Libertas ineſtimabilis Res eſt*. Clementis X. quoque tempore, emanato, de quo agitur, Decreto, Religioſi perturbari nonnihil cœpere inſtantibus apud Sanctam Sedem ex primoribus Canonicorum Lateranenſium ad Sæculum redire petentium, quoniam audierunt derogatum fuiſſe Profeſſioni, quæ Solâ Licentiâ P. Generalis, contenta eſt. Inſtiterunt ergo hoc ſupplici libello: extra; Alla Santità di Noſtro Signore Clemente Decimo: Per i Canonici Regolari Lateranenſi. Intus; Beatiſſimo Padre. Avendo gl'infraſcritti Canonici Regolari Lateranenſi dell'ordine di S. Agoſtino umiliſſimi Oratori della Santità Voſtra inteſo, che non poſſino più ottenere Beneficj Secolari con la ſola licenza del Capitolo Generale, come eſſi nella loro ſolenne Profeſſione ſi ſono riſervati, che per altro non ſi ſarebbero fatti Religioſi, ſe ſi fuſſero creduti eſſer obbligati perpetuamente al Clauſtro, e non potere uſcire dalla Religione con Benefizj nel modo predetto; Supplicano pertanto umilmente la Santità Voſtra compiacerſi di dichiarare la loro Profeſſione invalida, non intendendo eſſer tenuti a più di quello hanno volontariamente promeſſo a Dio Benedetto. Che della grazia. Quam Deus .... Don Carlo Raggi di Genova Canonico Regolare Lateranenſe mano propria: Don Gio: Battiſta Lamia da Cremona C. R. L. mano propria: Don Girolamo Centores da Vercelli C. R. L. mano propria: Don Alberto Grazioli di Venezia C. R. L. mano propria. Horum animos Rumor neceſſariæ Diſpenſationis, ſive inductæ Incapacitatis excitavit uſque ad Clauſtri deſertionem, ac Nullitatis Profeſſionis declarationem; quo nil aptius ad quietem fugandam ac Diſciplinæ robur enervandum. Quoties autem Indulti nomine neceſſitas ſolius ſimplicis Permiſſionis ſeu Licentiæ imponeretur, victrix Obedientia lubentiſſimè pareret, cum poſſit compati cum Capacitate, ut colligitur in Capite, ſi Abbatem. Narratur ibi Capitulum quoddam Eccleſiæ Cathedralis elegiſſe in ejuſdem Epiſcopum Abbatem quemdam Canonicum Regularem. De hujus electionis validitate nulla controverſia orta eſt: Deffiniit tamen Gregorius X. hoc minimè perfici poſſe: *Sine Licentiâ Papæ*. Volebat ſiquidem nuncium mittere Monaſterio; quapropter neceſſaria erat: *Licentia ſuum deſerendi Monaſterium*. Ni velimus dicere minimè ad Rem eſſe noſtram hoc Caput *ſi Abbatem*, quia hîc agitur de Perſonâ Abbatis in ſenſu Juris Communis accepti, haud vero de ſimplici Religioſo adire cupienti Curam Secularem; etenim ex dictis conſtat, neminem poſſe derelinquere Præſulatum, ut in Caſu abſque expreſsâ licentiâ Papæ ad finem ingrediendi Religionem. Ulterius, Religioſus adiens Curas Seculares abſolutè non deſerit Monaſterium, cum poſſit ad illud ſponte redire, manet ſemper filius Congregationis, quæ Vivum recipere tenetur, ſi reverti velit, Mortuumque parentare ſolet, Suffragiis per totam Religionem indictis.

De Regulis juris la 106.

Extat in Archivo S. Mariæ Pacis de Urbe Charactere ipſius Procurat. General. hujus Ævi. Ipſemet vidi.

Cap. ſi Abbatem 36. Tit. 6. Sexti Decretal.

In Cap. licet de Regular. Tit. 31. lib. 3. Decretal.

Recolamus hîc oportet ea, quæ ſupra indicavimus de verbo, *Indultum*. Hoc ſiquidem, nil aliud operatur quàm removere impedimenta, ut id quod de Jure Communi licitum eſt, inoffenſo decurrat pede. Indultum ergo potius confirmat præexiſtere Capacitatem, quam novam tribuat. Multo magis in Decreto Clementino ly *Indultum*, præſupponit apertiſſimè Capacitatem, ibi enim declaratur Canonicos Regulares Lateranenſes eſſe: *Capaces ad hujuſmodi curam in prædictis Eccleſiis exercendam, juxta Conſtitutionem Innocentii III. recol. mem. incipientem, quod Dei timorem*. Ex alterâ autem parte evidens eſt Diſpenſationem tunc neceſſariam eſſe, cum deficit aſſiſtentia Juris Communis. Hinc Joannes XXII. docuit poſſe permitti pluralitatem Beneficiorum ex Diſpenſatione, quia reſiſtit Jus Commune: *Poſſit diſpenſativè, cum aliàs non liceret de Jure Communi*. Ex his colligo, Indultum ex vi proprii Significati præſupponere Capacitatem, ac aſſiſtentiam Juris Communis. Hæc porro aſſiſtentia in Decreto exprimitur per ea verba: *Ceteroqui Capaces*, ratioque adducitur Capacitatis, nempe *Caput quod Dei timorem*, quod eſt ipſum Jus Commune. Et Capacitas abſolutè prolata pro verâ ac propriâ, legali Capacitate accipienda eſt. *Cum in verbis nulla ambiguitas eſt, non debet admitti voluntatis quæſtio*. Cùm igitur omnia, quæ in Decreto poſita ſunt concurrant ad præſupponendam, imò ad probandam Capacitatem, ac declarandam Juris Communis aſſiſtentiam, de quâ hîc ſermo eſt, favore Canonicorum Lateranenſium, uti aliena à mente Decreti arcenda eſt Diſpenſatio, quæ ſolummodo intrat quando deficit Juris Communis aſſiſtentia: *Poſſit Diſpenſativè, cùm aliàs non liceret de Jure Communi*.

Extrav. comm. lib. 3. de Præbend. & dignitatib. c. 4. execrabilis.

In L. Ille aut ille de legat. 3.

IV. Alia accedit reflexio pro vindicandâ Capacitate Canonicorum Regularium

Lateranenſium vigore Decreti Clementini, ſi bene perpendantur motiva ejuſdem Decreti, inter quæ præcipuum eſt, Sacram nempe Congregationem in hanc reſolutionem veniſſe, (en verba Decreti): *Ut magis accuratâ diſquiſitione eorum Canonicorum Spiritus, & Vocatio dignoſcatur: qui dum in tranquillitate Montis Sion Cæleſtium Contemplatione ſuaviſſimè paſcuntur, ad frangendum in Valle Lacrymarum panem Parvulis (videlicet è Clauſtro ad regimen deſcenſuri Parochialium) invitantur.* Nequit aptius obtineri accurata Diſquiſitio *Spiritus* Canonicorum Regularium Lateranenſium, quàm diſquirendo quinam ſit Spiritus Clericorum. Tales ſiquidem ſunt apud
Supra §. 1. n. 2. Sacros Canones peneſve omnes Scriptores, ut uſque ad ſatietatem hoc in Volumine, alibique inſinuavimus. Canonici eſſe non poſſunt, quin ſint Clerici. His ex
2.2. 189. 8. 2. D. Thoma: *Competit per ſe, ut ſint Clerici Religioſi*: Item: *Inter Clericos computan-*
Cont. impug. Relig. ſup. Artic. 1. §. 4. n. 1. *tur*. Et ex Deffinitione Pii IV., recol. mem., hæc duo indiſpenſabiliter in Canonicis Lateranenſibus debent eſſe conjuncta, Profeſſio & Status Clericalis: *Digni-*
Bullar. Lat. pag. 277. *tatis Clericalis ... Statim quòd Profeſſionem emittunt inſignitos eſſe oportet*. Et Teſte Gonzaleſio: *Canonici Regulares eſſentialiter ſunt Clerici*. Hoc eſt directè Per Se, ex
Tom. 2. Commentar. pag. 14. Inſtituto, ex fine. *Qualitas vera Clericalis*, ait Eminentiſſimus Petra, *remanſit in illâ Congregatione Lateranenſi*; quam vocat: *Aliarum* præſtantiſſimam. Spiritus porro Clericorum conſtat ex Juſtiniano ſic ſtatuente: *Officium Clerici eſt docere, & paſce-*
Novella 133. *re Populum, uti gregem ſibi commiſſum*. Ex D. Hieronymo ad Heliodorum: *Clerici*
Serm. 355. c. 4. n. 6. *paſcunt oves*. Et ex Clementina: *Exivi de Paradiſo*, idem colligitur: *Clericorum eſt oves paſcere. Clericus duas res profeſſus eſt*, ait S. Auguſtinus, ut ſupra etiam retulimus, *& Sanctitatem & Clericatum ... Clericatum propter Populum ſuum Deus impoſuit cervicibus ipſius, cui magis onus eſt, quam honos*. Idem docuit non ſemel Angelicus:
Opuſc. 34. Concl. 4. *Clericorum officium ex eo quod Clerici ſunt*, ait, *eſt docere & paſcere Populum*. Hæc cùm ita ſint, liquidò apparet cujus indolis ſit Spiritus Canonicorum Regularium, videlicet, Apoſtolicorum more Clericorum Fidelium animas pabulo Sacramentorum ac Doctrinæ Evangelicæ enutrire. Vocatio demum Canonicorum Regularium ſi altè petenda eſt ab Auguſtino eorum Patre Reformatore, nil apertius ex hoc uberrimo Fonte emanat ac copioſius, quam eos deſtinari ad Parochiales Eccleſias,
Sup. cit. art. 11. §. 11. Auguſtini exemplo nec non Clericorum ſuorum. A Monaſterio ſuo: *Prognati ſunt illi vel Epiſcopi, vel Cleri proceres, quos*, inquit Thomaſſinus, *in omnes Africæ Eccleſias diſſeminavit*. Qui auctor de ipsâ perſonâ Auguſtini loquens., ſuper illa verba: *Ideo pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, ut qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro*
Part. 1. l. 3. c. 3. n. 2. *ipſis mortuus eſt*, ſic ait: *Ad id vocabatur ut ſordes everreret peccatorum in ſubeundis Clericalis vitæ laboribus, propriamque procuraret ſalutem in ſalute Proximorum promovendâ*. Profeſsione denique Vocatio Canonicorum Regularium Lateranenſium præcipuè dignoſcitur, qui in eâ explicitè proteſtantur, unâ cum Votis, à quatuor ferè Sæculis, reſervare ſibi Jus adeundi Parochiales quaſlibet cum Licentiâ Patris Generalis. Imo ipſo ex Decreto Clementino idem clarè eruitur; invitantur ſiquidem ad frangendum panem parvulis, dum regimini Eccleſiarum Secularium præficiuntur; & quod contra nonnullos, volumus obſervari, id eſt, quòd Canonici Regulares dum è Clauſtro vocantur in Vallem lacrymarum, pio fœnore copulant ſimul Contemplationis fructum cum ſalute Proximi; nequaquam enim hic tranſitus fit per ſubtractionem Orationis ſeu per extinctionem ſpiritus, qui paſcitur in Monte Sion; ſed per additionem meriti ex Vitâ Activâ enaſcentis.

Cùm igitur Canonici Regulares, minimè obſtante Regulari eorum Statu, nullamodo diſcrepent à Canonicis ſive Clericis Secularibus in identitate ac qualitate Clericatus; quoniam omnimodis Clerici ſunt ac Canonici & Presbyteri Seculares, atque eodem modo participent Caracterem Clericatus, hoc eſt, Per ſe, Directè, eſſentialiter, nequaquam verò ex Privilegio, ex Neceſsitate, ex Diſpenſatione; in claram venit conſequentiam, Spiritum eorum ac Vocationem eam eſſe, quæ Clericis Secularibus convenit, hoc eſt, æquè deſtinari poſſe ad regendas Parochia-
Card. de Luc. de regular. diſc. 19. n. 5. & alibi. les Eccleſias, ſalutemque Proximorum promovendam. *Cui enim eadem natura, idemque Status competit, eaſdemque proprietates ac prærogativas competere neceſſe eſt*.

V. Admodum ulterius juvat in confirmationem eorum, quæ aſſeruimus, ex Decreto Clementino colligere, Procuratorem Generalem illius temporis fuiſſe auditum: *Audito Patre Procuratore Generali dictæ Congregationis*. Præſumendum eſt muneri ſuo feciſſe ſatis, ac reverentiâ Sacræ Congregationi debitâ, officium ſuum religioſè egiſſe. Quænam autem ejus fuerint Juriſdictionis confinia, videndum modo eſt, eruditionis gratiâ. Poſtquam à Capitulo Generali electi ſunt Procuratores Generales, totius

tius Nomine Capituli ipſis traditur Mandatum Procuræ, ea continens quæ bono regimini Congregationis congruunt, in quo eorum Conſcientia permaximè oneratur, ſicut eorum Perſona admodum honoratur. Inter alia, ad Rem noſtram, hæc habentur: *Item non poſſunt dicti Reverendiſſimi Patres Procuratores, uti prædicto Mandato in exequendo facultatibus ut ſupra conceſſis contra formam Conſtitutionum, & laudabilium Conſuetudinum Religionis.* Accedunt Conſtitutiones Ordinis præcipientes hunc in modum: *Ipſi Procuratori Generali ſic electo, ſicut etiam Abbati Generali mandatum generale Procuratoris juxtà formam in Congregatione conſuetam fieri debebit, cum hac tamen Clauſulâ eidem mandato ſpecialiter inſerendâ, quòd vigore dicti Generalis Mandati nihil agere poſſit, vel impetrare contra Conſtitutiones & laudabiles Conſuetudines noſtræ Congregationis.* Inter Electiones quæ à Capitulo Generali cujuſcunque Ordinis fieri ſolent, ea Procuratoris Generalis, in cujus manu omnia reponuntur jura ac facultates, maximè poſt Generalitiam, cordi eſt omnium electorum, qui, antequam ſuffragium præſtent, ut par eſt judicare, ſummè invigilant num in perſonâ eligendâ Amor ac zelus ſit erga Religionem, Doctrina muneri congrua, Vigilantia ne Congregationi adverſa immineant, & Conſtantia, ut ejuſdem Congregationis, à qua eligi debet, Jura tueatur ac defendat. Quis vero ex Procuratoribus Generalibus, cujuſcunque ſit Ordinis ignorat, Id, *vocari Conſuetudinem, quod in Communi eſt uſu*, ut docet Gratianus; &, ut voluit Alexander III.; *Conſuetudinem laudabilem nullâ debere novitate depelli*; Quia, ut ait Divus Auguſtinus: *Ipſa mutatio Conſuetudinis, licet utilitate adjuvet, novitate tamen perturbat.* Etenim etiam ex Onorio III. habetur: *Conſuetudinis uſuſque longævi non levis eſt auctoritas, & plerunque diſcordiam pariunt novitates.* Quomodo Procuratores Generales ſelecti ex millibus ignorare poſſunt laudabili nequaquam Conſuetudini reſiſtendum fore, ſed ei, quæ criminoſa eſt, ac conſcientiam lædit, ut docuit Innocentius III. hoc pacto: *Generaliter eſt omni Conſtitutioni atque Conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari*; quæque adverſatur: *Canonicis Inſtitutis*; vel, *Juri contraria*; aut damnoſa; *Veritati aut Legi.* Quomodo autem ea Conſuetudo quæ Ordini Canonico de Jure Communi innata, ac per plura Sæcula expreſsè, in faciem Eccleſiæ, profeſſa, degenerare valuit apud Procuratorem Generalem illum, qui auditus cenſetur, ut contra omne Jus ei eſſe apparuerit, quando ipſa Conſuetudo, vel fundat Jus, vel ipſum interpretatur? Quando: *Conſtitutio legem, & utrumque conſuetudo vincit?* Si nullus eſſet Titulus Canonicis Regularibus Parochias Seculares adeundi, ipſa Poſſeſſio loco Tituli eſſe deberet, ut tradit Gloſſa: *Poſſeſſio centum annorum habetur loco Tituli, & iſte Titulus ſecundum Doctores erit Titulus pro Suo, qui præſumitur ex poſſeſſione tanti temporis.* Et ſuper hæc verba: *Pro Suo*; Eminentiſſimus atque Doctiſſimus Falconerius, addit: *Pro Suo quidem in ſtrictâ intelligentiâ eſt Titulus, quando alius deficit.* Ex longævâ igitur, atque in viridi obſervantiâ per tot Secula Conſuetudo præſumenda eſt Jus, quia nullus error æternus; nec error decipit omnes. *Inveterata Conſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur*, ut in lege habetur, *& hoc eſt Jus, quod dicitur moribus conſtitutum.*

Mandatum anni 1692. ſub die 23. Junii.

Part. 3. cap. 14.

Grat. diſt. 1. Conſuetudo Alex. III. 2. Decretal. Tit. 19. c. 2. ſicut.

Aug. epiſt. 128. cap. 5.

Onor. III. 1. Decretal. Tit. 4. de conſuet. cap. cùm conſuetudinis 9.

Innocen. III. de Præſcript. Tit. 6. cap. 2. quoniam. Tit. 4. de conſuet. c. ad noſtram 3. Ibid. cap. 10. ex parte veſtra.

2. Decretal. Tit. 27. de ſenten. & re judic. cap. cum cauſa 8.

Inſtitut. Imperial. l. 4. de officio judicis Tit. 17. Rubr. marginali.

Gloſſa in cap. 1. de præſcript. in 6. verbo nota.

Tom. 2. pag. 358.

ff. l. 1. tit. 5. de leg. Senat. conſult.

VI. Quæ præmiſimus, arbitror, clariùs apparerent, ſi Decreti Clementini inveniretur, ut vulgò dicitur, *la Poſizione*; videlicet ſupplex libellus cum Inſtantiâ Partis, expreſſis motivis ac Cauſis Legis integram Congregationem Lateranenſem tangentis. Horum autem nil reperiri valuit, non obſtante exactiſſimâ præmiſſâ diligentiâ, neque in Archivo Canonicorum Lateranenſium, neque in Scriniis Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium, in quibus tamen mihi occurrit oraculum Gregorii XIII., multò antiquius; demum neque in Archivo Sancti Petri in Vaticanis ædibus, ubi fideliſſimè cuſtodiuntur monumenta pro veritate inveſtigandâ. Quid igitur Cauſam dederit huic Decreto, quis poſtulaverit, quid expreſſum fuerit adhuc in deſiderio eſt. *Id proprium Decretum dicitur, quòd Cauſâ utrinque cognitâ pronuntiatur à judice.*

L. 18. §. 9. ff. de quæſt.

Unum ſcio quod Sacra Congregatio ſub Clemente X. ſi intendiſſet verè declarare Incapaces Canonicos Lateranenſes ad aſſequenda Beneficia Secularia, derogaſſet Conciliis, & ſignanter Pictavienſi, Lateranenſi ac Tridentino, imo ipſi Juri Communi; cui nil detractum fuit, cùm uno omnium ore adhuc Canonici Lateranenſes ſint de Jure Communi Capaces, ut ipſum etiam Decretum Clementinum fatetur. Derogavit quidem Capiti Quòd Dei timorem, fortè quia in eo expreſſa eſt Licentia Superioris approbata ab Innocentio III. per hæc verba: *Cùm de licentiâ Prioris Sancti Victoris Bononienſis dignoſcaris hactenus id feciſſe*, & Formulæ Pro-

Art. VII.

Profeſſionis pluſquam Centenariâ conſuetudine roboratæ, in quâ ſimiliter continetur: *Licentia Patris Generalis*. Hìc Lector obſerva antiquum morem concedendi à Prælatis Monaſteriorum Clericos Communem & Canonicam Vitam profeſſos regendarum Animarum gratiâ. Ex Concilio Eduenſi, cui præfuit Hugo Dienſis Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ Legatus, habetur. *Clerici Communem & Canonicam Vitam profeſſi in nullo Monaſterio Cucullis induantur, vel in aliis Eccleſiis recipiantur, quandiu vigor Canonicus in ſuis locis perſtiterit, niſi petantur & concedantur à Prælatis vel ad regimen Animarum vel ad Inſtitutionem Regularium Diſciplinarum. Quòd ſi aliter præſumptum, ad Eccleſias ſuas omnimodis revocentur. Non enim Canonicus Ordo Monaſtico Ordine in aliquo inferior perhibetur*. Hæc leguntur in veteri collectione, quæ Anſelmo Lucenſi tribuitur ſub finem libri ſeptimi in Codice Barberino. Hic Scriptor florebat Anno 1081.

VII. Hæc quæ hucuſque pronunciavimus ex Decreto Clementino ſi aliter accipiantur à Scriptoribus, litem nequaquam movere volo; Sanè ſcio, quòd Lis genuit Legem, Legum Lis filia, vivi non ſine Lite ſolet, nec ſine Lege poteſt. Et quia ſtudii ergo elucubravi hoc qualecunque opus. Verùm ſi ipſi Sacræ Congregationi haud arriſerit hic meus labor, cùm nil quæram niſi Veritatem, humillimè me ſubmitto ei Veritati, quæ ex Ore Sacrarum Congregationum ab initio uſque ad hæc tempora, Immaculata, Sincera, Simplex, Clara ac Inviolata prodiit, ſemperque prodibit, Ea ſanè de qua Clemens III. ſcripſit: *Veritatis amica ſimplicitas nullis verborum fallaciis, nullis appetit ambiguitatum involucris obſuſcari*. Horum ſiquidem Sacrorum Judicum Sententiis ſtandum cenſeo, cùm ipſorum deffinire ſit: *Quid liceat, quid deceat, quid expediat. Quid liceat ſecundùm æquitatem: quid deceat ſecundùm honeſtatem; quid expediat ſecundùm utilitatem*. Verbis Innocentii III. Utor.

Part. 2. l. 2. Decretal. tit. 24. de jure jurand. cap. 14. veritatis. Tit. 34. de Voto & Voti redempt. C. magnæ 7.

§. VIII.

Nonnulla afferuntur Cauſam hujus Operis indicantia.

Anno 1693. 14. Novembris Placentina ſub Innocentio XII.

I. CUm vacaſſet Eccleſia Parochialis S. Mariæ Terræ Sarmati Juriſpatronatus Comitum Scotti Civitatis Placentiæ, legitimoque tempore præſentatus fuiſſet Pater D. Archangelus Giorgi Canonicus Regularis Congregationis S. Salvatoris nominatus ab Uno ex Tribus Patronis cumulativè cum quodam Joſepho Maria Chieſa Januenſi, in hypotheſi quòd prædictus præſentatus incapax cenſeretur; & de conſequenti cum expeditæ fuiſſent literæ pro Informatione ad Epiſcopum, hicque Epiſtolâ ſuâ 8. Auguſti Sacram Congregationem informaſſet, ea cenſuit debere: *Cauſam deſcribi in folio*: ut, citatis intereſſe habentibus, & præcipuè nonnullis Presbyteris Secularibus, qui inſiſtebant pro excluſione Regularis, ad Deciſionem ſequentis dubii deveniretur: *An Pater D. Archangelus Georgeus Canonicus Regularis S. Salvatoris præſentatus ad Archipresbyteratum Secularem cum Cura Animarum valeat inſtitui abſque Indulto Apoſtolico, & cum ſolâ licentiâ ejus Generalis*.

Sacra Congregatio Concilii ſequens Decretum pronunciavit: *Sacra Congregatio Concilii cenſuit unienda eſſe Decreta hac de Re edita per manus circumferenda, & cauſam proponi formiter in Sacrâ Congregatione, auditis omnibus Procuratoribus Generalibus Canonicorum Regularium, & præſenti Caſu Secretario cum Sanctiſſimo pro conceſſione Indulti cum clauſulâ tamen* quatenus opus ſit, *& factâ Relatione Sanctiſſimo, Sanctitas Sua ſub die 19. ejuſdem menſis Novembris benigniter indulſit D. Georgeo præfato, ut ad Eccleſiam Parochialem præfatam præſentatus inſtitui, illamque valeat retinere, ac Sententiam Sacræ Congregationis approbavit, etiam quo ad capiendam reſolutionem, citatis omnibus Procuratoribus Generalibus Canonicorum Regularium, & ſuper eâ Breve Apoſtolicum expediri juſſit, ut omnibus innoteſcat, & Lex omnibus præſcribatur impoſterum omnino ſervanda*.

Et quoniam ex eo Decreto apparet factam fuiſſe Relationem Sanctitati Suæ ab Illuſtriſſimo Secretario Pallavicino; pro completâ facti notitiâ, placeat eam referre uti ſe habuit; ideſt.

Le Congregazioni de' Canonici Regolari Lateranenſi, Vienneſi, Premoſtratenſi, di S. Giorgio in Alga, e di S. Salvatore eſenzialmente Chierici, e dal tempo degl' Apoſtoli deſtinati al Reggimento delle Chieſe Secolari, che hanno per loro Iſtituto, e Regola di paſſare a' Beneficj, e Parrocchie Secolari, con la ſola Licenza del loro Generale: Queſta facoltà è ſtata

è ſtata ad eſſi riſtretta dal Decreto della Santa memoria di Clemente Decimo, che vuole, che oltre la Licenza del loro Generale, expreſſum Apoſtolicæ Sedis Indultum accedat; Perche i Canonici di S. Salvatore ſi dichiarano non compreſi nel Decreto, pretendono di poter godere &c. e la Sagra Congregazione avendo comandato unire i Decreti, ed avendo oſſervato la varietà de' Canoniſti, e l'inoſſervanza de' Decreti, ha ſtimato bene di ſupplicare in queſto Caſo preſente Voſtra Santità a voler concedere l'Indulto all'Oratore, e di unire tutti i Decreti, citare tutti gli Procuratori Generali, perche voglia Voſtra Santità con moto proprio ſtabilire la norma da tenerſi in ſimili caſi in avvenire, ed intanto non levare dal poſſeſſo l'Oratore, con concedere l'Indulto, quatenus opus ſit.

Placet hic adnotare, quam ſcitè, & eruditè doctam relationem ſuam Pontifici fecerit Illuſtriſſimus Secretarius, qui fortè inclinavit in Sententiam Gonzalez in rem noſtram hæc habentis: *Canonici Regulares eſſentialiter ſunt Clerici, & à temporibus Apoſtolorum ad regendas Eccleſias inſtituti; unde æque ac Seculares capaces ſunt regiminis cujuſcumque Eccleſiæ, etiam Secularis.* *Cap. quod Dei timorem num. 5. §. adhuc.*

II. Secutis præfatis Reſcriptis favore Canonicorum Regularium Celeberrimæ Congregationis S. Salvatoris de Bononiâ qui incluſi non cenſebantur in Decreto Clementis X., & quia Indultum petitum fuerat conditionalitèr *quatenus opus ſit*, ingenti expectatione deſiderabatur, ut ſe præſentarent ſupracitati Procuratores Generales in Curiâ exiſtentes, & agitaretur controverſia juxta deſiderium Partium, utque denique firmaretur ſtatus ſimilium dubiorum itaut in poſteriorum temporum eventibus daretur omnibus fixa Regula, ad vitandas pro omni peculiari contingentiâ Expenſarum multiplicationes, & ad ſtabiliendum ſiſtema, quo conciliaretur, varietas opinionum: *Et ita ſublatis vivæ vocis oraculis, Varietate Opinionum, Diverſitate Decretorum ceſſabit tantus rumor*; his verbis ſupradictus Prælatus terminum ſuæ poſuit locutioni.

Advenit tempus ideſt Annus 1713., quo Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis comparuerunt parendo ultimo Decreto anni 1693., mediante ſupplici libello quem P. Generalis Ordinis præſentavit in manibus Summi Pontificis fel. rec. Clementis XI., cui benignè placuit ſuo Auditori demandare, ut ei ſuper hoc ſermonem faceret. Auditor Sanctiſſimi à Procuratore Generali Religionis informatus benignè retulit Summo Pontifici ſenſum ſuum, rationeſque adductas & hoc Reſcriptum obtinuit: *Die 3. Aprilis 1713. Ex audientiâ Sanctiſſimi: Factâ Relatione Sanctiſſimus remiſit Cauſam ad Sacram Congregationem Concilii juxta Petita.* Interjecto aliquo tempore placuit Sacræ Congregationi Concilii remittere ſupplicem Libellum Eminentiſſimo Protectori tunc temporis D. Cardinali Carolo Auguſtino Fabbroni his verbis concepto *Die 16. Decembris 1713. Eminentiſſimo Protectori, qui dignetur Sacram Congregationem Concilii reddere inſtructam, ac Votum aperire.*

Supplex libellus Suæ Sanctitati præſentatus eſt hujus tenoris videlicet: *Foris — Alla Santità di Noſtro Signore Papa Clemente Undecimo per il Procuratore Generale della Congregatione Lateranenſe* — Intus.

BEATISSIMO PADRE.

III. IL Procuratore Generale della Congregazione Lateranenſe, umiliſſimo Oratore della Santità Voſtra riverentemente le rappreſenta, i Suoi Canonici Regolari Lateranenſi eſſere i Veri Cherici della Primitiva Chieſa diſcendenti dagli Apoſtoli, e ſecondo l'Iſtituto de' medeſimi rinovato da S. Agoſtino aver profeſſato ſempre col quarto Voto di poter avere colla ſola Licenza del loro Superiore Generale i Benefizj *Cum curâ, vel ſine curâ*, intus vel extra Religionem, come ſi vede dagli Originali della loro Profeſſione ſin dal 1412., e dalle loro ſteſſe Coſtituzioni impreſſe ſin dal 1565., delle quali ſi porge quì anneſſo il Tranſunto, e tal facoltà nativa viene anco comprovata dalla Coſtituzione d'Innocenzo III. nel Cap. *quod Dei timorem de Statu Monachor.*, e dall'oſſervanza immemorabile.

E perche queſta loro facoltà, e Capacità naturale nei tempi più moderni cominciò ad eſſere contraſtata ſenza fondamento legittimo, la Sagra Congregazione de' Veſcovi, e Regolari ſotto li 18. Marzo del 1671. ſenza eſaminare *formiter* un punto così grave, e ſolamente con una ſemplice informazione del Procurator Generale di quel tempo, fece l'anneſſo Decreto confermato dalla ſanta memoria di Clemente Decimo *Vivæ Vocis Oraculo*, nel qual aggiunſe ai medeſimi Canonici l'obbligo di prendere l'Indulto Apoſtolico per ottenere i Benefizj Curati ſenza addurne

durre ragione alcuna, anzi per altro confeſsando li medeſimi eſſere Capaci *de Jure, & Formulâ Profeſſionis*.

Tal Decreto non ebbe il ſuo effetto totale, mentre ciò non oſtante hanno continuato gli medeſimi Canonici il loro poſſeſſo immemorabile d'ottenere i Benefizj, *cum Curâ, vel ſine, extra Religionem*, come dagli eſempli numeroſi, che vi ſono ſeguiti, anco coll'autorità de' Veſcovi, ed Arciveſcovi, che non hanno difficoltato dare l'Iſtituzione, e Poſſeſſo ai medeſimi Canonici ne' Benefizj di Cura di Anime.

Finalmente venuto il Caſo di riaſſumere tal Controverſia nella Sagra Congregazione del Concilio *in unâ Placentinâ Præſentationis*, dove un Canonico Regolare di S. Salvatore fù preſentato dai Padroni ad una Parrocchia Secolare, eſaminato *formiter* l'Articolo, ſe detto Canonico preſentato foſſe Capace colla ſola Licenza del ſuo Superiore Generale, e ſenza Indulto Apoſtolico di eſſa Congregazione ſotto li 14. di Novembre 1693., non oſtante il Decreto della Congregazione de' Veſcovi, e Regolari, ordinò, che la Cauſa ſi proponeſſe *formiter* citati tutti li Procuratori Generali de' Canonici Regolari, per poter fare una Legge univerſale da oſſervarſi in avvenire; e la ſanta memoria d'Innocenzo XII. approvò il Decreto della Sagra Congregazione del Concilio aggiugnendo, che la riſoluzione da decretarſi dalla medeſima Congregazione doveſſe confermarſi per Breve Apoſtolico, *ut omnibus innoteſcat, & Lex omnibus præſcribatur impoſterum omninò obſervanda*, come ſi legge dal Decreto, che parimente, ſi dà anneſſo.

In tale Stato di coſe non avendo potuto prima i Canonici Regolari Lateranenſi addurre le loro ragioni per non averle avute all'ordine, ed anche per iſcarſezza di danaro, onde non ſi è potuta proporre ancora la detta Cauſa nella Congregazione del Concilio, reſtando queſto Articolo indeciſo per eſſere ſoſpeſo il ſuddetto Decreto della Congregazione de' Veſcovi, e Regolari dal Decreto Poſteriore della Congregazione del Concilio, oggi ſi trovano pronti di far decidere la Cauſa, acciò ſi ſtabiliſca una legge perpetua da oſſervarſi, al qual'effetto hanno commeſſo ad un Avvocato della Curia Romana di comporre un Trattato in ſenſo di pura verità ſopra tal controverſia.

Supplica la ſomma Clemenza della Santità Voſtra degnarſi ordinare, che la loro Cauſa dalla Congregazione del Concilio, avanti la quale già pende, ſia conoſciuta, e deciſa coll'eſame da farſi *In mero punƈto Juris Communis, Concilii Tridentini, Profeſſionis & Inſtituti DD. Canonicorum, independenter, & preciſivè ab omnibus reſolutionibus, & Decretis Sacrarum Congregationum, Judicatis quorumcumque Tribunalium, Reſcriptis, & Oraculis Summorum Pontificum tàm favorabilibus, quàm contrariis Ordini Canonicorum Regularium à Temporibus Gregorii XIII. uſque in præſens emanatis*. Con tutte le facoltà, e Clauſole avocatorie dagli altri Tribunali opportune, e neceſſarie. Che &c. Hoc fuit Reſponſum.

Juxta petita.

Tom. 5. pag. 522. §. in quo fin.

IV. Hujus petitionis ejuſque Reſcripti mentionem facit Eminentiſſimus Petra hujuſmodi verbis: & Annis præteritis, recurrentibus Procuratoribus Generalibus ſanƈtæ memoriæ Clementi XI. *Ipſe demandavit, ut Congregatio Concilii examinaret in punƈto Juris, Concilii Tridentini, & ex Vi Profeſſionis, & Inſtituti diƈtorum Canonicorum independenter ab omnibus Reſolutionibus, & Decretis Sacrarum Congregationum, Judicatis Tribunalium, Reſcriptis, & Oraculis Summorum Pontificum favorabilibus, & Contrariis à tempore Gregorii XIII. An diƈti Canonici ſint Capaces Beneficiorum Curatorum, & Canonicatuum Sæcularium*.

Sub die 30. Aprilis 1713.

En punƈta ad quæ reducitur difficultatis cardo, quæ enucleanda ex profeſſo, pro publicâ inſtruƈtione incumbunt Cauſidicis in Foro ſcribentibus. Hæc neceſſariò debent oſtendi, quoniam ſecundùm hæc Capacitatem prædiƈtam aſſerere, ac vindicare intereſſe habentes ipſi ſeſe adſtrinxere; quæque, ſi ritè probentur petitis fiet ſatis, cum ad plura nemo haƈtenus Oratores adegerit. Hæc eadem punƈta hoc in Opere privati ſtudii Titulo expenſa ſunt, eaque obvia habebit Leƈtor ſuis in Locis. Hoc ergo opus non alio fine ab Auƈtore conſcriptum quis credat, niſi in Benevolentiæ argumentum erga ſuos omnes Concanonicos Regulares, ac ut quoquo modo hæc Cauſa illuſtretur. Cæterum hic labor velut umbra ſit ad ea manuducens momenta ſecretiora, quæ Juris Profeſſores, quibus Auƈtor Viƈtoriam palmamque defert, afferre poſſunt ad inſerendam Eruditorum animis Canonicorum Regularium ad Secularia Beneficia Capacitatem.

§. IX.

§. IX.

Quædam, Socium, Habitum, Bonorum renunciatorum Recuperationem ſpectantia, occaſione Eccleſiarum Secularium quas obtinent Canonici Regulares, hîc ſtrictim tanguntur.

I. Nicolaus Ferretti, qui Profeſſionem Regularem inter Canonicos Lateranenſes anno 1674. emiſerat, intercedentibus debitis requiſitis, hoc eſt Licentiâ Patris Abbatis Generalis, & Sedis Apoſtolicæ Indulto, anno 1720. Parochialem Eccleſiam Secularem obtinuit in Diœceſi Theatina, quâ dimiſsâ aliam Eccleſiam Parochialem S. Nicolai obtinuit in Civitate Anconæ.

Ex folio Sacræ Congregat. Concilii ſub die 5. Julii 1727. Anconitana.

Idem Nicolaus in Jus vocavit Comitiſſam Franciſcam Ferretti, & Bajulivum Petrum Paulum Marcolinum Conjuges, petiitque immiſſionem ad Poſſeſſionem Bonorum, quæ occaſione Profeſſionis renunciaverat, & admiſſus fuit ad Uſumfructum tertiæ partis, & ſubinde ad Uſumfructum Corporum aliorum Bonorum in Terra Montis Marciani, ut colligitur ex Deciſione Anconitanâ Succeſſionis 23. Februarii 1722. coram R. P. D. Calcagnino, & ex dec. Anconitanâ, ſeu Senogallien. Succeſſionis quoad Bona Montis Marciani 22. Martii 1726. coram R. P. D. Nunez.

Tempore quo Eccleſia Anconitana adminiſtrabatur à cla. me. Cardinali Buſſio, exhibitus fuit huic Sacræ Congregationi Supplex Libellus, in quo pro Religionis, & Familię decore expoſitum fuit prędictum Nicolaum non geſtare Habitum ſuæ Religionis, neque Socium Regularem retinere, quamvis id commodè facere poſſet, ex quo habitâ ratione, nedum Redditũum Parochiæ, ſed etiam Bonorum Patrimonialium recuperatorum, & commodę habitationis in Palatio Ferretti, dici poteſt, quod habeat in annuo Redditu ſcuta mille circiter, inſtando, ut à Sacrâ Congregatione eidem demandaretur, ut Habitum ſuæ Religionis reaſſumeret, & Socium ſui Ordinis retineret; & juxta morem datę fuerunt litterę pro informatione ad prędictum Eminentiſſimum Buſſium.

Supervento Obitu prędicti Eminentiſſimi, collatâque mihi à Sanctiſſimo Domino Noſtro Eccleſiâ Anconitanâ, renovata fuit inſtantia, datiſque novis literis pro informatione ad meum Pro-Vicarium Generalem, reſpondit ille, Nicolaum incedere in Veſte Presbyteri Secularis, dimiſſo proprio Regulari Habitu, ab eo Famulum retineri more Nobilium, Parochiales redditus aſcendere, computatis certis, & incertis ad ſcuta circiter octuaginta, qui integrè ab eo non percipiuntur, cùm ſolvat ſcuta annua ſexaginta, Cappellano, ſeu Vice-Paroco, & de omnibus Eccleſiam provideat.

Addit Scuta octingenta circiter annua ad eum, ut creditur, devenire ex Bonis Paternis, & in eo quod attinet ad Conſuetudinem, Canonicos Regulares extra Religionem degentes, & admiſſos ad curam Animarum, vel ad Canonicatus in Cathedrali Anconitanâ, ſemper geſtaſſe habitum Presbyteri Secularis.

Perpenſis itaque hucuſque dictis vel expoſitis, nec non aliis ad calcem folii referendis, dignabuntur EE. VV. decernere.

An Nicolaus Ferretti teneatur deferre Habitum Regularem Congregationis Lateranenſis tam in functionibus Eccleſiaſticis, quam extra Eccleſiam, & reſpectivè habere Socium Regularem dictæ Congregationis in caſu &c.

II. Juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, Canonici Regulares utpote inſervientes Regulæ laxiori ſunt Capaces Eccleſiarum Parochialium etiam Sæcularium, juxta Textum in Cap. quod Dei timorem, de Statu Monachorum; & quamvis hæc Juris Communis diſpoſitio fuerit à Gregorio XIII. correcta, Re tamen maturè diſcuſsâ in Sacrâ Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, & annuente Summo Pontifice Clemente X. ſtatutum fuit, ut Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis aſſumi poſſent ad Curam Animarum etiam in Eccleſiis Sæcularibus exercendam; dummodò ultra Licentiam Abbatis Generalis accederet expreſſum Sedis Apoſtolicæ Indultum, uti colligitur ex Decreto edito apud Monacell. in formulario tom. 1. in appendice pag. 314., & accedente etiam Summi Pontificis Indulto, aliqui ex dictis Canonicis aſſumpti fuerunt ad Canonicatus Seculares in Metropolitanis,

Adnotationes Secretarii in Cauſa Anconitanâ.

nis, & Cathedralibus Eccleſiis juxta Caſum diſputatum, & reſolutum in hac Sacrâ Congregatione in Bononien. Indulti 18. Septembris 1723.; quam reſolutionem Sa. me. Innocentius XIII. ſuis Apoſtolicis Litteris confirmavit.

Suppoſitâ dictorum Canonicorum Regularium Capacitate, cum conditionibus tamen ſupra expreſſis, in eo quod attinet ad Habitum ab iiſdem gerendum cùm ad Beneficia Secularia aſſumuntur, prætenditur quod non ſit Conſuetudo, ut prædicti deferant Habitum Clericorum Sæcularium, teſte Creſcent. in præſid. Roman. lib. 2. par. 3. in obſer. num. 22. ibi: *Però Io ho veduto più di uno di queſti Canonici della Congregazione Lateranenſe, li quali avendo Beneficio Secolare veſtivano da Preti Secolari, e sò che ce ne ſono di preſente, ed alcuni di quelli mi hanno detto, che tale è l'uſo loro, il quale non diſcordando dal diritto naturale li può ſcuſare, tanto più che vediamo i Premoſtratenſi, quei di S. Giorgio in Alga, e quei di S. Giovanni Evangeliſta, ed altri di quà, e di là da' Monti, che ſono Canonici Regolari, e per tali in cento Bolle nominati, e ſtimati, i quali non hanno quel Rocchetto, nè lo ſtimano abito neceſſario di Canonici Regolari*. De quâ etiam praxi teſtantur Franciſcus Sadarin. reſponſ.43. num.36. Card. de Luc. de regul. diſc. 36. ſub num. 11.

Et quidem quoad Canonicos Regulares aſſumptos ad Canonicatus Sæculares in Metropolitanis Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis urget pro aſſumptione Habitus Clerici Sæcularis tex. in cap. Deus qui de vitâ, & honeſtate Clericorum, ubi Innocentius III. mandavit, Monacos, & Canonicos Regulares omnes in unum Habitum conformari eâ ratione, ne Scandalum ex veſtium diverſitate excitetur, ibi: *Ne igitur ſi diſpar in vobis obſervantia fuerit, & diſſimilis Habitus apud vos, quibus unum Evangelium prædicatis, Scandalum ſuſcitetur, mandamus quatenus eo non obſtante quod inter vos Monachi ſunt, & Canonici Regulares, vel alii etiam Regularem Vitam ſub aliâ diſtinctione profeſſi, omnes pariter in unum Regulare Propoſitum, & honeſtum Habitum, quantùm ad hoc ſpectat Officium, conformetis*.

III. Ab hoc quippe Textu inferunt Doctores Habitus uniformitatem eſſe neceſſariam inter plures inſimul Congregatos, ne ſcandala oriantur, ut ibi adnotavit Gloſſa in Verbo Profeſſi: & eadem Gloſſa reaſſumit in Canone in nonâ actione, in Verbo nec Habitum 16. quæſt. 7.

Et facit exemplum Summi Pontificis Clementis VIII., qui Secularizando Metropolitanam Eccleſiam Cæſarauguſtanam in qua Duo actu reperiebantur Canonici adhuc Regulares, decrevit modo qui ſequitur, & ne in ipsâ Eccleſiâ Perſonæ diverſi habitus exiſtant, ipſe, & Hieronymus prædicti, qui erant Regulares, tam in Choro, & Capitulo dictæ Eccleſiæ quam alibi, aliis futuris illius Canonicis Sæcularibus in Habitu Superiore, ac ritu, inceſſu, & Cæremoniis; abſque alicujus Apoſtaſiæ, Irregularitatis, ſeu inhabilitatis Notâ, vel maculâ, aut alterius Cenſuræ ſeu penæ Eccleſiaſticæ incurſu, retento tamen ſubtùs Regulari eorum habitu, & firmis remanentibus tribus ſubſtantialibus Votis, per eos emiſſis, ſe conformare liberè, & licitè valeant, uti legitur in dictâ Bullâ apud Ludovicum à Saravia in ſuo tractatu de adjunctis quæſt. 1. num. 39. impreſ. poſt Franceſ. de Eccleſiis Cathedralibus.

IV. Quoad Canonicos verò Regulares aſſumptos ad Regimen alicujus Eccleſiæ Parochialis, licet quoad hos non militet ratio mox perpenſa neceſſariæ uniformitatis in Habitu cum aliis ejuſdem Collegii, & licet retentio Socii ex ſuo Ordine de quâ infra, delationem importare videatur Habitus Canonici Regularis, ne Socius cum Habitu, & Canonicus ſine Habitu Regulari ab hominibus videatur; aliqua tamen ſunt quæ aſſumptioni Habitus Clericorum Sæcularium favere poſſe videntur; ſi etenim Canonici Regulares aſſumuntur ad Beneficia Curata Sæcularia, Beneficium Curatùm Sæculare expoſcit Habitum Presbyteri Sæcularis, uti advertit Zacar. Ferrer. in tractatu de Habitu Canon. Regul. Concluſ. 1. probat. 4. §. Conſtitutio, in Bullario Congregat. Lateran. pag. 459., & ſequitur Faſtolus causâ 36. dub. 65. num.1. Advertitur quod Leo Papa X. in Bullâ 34., Bullarii tom. 1., decrevit, quod Canonici Lateranenſes ad Epiſcopatus aſſumpti Habitum deferant ejuſdem coloris, & formæ, quibus utuntur Epiſcopi Sæculares, tam in Sacello Pontificio, quam extra, & in eo quod attinet ad Conſuetudinem, P. Abbas Procurator Generalis Canonicorum Regularium Lateranenſium aliàs ab hac Sacrâ Congregatione in Causâ Firmanâ requiſitus pro informatione ſic, de Habitu horum Canonicorum; retulit, occaſione qua Fratres de Adamis prætenſionem excitaverant, ut Thomas eorum Frater è Congregatione Canonicorum Lateranenſium aſſumptus ad Eccle-
ſiam

ſiam Parochialem S.Sabini in Villâ Parani Trebii Diœceſis Spoletanæ Habitum deferret Congregationis Lateranenſis, in eâ poſtea Curâ rurali, utitur Habitu externo, quo utuntur omnes alii Canonici noſtri Ordinis applicati ad Curas Sæculares Forenſes, qui non multùm differt ab Habitu Presbyterorum, cum ſit Veſtis nigra Talaris, qui eſt Habitus proprius geſtari ſolitus ab immemorabili, juxta noſtras leges ab his Canonicis promotis ad Curas Sæculares.

In publicis autem Functionibus Eccleſiaſticis utuntur etiam Rochetto, qui eſt Habitus proprius Religionis, & Canonicalis, adeoque Diſputato in eadem Causâ Dubio ſequentibus verbis concepto, an Thomas de Adamis teneatur deferre Habitum Regularem Congregationis Lateranenſis tàm in functionibus Eccleſiaſticis quàm extra Eccleſiam, Reſponſum fuit ab hac Sacrâ Congregatione die 23. Mai 1722. ad Mentem, quæ fuit ut deferret Habitum juxta ſolitum.

Hæc quo ad Habitum; quo verò ad retentionem Socii Regularis, Textus in cap. quod Dei timorem de Statu Monachorum, eam præſcribit quatenus Commodè fieri poſſit; ibi, *ſic annuendum duximus poſtulatis, ut exercens Plebani Officium, ſi commodè fieri poterit, unum Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam, cujus in his, quæ Dei ſunt, & Regularis Obſervantiæ tam conſortio, quam ſolatio perfruaris*; quæ eadem verba reaſſumuntur in Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſupra citato, & impreſſo poſt Monacel. in Appendice pag. 314. Retentio itaque Socii pendet à Commoditate, idque facit, ut Canonicus Regularis ceſſante Commoditate præfici poſſit ſine Socio Eccleſiæ Sæculari, uti docent Gonzal. ad Regulam 8. Cancellariæ Gloſſ. 7. num. 49. Pax Jordan. tom. 2. lucub. lib. 10. tit. 27. num. 42.; & cum in citatâ Causâ Firmanâ Thomas de Adamis ſe oſtendiſſet impotentem ad Socii retentionem, & in eâ ultra delationem Habitus diſputatum fuiſſet, *22. Maii, 1722. & 17. Julii 1723.* an teneretur habere Socium Regularem ibi, an Thomas de Adamis teneatur deferre Habitum Regularem Congregationis Lateranenſis tam in functionibus Eccleſiaſticis, quàm extra Eccleſiam, & reſpectivè habere Socium Regularem dictæ Congregationis, uti dictum eſt; Reſponſum fuit ad mentem, ut deferret ſcilicet Habitum juxta ſolitum, & eſſet exemptus ab obligatione retinendi Socium.

Die 5. Julii 1727. Sacra Congregatio Concilii ad propoſitum ſuperiùs dubium reſpondit.

Dilata; & interim Nicolaus accedat ad habitandum in Domo Parochiali; & proponatur dubium ſuper licito Tranſitu ad Secundam Parochiam. Hæc ex Folio prædictæ S. C.

V. Quoad verò attinet Regreſſum ad Bona Renunciata in Profeſſione, in promptu exemplum eſt in Perſonâ Canonici Regularis Lateranenſis; & quidem recens. Terminatâ Inſtantiâ in unâ Firmanâ 22. Maii 1722.; in quâ reſolutum fuit, ut Pater Domnus Thomas de Adamis Canonicus Regularis Lateranenſis, deferret Habitum juxta ſolitum, & eſſet exemptus ab obligatione retinendi Socium, ut ſupra commemoravimus, alia promota fuit inſtantia à prædicto Thomâ ſuper pertinentiâ Proprietatis, ſeu Dominii Bonorum, qui contendebat hanc Proprietatem delatam fuiſſe, vel ad Se, vel ad ſuam Eccleſiam Parochialem; è contra Germanis *Ex folio S.C.Concilii.* Fratribus propugnantibus delatam eſſe ad Se; unde ad Dubium, ad quem ſpectet Proprietas ſeu dominium bonorum, de quibus agitur in Caſu, Sacra Congregatio Concilii reſpondit in aliâ Firmanâ Renunciationis 17. Julii 1723. non ſpectare ad Thomam, & amplius; relinquendo in ſuſpenſo in hac facti ſpecie, num Proprietas pertineat ad Eccleſiam, vel ad Cameram, quæ Jure Spolii non parvam habere poteſt pretenſionem. Cur autem reſolutum ſit contra Reintegrationem ad Bona renunciata favore ſupramemorati Thomę de Adamis, ponderanda ſunt ſequentia motiva.

Juxta receptiorem Sententiam, Religioſus ad Epiſcopatum promotus remanet obſtrictus Voto Paupertatis, & Proprium habere non poteſt, juxta Divum Thomam infra referendum 2. 2. quæſt. 185. art. 8. ad 3. Undè licèt Paternam vindicet Hæreditatem juxta Textum in Can. Statutum 18. quæſt. 1. ibi Statutum eſt &c. *ut Monachus, quem Canonica electio, à jugo Regulæ Monaſticæ Profeſſionis abſolvit, & Sacra Ordinatio de Monaco Epiſcopum facit, velut legitimus Hæres Paternam ſibi Hæreditatem poſtea jure vindicandi poteſtatem obtineat*; Hoc tamen intelligitur quo ad Uſum, *non quo ad Proprietatem, & dominium*, cùm hæc ad ſuam Eccleſiam deferantur, ubi ponderat D. Thomas loco citato, ibi: *Proprium autem nullo modo habere poſſunt; non enim Paternam Hæreditatem ſibi vindicant quaſi Propriam ſed quaſi Eccle-*

ſiæ debitam; & hæc ſemper fuit Sententia Curiæ Romanæ, uti loquendo de Tribunali Rotæ habetur in deciſ. 115. num. 7. & ſeqq. & num. 22. & ſeqq. part. 4. tom. 2. rec. & concordant Reſolutiones hujus Sac. Congregationis, & ſignanter in unâ Neapolitanâ 7. Decembris 1639. lib. 16. decret. fol. 306. ibi: Quæritur an N. Regularis Profeſſus incapax Bonorum ad Epiſcopatum aſſumptus recuperet jus ſuccedendi quo ad Hæreditates, poſt aſſumptum Epiſcopatum ſibi delatas; ſecundò an eidem obſtet Ceſſio, & Renunciatio ejuſmodi Hæreditatum facta ad favorem Fratris ad præſcriptum Sac. Concilii Tridentini cap. 16. ſeſſ. 25. de regul. Sacra &c. Ad Primum reſpondit, Recuperare jus ſuccedendi ad Hæreditates poſt adeptum Epiſcopatum ad utilitatem ſuæ Eccleſiæ ſibi delatas quoad Proprietatem, & ad Proprium commodum, quo ad uſumfructum; ad ſecundum, eidem non obſtare ſupradictam Ceſſionem, & Renunciationem quo ad hæreditates, quæ non ſint alteri ante adeptum Epiſcopatum, acquiſitæ.

VI. Ea, quę mox dicta ſunt de Monacho ad Epiſcopatum promoto procedunt etiam in Canonico Regulari ad Eccleſiam Cathedralem aſſumpto, & ad aliud quodcùmque Beneficium Seculare, ut in terminis Canonici Regularis ad Epiſcopatum aſſumpti probat Textus in Cap. cùm olim de Privilegiis, ibi, præterea quia idem *Prædeceſſor tuus fuerat Canonicus Regularis, & duo millia Marabotinorum, quæ acquiſierat, in Epiſcopatum jam promotus, Monaſterio dederat memorato, ipſum ad reſtitutionem eorum Judices condemnarant*, ubi gloſ. in verb. Reſtitutionem, ſubdit, *Quia quidquid poſt ſuam Conſecrationem acquiſivit, Epiſcopatui acquiſivit, quare donare illam non potuit, quia qui nihil habet, nihil donare poteſt*; Et in terminis Religioſi proviſi de Beneficio Seculari extra ſuam Religionem benè ponderat Suarez de Religione tom. 4. lib. 3. cap. 19. num. 28. ibi: Suppoſitâ autem Tranſlatione legitimâ Religioſi ad Beneficium Seculare, quoad Paupertatem, idem judicium de illo eſt, quod de translato ad Epiſcopatum, ſervatâ proportione; nam acquirit ſuæ Eccleſię, quocumque Titulo acquirat; habet tamen, dum vivit, adminiſtrationem talium Bonorum; & proſequuntur Bonacina oper. Moral. tom. 1. tit. de clauſurâ, quęſt. 3. puncto 9. §. 4. difficul. 2. propoſit. 3. num. 15. & ſeqq. Caſtropalao oper. Moral. tom. 3. tract. 16. diſput. 3. puncto 19. num. 11.

Hæc quoad Jus Decretalium; ſed cùm Gregorius XIII. in ſuâ Conſtitutione 41. Bull. tom. 3. Res, & Bona Regularium extra Conventus etiam cum licentiâ Superiorum degentium comprehenſa eſſe voluerit ſub nomine Spoliorum, & ea Cameræ Apoſtolicæ applicaverit, ubi etiam ponderant, Bonacina loco citato num. 18., & Caſtropal. num. 21.; hinc factum eſt, quod ea, quæ dicta fuerunt de acquiſitione Proprietatis favore Eccleſiæ, attento jure Noviſſimo, & in Locis, in quibus jus Spolii ſibi vindicat locum, intelligenda ſunt de acquiſitione favore Cameræ, Teſte Lucarino de Epiſcopo Regulari, in cap. 2. punct. 1. in princ. ibi: *Dum in ſequentibus dicam Epiſcopos acquirere Eccleſiæ ſuæ, nomine Eccleſiæ accipienda erit Camera Apoſtolica*; ubi ex quocumque jure per ſuos Miniſtros colligit illa Bona, quæ ſolent à Doctoribus Eccleſiæ acquiſita fuiſſe declarari.

Gregoriana Conſtitutio procedit in his, quæ acquiruntur à Religioſo tempore, quo vivit extra Clauſtra, ſive ex cauſâ Teſtatæ, ſive Inteſtatæ Succeſſionis, ut in puncto dictam Conſtitutionem interprætando firmat Rota. Sed cùm in præſenti rerum Statu Renunciatio fuerit à Thomâ concepta ſequentibus verbis: *Che venendo il Caſo, che Iddio non voglia, che per qualche accidente tanto volontario quanto neceſſario tornaſſe il detto Tomaſo al Secolo in qualunque tempo; ed in qualunque modo ciò ſeguiſſe ſi abbia per non fatta la preſente Rinunzia, e che Ipſo Jure s'intenda eſſo Tomaſo ritornato ne' piedi primieri, come ſe fuſſe ſtato ſempre nel Secolo, e non aveſſe fatta mai alcuna Rinunzia, non intendendo detto Tomaſo d'entrare in parte in quei Beni, mobili, e Stabili, che ſaranno comprati da ſuoi Fratelli, doppo detta Rinunzia*; Quæſtionis pondus ad hunc punctum videtur eſſe redactum, an ſcilicet verba Pacti Regreſſum importent ad Bona renunciata, tam quoad *Uſum*, quàm quo ad *Proprietatem*; in quo rerum themate videtur, quod Pactum quo ad Proprietatem prodeſſe non poſſet Renuncianti, nec obeſſe Renunciatario, vel aliquam potius interpretationem admittant incluſivam *Uſus*, quo ad Renunciantem, relictâ in ſuſpenſo acquiſitione Proprietatis, pro ut de jure, hoc eſt, vel favore Eccleſiæ, vel favore Cameræ, uti habetur in Anconitanâ Succeſſionis 25. Februar. 1722. §. Nihilominus, & ſeqq. coram R. P. D. Calcagnino; in quâ facti ſpecie, ſuppoſitâ acquiſitione *Uſus* quo ad Thomam de Adamis videndum eſſet, an Proprietas pertineat ad Eccleſiam, vel ad Cameram. His ſtanti-

Deciſ. 121. num. 18. & ſeqq. par. 6. recentiorum.

ſtantibus dignabuntur EE. VV. decernere in Caſu ad quem ſpectet Proprietas, ſeu dominium Bonorum, de quibus agitur, in Caſu: *Non ſpectare ad Thomam & amplius.* Poſt acquiſitionem Parochię ſimiliter conceſſa fuit per Rotam immiſſio in Uſufructu Nicolao Feretto ad omnia Bona Paterna, Materna, Fraterna & Avita, quibus occaſione Profeſſionis inter Canonicos Regulares Lateranenſes renunciaverat, addito Pacto reverſivo in Caſu egreſſus à Religione. Vide infra de Clerico Nazarethenſi ſi mortuus fuiſſet extra Clauſtra, quid de ejus Bonis factum fuiſſet, ſpectato jure Communi.

Artic. 14. §. 7.

In Anconitana Succeſſionis 23. Februar. 1722. Coram R. P. D. Calcagnino.

VII. Et ut Verborum Tridentini quæ Articulo XI. §. 11. num. 1. recoluimus, nempe: *Ac taliter Tranſlatus, etiam ſi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia Secularia, etiam Curata omnino incapax exiſtat*, clara habeatur interpretatio, placeat hic addere Reſolutionem S. C. Concilii, in Caſu, qui ſequitur.

S. C. Concil. 17. Julii 1723.

Joannes Baptiſta Simonetta Sacerdos Societatis Jeſu, emiſso quarto Voto, tranſlatus fuit ad Canonicos Regulares, vulgò Scopetinos, ubi ad Profeſſionem admiſſus fuit. Inſtitit pro conſequendâ Curâ Animarum, prævio aſsenſu Abbatis Generalis, & informatione & Voto Procuratoris Generalis. Quia juxta probabiliorem Sententiam, Decretum anni 1671. 18. Martii editum extenditur, ne dum ad Canonicos Regulares Lateranenſes, verùm etiam comprehendit Canonicos Regulares Sanctiſsimi Salvatoris Bononienſis, & ex alterâ parte, quia Concil. Tridentin. urget contra Tranſlatos Canonicos Regulares, ne ad Beneficia Secularia etiam Curata Capaces ſint; hinc *Negativè* Reſponſum fuit, ſpretâ ab Eminentiſsimis Patribus intelligentiâ Concilii Tridentini minimè loquentis de Canonicis Regularibus ad aliam Religionem tranſlatis, ſed de aliis ad Canonicos Regulares: Quia non erat opus ullâ novâ providentiâ circa Translatos à Canonicis Regularibus ad aliam Religionem: etenim cùm per ſecundam Profeſſionem liberati fuiſſent à primâ, & Regulis, & Inſtituto novæ Religionis ſubjecti remanſiſſent, Jam ſatis proviſum fuerat à Jure Communi, quo ad ipſorum Incapacitatem ad Beneficia Curata. Tum quia cùm intentio Concilii fuerit auferre Translatis ſpem manendi extra Clauſtra vigore etiam Beneficiorum Curatorum, uti ponderat Suarez, ſic: *Voluit ergo Concilium in hac parte non ſolùm auferre Translatis intentionem manendi extra Clauſtra, ſed etiam impedire qualemcumque ſpem, quam concipere poſſent de hujuſmodi libertate obtinendâ, mediis hujuſmodi Beneficiis, quamvis tranſitus non eſſet ad eum finem ordinatus*, vacua remaneret intentio Concilii, ſi Textus allegatus procederet tantùm in Canonicis Translatis ad alias Religiones, & non in aliis, qui ab aliis Religionibus tranſeunt ad Canonicos Regulares, & hanc Concilii intelligentiam latè propugnant plurimi Scribentes. Additur quod Societas Jeſu inter alios Mendicantium Ordines connumeretur à S. Pio Quinto, & ab aliis Summis Pontificibus, & Profeſsi Ordinem Mendicantium, quamvis licitè tranſeant ad non Mendicantes, ſunt Incapaces Curæ Animarum, ut habetur in Clementinâ: *Quodque Animarum Curam, & regimen, nec pro ſe poſſint, nec pro aliis exercere.*

Juxta Text. in Cap. Monachi de Statu Monachorum.

Cap. 11. ſeſſ. 14. de Reform.

De Relig. tom. 4. l. 3. c. 15. n. 13. fin.

Prima de Regul. & tranſeuntibus ad Religionem.

ARTICULUS XIV.

De Capacitate Canonicorum Regularium, ad Canonicatus Seculares in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis.

§. I.

Character, & Dignitas Canonici Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum inveſtigatur, ejuſque Idea adamuſſim pingitur.

I. CATHEDRALIUM Eccleſiarum Canonicum, nobiliorem eſſe portionem Hierarchici gregis, utpote qui, unâ cum reliquis Collegis ſuis, auguſtiſſimum *Eccleſiæ Senatum* conflat Tridentino teſte, aſſerimus; & Sacrum Collegium Epiſcopi Convictorum Domeſticorum, & Aſſeſſorum, qui Antiſtiti ſuo continuò adſunt componere, uti communiter traditur, qui eum veluti Coadjutores, & Cooperatores, in graviſſimis Diœceſeos negotiis, operâ, & officio juvare debent. Hujuſmodi inſuper Canonicum ex iis eſſe, qui *Epiſcopi Conſiliariorum nomine decorantur* à Conciliis & ex primoribus eſſe Clericis, iis nimirum, quos Paſchalis II. ad Epiſcopum Compoſtellanum ſcribens, ſic indigitat: *Cardinales in Eccleſiâ tuâ Presbyteros, ſeu Diaconos tales conſtitue, qui dignè valeant commiſſa ſibi Eccleſiaſtici regiminis onera ſuſtinere*, neminem fugit, qui utcumque Conciliorum acta perlegerit, & in Eccleſiaſticâ Scientiâ vel minimum verſatus ſit. *Canonici veluti membra ſunt, & oculi, manuſque, & pedes Epiſcoporum*, ait eruditus auctor Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, *cum eoque conflantur in Senatum unum, qui Diœceſeos moderatur gubernacula.* Quemadmodum in Eccleſiâ Epiſcopi ſemper fuerunt, & adſunt, in quibus Apoſtolorum Succeſſio perennat; quique Apoſtolorum munus, implere tenentur, & in Apoſtolicas omnes ſolicitudines ſuccedunt: *Apud nos*, inquit Hieronymus, *Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent*; ita etiam pervetuſtus eſt, ac perennis Epiſcoporum mos, ut Clerum ſuum compoſitum habeant, omnibus numeris abſolutum; Eccleſiarum Cathedralium decus, & ornamentum, quo ſplendor, & majeſtas militantis Eccleſiæ augetur, dum ſcilicet Venerabilis Clericorum cœtus Sacras Functiones peragit in eiſdem Eccleſiis. Eſt etiam ipſiuſmet Epiſcopi in Paſtoralibus ſolicitudinibus levamen; dum creditam ſibi quoque Canonici diſpenſationem myſteriorum Dei agnoſcentes, Vineam, Domini Sabaoth, & ipſi colere ſatagunt; & meſſis Domini operarii, ſeu Miſſionarii Præſuli ſuo accedunt in baptizandis Cathecumenis, cathechizandis rudibus, aliiſque compluribus, quæ perfectum Diœceſis regimen, & Eccleſiarum nitorem reſpiciunt. Canonici, ut paulò ante diximus, Conſiliarii ſunt Epiſcopi, ejuſque membra, & Fratres, unumque corpus cum eo exiſtunt. Horum conſilium ipſe in pleriſque Eccleſiæ negotiis requirere debet, eorumque operâ uti, in miniſterio Eccleſiaſtico, in doctrinâ Populorum, & in officio prædicandi, aliiſque. Et laudabile valde, ſi comites eſſent individui: *inter ſe devinctiſſimi, & Epiſcopo obſequentiſſimi*, ut Clericos Canonicos cupit eſſe laudatus vir Thomaſſinus, qui etiam addit, quòd Sacer hujuſmodi Clericorum Conventus, aliàs *in unum corpus, in unum Senatum, conſiliumque cum Epiſcopo coibat, cum eoque Principe, & Capite ſuo, Clericiſque, Populiſque Diœceſeos omnibus moderabatur.*

Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 12.

Concil. Turonen. an. 1583. cap. 14.

Epiſt. 15.

Par. 1. l. 3. cap. 8. num. 8.

Epiſt. ad Marcell.

Loco cit. c. 7. n. 2.

II. Is porrò Clerus ille ipſe eſt, quem impræſentiarum Cathedralis Eccleſiæ Capitulum nuncupamus; & quamvis Vocis hujus uſurpatio vetuſta non ſit, quippe quæ, *poſterius tantùm acceſſit*; nihilominus, ſi rem ſedulò expendere, & omnia intus diſpicere placeat, equidem fatebimur recens invectam eſſe vocem illam *Capitulum*, nec apud antiquos uſitatam; at verò vocis ſubſtantiam, & ſignificatum, vetuſtum eſſe, inficias ire nemo poterit; quemadmodum nemo ita deſipiet, ut negare audeat, Epiſcopos habuiſſe antiquitus Clerum ſuum conſtantem ex Presbyteris, & Diaconibus, *qui cum Epiſcopo de rebus quibuſque deliberabant, qui unà Clavum regebant Eccleſiæ*. Hic igitur Clericorum cœtus inferioribus aliis omnibus Clericis præſtantior, utpote ſupereminens, qui unâ cum Antiſtite ſuo decernebat ea, quæ

Loco cit. n. 7. §. non hic.

quæ ad Eccleſiarum adminiſtrationem attinebant, hic, inquam, Clerus, ſi ritè perpendatur, ipſum eſt Capitulum Eccleſiarum Cathedralium, & ii Clerici, ex quibus cętus ille conſtabat, ipſi ſunt, quos nunc Canonicos vocamus; tametſi etiam Vocabulum illud, *Canonicus, cum jure ſtalli in Choro, & Vocis in Capitulo*, antiquum eſſe negetur, ſed primitus exortum dicatur, cum ceſſantibus perſecutionum procellis, ac Tyrannorum rabie, Pax, & tranquillitas Eccleſiæ affulſit, & pedem figere Eccleſiaſticis licuit, Conſtantino videlicet imperante, Catholicæ Eccleſiæ amantiſſimo, verique Dei Jeſu Chriſti cultore: *Unde ab eo tempore animadvertere libuit, politiam illam ſummam, ornatum, & ordinem, quibus in noſtris templis Deus colitur*. Hinc arbitratur Doctus quidam Scriptor, tunc primò Dedicationes Eccleſiarum ſolemni pompâ fieri cæpiſſe, ac prçterea, unam inter cçteras erectam fuiſſe ſuperiorem, ac matricem Eccleſiam, quæ cùm mater, & magiſtra cæterarum eſset, Epiſcopi Sedes fuerit, & Cathedralis dicta, quæ omnia, Eccleſiâ Dei nondum in tranquillitate compoſitâ, fieri aut omnino non poterant, aut vix alicubi, & gravi cum incommodo. *Scimus enim*, inquit Bonifacius VIII., *& ex evidentia facti colligimus, quòd non niſi in pacis tempore, bene colitur pacis auctor.* Ut ut tamen hæc ſint; noſtri non eſt Inſtituti, epocham hanc Canonicorum à Doctis Viris traditam impugnare, quin immo idem cum ipſis ſentire nos profitemur, dummodo non excludantur antiquiores Clerici Epiſcopis conviventes, ſed dumtaxat ita figant ſub Conſtantino Magno Canonicorum incunabula, quòd tunc primùm major, & certior fuerit ſtabilitas Cathedralium Eccleſiarum, abſque ullo metu, ne eas amplius Tyrannorum ſævitia demoliri ſatageret, & Clericos huc illucque diſcurrere cogeret. Sanè antè Conſtantini Magni tempora Clericos fuiſse, qui unâ cum Epiſcopis Vitam Communem viverent; hoſque Clericos verè tunc conflaſſe Presbyterium, & Senatum Eccleſiæ, eoſque Epiſcoporum ſuorum Conſiliarios, in arduis rebus Coadiutores, & Cooperatores fuiſse, indubium eſt; ac propterea jure affirmare poſsumus, eos eoſdem prorſus fuiſse, qui poſterioribus Seculis appellati ſunt, & nuncupantur Canonici; quippe, eadem munia, & functiones obibant, quç iſti, idemque miniſterium. Hinc auctor Diſciplinæ poſtquam plura attulit documenta, quibus probatur in Primitivâ Eccleſiâ, haud pauca fuiſse id genus Collegia complurium Presbyterorum, & Diaconorum, unâ cum Epiſcopis, ſic concludit; *Ex his ſplendet Capitulorum antiquitas; Dignitaſque ſumma, hoc eſt, Collegii Presbyterorum, & Diaconorum Epiſcopo adunatorum, in tractandis gubernaculis Eccleſiæ Cathedralis, immo & throni Romæ Apoſtolici . . . eorum enim cum Epiſcopo unus erat Senatus, unum Conſilium, unum Eccleſiæ totius Regimen, cujus ab imperio Clerus, Populuſque reliquus penderet.*

Anno 324.

Deſnos pag. 50.

Extrav. commun. lib. 3. de Sepulturis cap. 2.

Par. 1. l. 3. cap. 7. num. 4.

V. Diſcorſo Storico ne' primi Secoli.

§. II.

Diſſeritur de Vitâ Communi, quam agebant Canonici in Cathedralibus, agiturque de introductâ apud eos, ut ajunt, Secularitate, ac Bonorum, in diſtinctas Præbendas, partitione.

I. SElectum hunc Eccleſiaſticorum Virorum Gregem, unâ cum ſuo Paſtore, non degiſse ſub eodem tecto, in perfectâ Vitæ Communitate, ferventibus Tyrannorum perſecutionibus, quas perpeſsa eſt Eccleſia, in ipſo ſui exordio; haud improbabile reor, ac libens aſsenſum prçbeo. Quî enim ſimul in Baſilicas convenire poterant Clerici, ut ſacra inibi facerent; domum unam omnes incolere, ibique Vitam Communem ex conſilio Apoſtolico vivere, *Quandiu immanis, & penè perpetua perſecutio Eccleſias populabatur?* Non igitur plus çquo, nos immorari fas eſt in inquirendâ Vitæ Communitate apud Priſcos hoſce Clericos, quibus prohibitum erat, hanc ſectari, ob eorum temporum calamitates, quibus Eccleſia adeò affligabatur, ut penè jacuiſset malorum pondere oppreſsa, niſi eam Jeſus Chriſtus, dilectam ſuam Sponſam ſine maculâ, & ſine rugâ erectam tenuiſset, ac confortaſset, qui triumphaturam edixerat, ac ſuperaturam omnes tartareos hoſtes, eorumque conatus, & minas, opitulante Dei gratia, uti inanes, ac irritas contemturam. Non tamen idcirco, veteribus his Canonicæ, Clericaliſque Vitç profeſsoribus, id laudis denegari debet, & meriti, quod ex Vitæ Communitate procedit. Quid enim, ſi affectu eam ſervarunt, ubi opere

Par. 1. l. 3. cap. 2. num. 2.

non

non potuerunt? Et verò, aliquibus ſaltem in locis, opere etiam & actu, plures Clerici, unâ cum ſuis Epiſcopis Vitam Communem, quam ab Apoſtolis, veluti hæreditariam acceperant, ſectati ſunt. Nunquam Eccleſia Dei, toto Orbe diffuſa, eodem tempore, ac in omnibus angulis, ab adverſariis ſuis laceſſita eſt, non ſemper perſecutionum infeſtationes experta; nunquam, demum vera fides, ab errore ſuperata. Chriſti caſtra, terrore violento, turbare potuit adverſarius, nunquam tamen omnino concutere, nec ubique perpetuò clades graſſata eſt; milites namque ſuos nunquam deſeruit Chriſtus, quin immo cum illis ſemper eſt uſque in conſummationem Seculi, nec illos unquam ſupra quòd poſſunt, tentari permittit; ac proinde, alicubi ſaltem etiam cruentis illis temporibus Altaris Miniſtri quieſcere potuerunt, ibique opere implere, quod ex Apoſtolorum magiſterio didicerant. Qui verò ex unâ Civitate in aliam migrare cogebantur, aut in *montibus, & ſpeluncis latêre*, ob terrorem perſecutionum, ii ſaltem affectum, & ſpiritum Vitę Communis habere, ac ſervare potuerunt; eamque, majore cum ęſtu, amplecti ac colere, cùm reſtitutâ per Orbem tranquillitate ſin minus ſcopulis hoſtilibus illiſa, vel compreſſa, rurſum Eccleſia, florentior, ac ſecurior exurrexit. Miſericors Deus mærentium lachrymas extinctâ impiorum conſpiratione detergere nunquam

Diſcorſo.. Secolo I. deſtitit, Principes excitando, qui Tyrannorum nefaria, & cruenta imperia reſcinderent, & veram, unius Dei Religionem, rejecto idolorum cultu, ſuis etiam Edictis commendarent. Jam nos alibi locupletiſſimè oſtendimus, quemadmodum Clerici omnes, una cum ſuis Prçſulibus ad Apoſtolicam in Communi vivendi normam convolarint, reſtitutâ Eccleſię pace: eò ſe conferat eruditus Lector. Pauca hic, in hujus veritatis confirmationem, documenta dabimus; quippe, Rem hanc ſatis per ſe claram eſse, cenſemus: Si enim, *à principio*, ut teſtantur auctores

Grimer. ibid. cit. pag. 158. Francez. lib. de Cathedral. Eccl. cap. 2. graviſſimi, *erant Canonici ſine præbendis diſtinctis*, quomodo alebantur hujuſmodi Canonici niſi ab Epiſcopis, & ad menſam Epiſcopalem? Unde vivebant, niſi *ex ſelectâ Bonorum portione Epiſcopo, & ejus convictoribus Clericis reſervatâ?* Clerici, Convictores ſimul & Coadiutores erant Epiſcoporum, in convertendis gentilibus, ac eradicandis eorum erroribus. Venerabili dignitate fulgentes, & diligentes decorem Domus Dei, & locum habitationis glorię illius, Populos ad ſui reverentiam excitabant. Hos decebat ab Epiſcopis haberi teſtes vitę ſuæ; *Clericos ad per-*

Idem Ibid. *fectionem vitæ tendentes, eoſque*, meritò ſancti illi Præſules, *aſſumpſêre, ut ſecum in Epiſcopio, in Communi Menſâ, & ſub obedientiâ viverent*. Quam fęlices Eccleſię iis temporibus, quibus tantę perfectionis Clerici miniſtrabant! Hinc fervor ille primorum Eccleſię Patrum, quibus adeò curę erat, ut Sancta hęc Conſuetudo in ęvum duraret, nec unquam frigeſieret; ſancta, inquam, & laudabilis Conſuetudo, ut in Eccleſiis Cathedralibus, unâ cum Epiſcopis viverent Canonici in Communitate Bonorum, & Loci, ac in ſpiritu unitatis; cujus rei luculenta ſatis exhi-

Diſcorſo Storico. buimus alibi exempla. Noverant, namque, Patres illi zelo domus Dei inflammati, quantùm decoris Eccleſiis accederet, ſi Clericorum Diſciplina Evangelicis conſiliis conformis eſſet, & ad Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, uti ad Magiſtros ſuos reſpiceret, & ad eorum exemplum dirigeretur. Hinc quamvis temporum labes pluribus in locis, ac frequenter, Apoſtolicas Communitates fluctuare fecerit, ac etiam evaneſcere; nihilominus, nunquam deſtitit Eccleſia Communem Vitam Clericis ſuadere, idque juge fuit votum Sanctorum Patrum, Eccleſiæ procerum, ut quoad fieri poſset, Communem Vitam ſervarent Altaris Miniſtri. Etenim, ubi relaxationes quædam permiſsę ſunt, & ventum eſt ad mitigationes, has quidem Eccleſia toleravit, non illicò approbavit; minora permiſit mala, ut majora, quę imminebant, Diſciplinę detrimenta & damna, vitaret. Creſcebat quotidie luxus apud Clericos, & humana fragilitas, quę nihil Boni ſinit eſse diuturnum, utpote ad malum proclivior, extorſit à renuentibus etiam Eccleſia Prçſulibus, quaſdam remiſſiones, quæ paulatim adeò excreverunt, ut Cathedrales etiam immemores quòd dignitates & Canonicatus: *Nomen à regulâ duxerunt*, juxta monitum Concilii Aquilejenſis; & quas inſigniſſimas fecerat Canonicorum Regularitas; proh dolor,

Anno 1596. c. 10. Secularitas occuparit. Hæc namque ea eſt unitatis inimica, quæ libertatis cupidine acta, ſuavi, cæteroquin, jugo Communitatis, & expropriationis excuſſo, unitatem fregit Collegialis convictus; & ſeparatas domus introducens, ac Bonorum Eccleſiæ ſciſſionem effecit, ut ſpiritus ille primi fervoris, faciem mutarit, & quaſi dixerim omnino evanuerit: *Primitivæ Eccleſiæ facies*, in-

Can. 2. an. 1536. quit primum Colonienſe Concilium, *quòd ad inſtitutionem miniſtrorum attinet, paulatim*

latim immutata fuit : nimirum dotatis templis , Sacerdotiiſque , ac certis ſtipendiis , miniſtrantibus conſtitutis .

III. Undecimo fluente Seculo , dolens Alexander Secundus ac lugens omnimodam diſſipationem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ , quam pepererat , *incontinentiæ colluvies ;* cenſuit , non aliter mederi ſe poſſe huic malo , niſi Clericos Vitæ Communi addiceret , & *in clauſtra compingeret* . Hac de cauſa , Paſtorali zelo exardeſcens , Romæ , in Concilio Generali elaboravit , ut reſtitueretur , *in omnibus Capitulis Vita Communis* . Id ſanxit felici ſanè exitu ; ex eo , namque , Concilii Lateranenſis Decreto , utilis profectò , ac omni commendatione digna , *in omnia ferè Capitula* , manavit Diſciplina , ut affirmat Thomaſſinus . Hic , poſtmodum eam deſcribens , totam conſiſtere aſſerit , in quadam differentiâ Canonicorum , quorum aliqui , *poſſidebant opes fundoſque Cathedralium , & Collegialium Eccleſiarum ;* alii verò perfectè renunciaverant *patrimonio terreno , ac peculio cuicumque . . . in Congregationibus Canonicorum Regularium* . Hoc pacto , quod prius unicum erat Eccleſiaſticorum Cœtus , ac Corpus , duas in Claſſes ſectum eſt , ob diverſum vivendi genus ; eoque tempore , *eorum Sectio* , ut ait Thomaſſinus , *erat recentiſſima ;* alii , nempe , Apoſtolorum veſtigiis , & Conſiliis inhærentes , omnimodam Proprii Abdicationem profeſſi ſunt , *in Congregatione Canonicorum Regularium ;* alii verò , Meum & Tuum , frigidum illud verbum , & Proprietatem dilexerunt magis , quàm eam charitatem , quæ non quærit , quæ ſua ſunt ; ſicque , in tot Præbendas , Eccleſiaſticos redditus partiti ſunt ; & *poſſederunt opes fundoſque Cathedralium , & Collegialium Eccleſiarum* . Hæc tamen Sciſſio Bonorum in Cathedralibus , antiquior eſt Alexandri II. temporibus ; nam etiam Ludovici Pii ætate conſpecta eſt ; ad quam reflectens Jacob Tavellus , *tunc* , inquit , *Collegia Canonicorum , ex Epiſcoporum manu , & poteſtate , in libertatem ſe aſſerere , & vindicare cæperunt ; atque plurimùm Canonicorum menſa , & Epiſcopalis , diſcreta eſt , partitioque Bonorum inter illos facta ;* ac tunc non amplius Canonicatus , nempe & Dignitates , unâ cum onere Regularis Vitæ , ſed Præbendæ , conferri cæperunt ; nam *quandiu* , ait Thomaſſinus , de illius ævi Diſciplina , diſſerens , *Capitula , more Canonicorum Regularium , & Communem degebant Vitam , & in Commune poſſidebant omnia ; tunc ſanè ab ipſo Capitulo , & admittebantur novi Canonici , & Canonicatus conferebantur ; ubi poſtea , primævus ille ardor pietatis deferbuit , & menſa Communis fruſtillatim diſciſſa eſt , tunc ſuam ſibi quiſque Præbendam arripuit , quas ita conferre cæperunt , ut ante has partitiones , conferebant Canonicatus* . En igitur Secularitatis origo ; pro libitu ſuo , Patrimonio uti permiſſum eſt Canonicis ; & reditus Eccleſiaſtici , in plures portiones diſcreti fuere , inde fluxit perfecta Secularitas , apud illos Canonicos , qui *poſſidebant opes fundoſque* . Et quoniam ambitio eos etiam excivit , ut nuncupationem Canonici , non obſtante Proprietate , à quâ hactenus abhorruerant , retinerent ; opus fuit , Vocabulum adinvenire , quo exprimeretur honor Canonicatus ; & ſimul qui eos ſecerneret ab iis Canonicis , qui plenè renuntiaverant , *Patrimonio terreno ac peculio cuicumque , in Congregationibus Canonicorum Regularium* . Atque effectum eſt ; ut iſti , Canonici Regulares vocarentur ; illi verò , Canonici Seculares : *propter neceſſitatem* , inquit Suarez , *determinandi ambiguitatem Vocis Canonici* . En igitur , in quo conſiſtat Regularitas , & Secularitas Canonicorum . Regularem Canonicum conſtituit Vita Communis , & Proprietatis abdicatio ; Secularem verò , *privatim vivere , & proprium habere* , ad inſtar Clerici illius Auguſtiniani , qui non valens , juxta Regulam Epiſcopii Hypponenſis vivere , ideſt , in Communi , & abſque Proprio , Singulariter vivere optabat , & cum Proprio : *Extra Epiſcopium vult manere , & de proprio vivere* . Comprehendit cuncta quę diximus Bauldrius etiam in ſuo Manuali Sacrarum Cæremoniarum , ſic : Optimo jure , Domini Canonici Cathedralium Eccleſiarum dicuntur Eccleſiæ Senatus , quia ſunt Epiſcopi Conſiliarii , & ideò , ut dignitatis præſtantiâ , & auctoritate magnâ fulgent , ita moribus , gravitate , & religione reliquos ſuperare debent . Dicuntur propriè Canonici , quaſi ſint Regulares , vel quia ſunt quaſi Regula Clericorum totius Diœceſis , quibus Clerici omnes , quantùm fieri poteſt , ſeſe conformare debent , vel quia olim , cum Epiſcopis perfectioni vacantes Regularem Vitam cum iis agebant , habitabantque ſimul in uno Loco Eccleſiæ Cathedrali proximo , ut teſtantur adhuc eadem ipſa Loca .

Part. 1. l. 3. c. 11. num. 1. & 11.

Ibid. c. 11. nu. 6. pag. 658.

Lib. de Archiepiſc. Senonen. in Adrico.

Part. 3. l. 2. c. 23. num. 5.

Tom. 4. de Relig. l. 1. de variet. Relig. cap. 9.

Id. ibid.

Serm. 355. n. 6.

Part. 1. cap. 9. n. 1. pag. 23. citans Caſtaldum in ſua praxi Cæremoniarum lib. 1.

§. III.

§. III.

Non obſtante Secularitate admiſsâ apud Canonicos Cathedralium, Ipſis Concilia admodum exactam vivendi Diſciplinam præſcribunt.

I. Quamvis ex Concilio Aquiſgranenſi prima prodierint ſemina Secula-
ritatis Canonicorum, vi quorumdam Canonum ipſis indulgentium,
dare, & accipere, Proprias Res, cum humilitate, & juſtitia habere;
ſive, ut, non ſine ingenti animi dolore, ait, Petrus Damiani, *Pro-*
Anno 816. *prietatis peculium, Diſtributiones pecuniæ*; attamen negari non debet, in eodem
Concilio pleraque pro Canonicorum Diſciplinâ, & moribus inſtaurandis ſaluber-
rimè inſtituta fuiſſe: dum *Canonicorum Vitam in Sacris Canonibus, & in Sanctorum*
Patrum dictis deſcriptam eſſe proditum eſt in ejus Præfatione. Hoc enim pacto, Re-
ligioſiſſimi ii Patres, Regali Ludovici Pii tunc imperantis pietate imbuti ex uber-
Can. 115. rimo Sanctorum Librorum agro, complures aureas Sententias collegerunt, quas
in unam Regulam perfectionis colligarunt, eo videlicet fine, *Ut omnes, qui Cano-*
nica cenſentur profeſſione, per viam propoſiti ſui, inoffenſo greſſu incederent; juxta vi-
rium poſſibilitatem, modis omnibus. Hęc ultima verba pręcipuè notanda ſunt; ex iis
Apud Thomaſſin. p. 1. l. 3. cap. 21. num. 4. ſiquidem tota eruitur mens Patrum Aquiſgranenſium. Propoſitum eorum fuit, ta-
lem Regulam condere, quæ & infirmioribus conveniret, & ad Clericalem Diſci-
plinam reſtituendam apta eſſet. Et revera, dum integras S. Iſidori Sententias,
quibus Clericatus munia omnia & officia tam exactè deſcribuntur, in medium pro-
Præfatio Concil. Aquiſgran. tulerunt Aquiſgranenſes Patres, quid aliud intendebant, niſi Eccleſiaſticis Viris,
eam morum probitatem inſpirare, quę Populis ędificationi eſſet, & admirationi,
eoſque hortari ad Vitam prorſus alienam à Seculo? Quid, dum Proſperi, ſive, ut
Ibidem. malunt alii, Juliani Pomerii, de Vitâ Contemplativâ, tot teſtimonia adduxerunt,
quibus Religioſa Clericorum Paupertas commendatur? Planè conſtat eò Sacrum
Can. 99. & ſeqq. ſpectaſſe Concilium, ut Paupertatis amorem iis insereret, qui, *poſſeſſionibus ſuis*
Can. 109. *renuntiare non poſſunt*; quos proinde hortatur, ut quoniam propria dimittere ne-
queunt, *ſaltem propriis contenti ſint rebus*, ac jubet, *ne quid de redditibus & diſtribu-*
Thom. p. 1. l. 3. c. 21. num. 4. *tionibus Eccleſiaſticis attingant*. Quid plura? Nonne palam eſt Lectori tantiſper eru-
dito, omnia, quæ ibi à Sanctis Patribus congeruntur, eò ſpectare, & tendere, ut
ad Vitam Communem, & perfectè Regularem, quam ſummis laudibus proſe-
quuntur, omnes omnino Canonicos cohortentur? Nonne palam eſt, magis in-
dulgendo, quam approbando, Sacros proceres permiſiſſe Canonicis Proprieta-
tem, & Vitę Singularitatem? Quid enim ſermones illos duos Magni Patris Au-
guſtini in eam Regulam ex integro conjecerunt; niſi, ut Canonicos ad Vitam ſine
Proprietate ducendam provocarent? In iis, namque, Sermonibus, non aliud oc-
currit, quàm Paupertas, Vitę Communitas, & Vota, quę cuſtodiri volebat à
Filiis ſuis Clericis Canonicis, Hypponenſis Antiſtes. Hęc eadem Aquiſgranen-
ſe Concilium Canonicis imitanda proponit. Tum etiam, Canonicos à Monachis
Can. 115. diſtingui non debere, ait, in *cavendis vitiis, & amplectendis virtutibus*. Ultimo, ut
ſciant in quem uſum converti debeant Beneficia quibus potiuntur, pluribus Sancto-
Can. 116. rum Patrum conglobatis auctoritatibus idem Concilium, edicit, ea eſſe, *Vota*
fidelium, prætia peccatorum, Patrimonia Pauperum. En, igitur, quàm rigidam, &
exactam à Canonicis obſervantiam exigunt Aquiſgranenſes Patres, quamvis ii
ipſi ſint, qui omnium fermè primi, Canonicorum Secularitatem, auctoritate ſuâ
muniiſſe videntur.

Quidquid ſentiant aliqui, in Conciliis Romanis Centum, & amplius Epiſco-
porum ad exemplum Aquiſgranenſium, permiſſum fuiſſe Canonicis, ut obſervat
Part. 1. l. 3. c. 11. num. 2. Thomaſſinus, *Patrimonio uti, fruique privatim*; nihilominus indubium eſt, Alexan-
Can. 4. drum II. & cęteros Patres Lateranenſes, in eo operam ſuam præſertim collocaſſe,
ut Canonicos omnes ad Vitam Communem, & Proprii expertem invitarent. Hinc
præſcribunt, *ut quidquid eis ab Eccleſiâ competit, Communiter habeant*; . . . *ſicut opor-*
tet Religioſos Clericos. Nec aliâ ratione, *Apoſtolicam Communem Vitam* commemo-
rant, niſi ut Clericos ad eam ſectandam allicerent, Spe etiam futuri præmii ipſis
factâ, *quatenus*, inquiunt, *perfectionem conſecuti, cum his, qui centeſimo fructu di-*
tantur, mereantur adſcribi. Quæ, hoc præſertim fine, ſancita ſunt à Patribus, ut
ad

ad antiquam Paupertatem revocati Clerici Caſtitatem ſervarent, & cohiberetur effrenis libido, quæ per id tempus non ſine gravi ſcandalo *totam Europam depaſcebatur*. *Ibidem.* Et verò, præclaræ huic ſementi, inimicus homo potuit ſuperſeminare zizania; indeque refrigeſcente Charitate, Secularitas Canonicorum magis ac magis augeri cæpit, pronâ ſemper humanæ naturæ imbecillitate ad malum.

II. Numquam tamen omiſit Eccleſiæ Spiritus, quin Canonicos intra limites officii ſui contineri curaret. Revera plurima diverſis temporibus, ac locis edita ſunt in hanc Rem Decreta, juxta temporum ac locorum indigentias. Friſingenſis Concilii Patres de Canonicis præcipiunt. *Quicumque Canonicus Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, vel alterius Collegiatæ noſtræ Diœceſis*, promptè, atque alacriter, muneris ſui *Concil. Friſing. can.6. an.1440.* partes impleat, juxta conſuetudines antiquitus in iis Eccleſiis obſervatas; tum verò Mulctæ pecuniariæ, Suſpenſioni à præbendis, Privationi vocis Capitularis, juxta qualitatem omiſſionum, ſegnes ac negligentes obnoxios eſſe jubent. *Quia Beneficium datur propter Officium*; Et meritò pœnis animadvertitur in eos, qui delinquunt; *quia parum eſt, Statuta condere; niſi debitis pœnis vallentur*. Singulari etiam *Reformationes Cleri Leodienſis circ. fin.* pietate à Concilio Andegavenſi ad obſervantiam Chori inducuntur, *Canonici, & alii*, quorum non pauci, Peculio augendo inhiant, ac ad diſtributiones accipiendas, læti conveniunt; pigri autem ſunt, cum invitantur ad Chorum, ad laudandum Deum. Ab his Concilium optat, ultra rigidum ſilentium, ut uſque in finem *Statuta Concil. Provincial. Andegaven. ann. 1448. can.4.&5.* officii perſeverent, *niſi ſubſit cauſa legitima*, cùm plures conſpiciantur, *qui citò poſtquàm intraverunt Chorum, recedunt ſine cauſa*. Et hanc Chori obſervantiam, iis ſub quadam ſpecie neceſſitatis injungunt Patres, adducto axiomate: *Qui non laborat, non manducat*. Quòd ſi Concilium Senonenſe legamus, profectò conſtabit, quàm rigidè Patres ii exigant, ut, *in cunctis Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis*, Regu- *Anno 1485. ar. 1.* larum Obſervantia vigeat; & præcipuè ne Horæ Canonicæ, *curſim ac feſtinanter recitentur, ſed tractim, non truncatè, ſed integrè, diſtinctè, devotè, & articulatè; cùm pauſa decenti... cum tunica talari, & ſuperpelliciis mundis, ultra medias tibias longis*, *Concil. Colon. par. 3. cap. 5.* aliaque his ſimilia; ex quibus rigorem Diſciplinæ, quam ſtatuunt Concilia, facilè eſt intelligere; eò vel maximè, quòd pœnæ etiam condignæ decernuntur adverſus *Concil. Bituricen. tit.12. cap. 2. an. 1584.* tranſgreſſores. Immò, ut ajunt Patres primi Concilii Colonienſis, *Cathedralis Eccleſia, quæ eſt Epiſcopi Sedes, niſi præluceat omnibus, quæ in totâ Provincia, aut Diœceſi conſtituta ſunt*, quam Reformationem ſperare poſſumus in aliis? Clericis *Parte 3. cap. 1. an. 1536.* propterea etiam Collegiatis, ſatis perfectam vivendi methodum præſcribunt, *ne, magis Seculi, quam Chriſti milites videantur*; & de Canonicis omnibus differens Sacer *Cap. 2.* Conventus, *Reſpondeat*, inquit, *eorum Vita titulo, reſpondeat Nomini... ſint re ipſa, ut ſunt Nomine, Canonici, ideſt Regulares*; aliaque addit, Religioſæ Diſciplinæ do- *Cap. 4.* cumenta, & præcepta, quę ſanè vel Communitatibus ipſis Clauſtralibus non inviderent. Proponit ipſis *naſcentis Eccleſiæ Miniſtros*, ut quoniam ipſis in Dignitate ſucceſſerunt, ita ſe illius non indignos hæredes præbeant, ſed ad eorum Vitæ Sanctimoniam pervenire ſtudeant; tum eos admonet ſic; meminerint Primæ Originis ſuæ, quæ, etſi non Inſtituto, ſaltem Virtutibus, quibus inclaruit, Monaſtica dici meruit. *Neque enim clam eſt primam eorum originem, Monaſticæ Diſciplinæ fuiſſe*. Eos denique hortatur, ut oculos convertant ad ſtructuram Sacrarum ædium: aitque: *Eccleſiæ Collegiatæ, quamdam vetuſtatem ſpirant, & Eccleſiæ primitivæ inſtitutum præſeferunt, quòd vel forma ædificiorum oſtendit, quæ Canonicos prope templum, in unum penè habitaculum collocavit: ut procul à promiſcua multitudine ſeparati, divinis pariter laudibus jugiter inſiſterent*. Canonicos pariter ſuos ſic alloquitur Bituricenſe Concilium: *Canonicos, qui ad hoc inſtituti ſunt, ut exemplo Levitarum in Eccleſiis certis, & fre-* *Anno 1584. tit. 34.* *quentibus horis Deum orent, & ei laudes canant, & Sacra peragant; pura mente, & corpore Deum colere oportet: ut dum pro omni populo Deum precantur, ei in primis accepti ſint, & luceat lux eorum coram hominibus*; & quoniam probè noverant Patres impunitatem parere audaciam, audaciam exceſſum, mandant, *ut qui ad miſſam poſt* *Ibid. t.12. can.6.* *primum Kyrie-Eleiſon non acceſſerit... abſens cenſeatur*. Et majori rigore ſegnitiem hanc puniebat Conſuetudo, *abigendi per ſtrepitum bos, qui Chorum tardius ingrediebantur*; quamvis Cameracenſes Patres, uti corruptelam & abuſum, Conſuetudinem hanc auferendam eſſe, cenſuerint, *ne errorem, errore graviore, viderentur caſtigare*. *Cap. 14.*

III. Si denique illud verum eſt, Eccleſiarum Cathedralium Canonicos, in omni ſua actione, pietate debere præcellere, atque eâ morum integritate pollère: *Ut meritò Eccleſiæ Senatus dici poſſint*; Si dignitates Eccleſiarum præſertim Cathedralium

Tridens. ſeſſ. 24. cap. 12. lium *ad conſervandam, augendamque Eccleſiaſticam Diſciplinam fuerunt inſtitutæ*, ut monent Tridentini Patres; & Canonicorum munus, præcipuumque officium eſt Divinis laudibus intereſſe in Eccleſiis; Pſalmos, Hymnoſque, Die Noctuque decantare, Veſtitu inſuper decenti, ac modeſto uti; Et Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere, & inſervire; ſi majori ſaltem ex parte, etiam Doctrinâ, & Litteris pollère debent, ut ſint Magiſtri, Doctores, aut Licentiati, *in Theologia, vel jure Canonico*; planè conſtat, quâ morum probitate fulgere debeant, quâ Doctrinâ, quæ eorum officio, ac dignitati reſpondeat; ut debeant exemplum bonum Eccleſiaſticis cæteris, & fidelibus omnibus præbere, iiſque prælucere, inter quos vivunt; ut exteriori honeſtate comprobent, *quales intus ſint*,
Concil. Provincial. Narbonen. cap. 14. quale eſt votum Narbonenſium Patrum. Quàm luceret lux eorum coram hominibus, ſi conſpicerentur promptè, graviter, & devotè *per vices Altaris miniſteria ſu-*
Concil. Cameracen. cap. 7. Anno 1583. c. 4. *bire!* In eos enim tunc veluti vitæ ſuæ magiſtros oculos figere poſſent Populi, eorumque Sanctitatem admirari, ac imitari, ut inſinuat Concilium Turonenſe, his prorſus verbis: *Ipſos etiam Canonicos, cum à Canone nomen ſortiti ſint, volumus, & jubemus eam vivendi Regulam ſibi præſcribere, quæ aliis ſit ſanctæ Converſationis exemplum*. Ut ne quod verum eſt inficier, Secularis cujuſque Canonici Vita, ſi conformis eſſet Canonum, & Conciliorum Præſcriptis, quàm parùm differret ab eâ Diſciplinâ, quæ obſervatur in Sacris Religioſorum Clauſtris; non enim quia Secula-
Concil. 4. Mediolanen. conſtitut. part. 3. cap. 2. Concil. Mediolanen. can. 24. res ſunt, idcirco non tenentur Canonici, *in omni Inceſſu, Statu, Geſtu, Vultu, Religioſi animi mores* exprimere; idque eo magis, ſi, ut optavit S. Carolus Borromeus, eis perſuaderi poſſet talis ſeceſſus à turbâ, ut *in Canonicalibus ædibus*, habitarent. Quid verò, ſi huic vitæ, ac morum integritati, quam Canonicis Concilia imponunt, addatur Obedientia, quam Antiſtiti ſuo præſtare tenentur; quippe hanc illi ſpondent, cùm ad Sacerdotium promoventur, interrogantique Epiſcopo, *Promittis mihi, & Succeſſoribus meis Reverentiam & Obedientiam?* Reſpondent, Promitto. Et hæc Promiſſio, Profeſſio Canonica nuncupatur; quam violari nefas eſt;
V. Hallier. de ſacris elect. & ordinat. p. 240. 244. cum talis ſit, quæ *Præcepto Divino ſancitur, cujus non inferior auctoritas, obligatione Voti*. Et quoniam interdum Promiſſio hæc Obedientiæ Juramento ſacratur, inde ſequitur, quod, *Religioni Voti equiparetur, & in Deum dirigatur*. Immo cum ſacra, & divina ſit Epiſcopalis Dignitas, ita & Obedientia, quæ illi dèbetur, *Sacra, & Divina eſt. Unde*, ut affirmant Clemens Primus, Dyoniſius, Ignatius, Juſtinus,
V. Hallier. p. 249. Ambroſius, Syneſius, & Maximus, nec non plures alii, *Epiſcopo ut Deo, Deique, & Chriſti Viceſgerenti, atque imperium repræſentanti, parendum eſt*. Hæc quoad Votum Obedientiæ, quo æquè propemodum adſtringuntur Canonici, ac cæteri omnes Religioſi.

IV. Quod verò ſpectat ad Caſtitatem, norunt omnes, eodem Jure ac Debito ad eam ſervandam teneri quemcumque Canonicum in Sacris conſtitutum, quo Regulares; par etenim eſt, ejuſdemque ordinis debitum, illud quod contrahitur per Sacram Ordinationem, ac illud, quod per ſolemnem Religioſam Profeſſionem. Reſtat, igitur, totum pene diſcrimen, Secularis Canonici à Regulari, quod iſte Voto Paupertatis adſtringitur, non ſic ille: Qua in re, ut, quod ſentio, dicam: Nolim ego hìc quæſtionem ingredi ſatis difficilem circa Uſum Redditÿum, qui ex Beneficiis proveniunt; quænam ſcilicet, inſit facultas Canonico ſupra Beneficiorum Redditus, ſi quid reliquum ſit, quo minime indigeat Vir Dei, & Eccleſiæ obſequio mancipatus, ad congruum & honeſtum ſibi Victum, & Veſtitum comparandum. Satis ſit admonere, non ſine lethali crimine, contra charitatem, & probabiliter etiam contra juſtitiam poſſe, in uſus prophanos converti, Eccleſiaſticos Redditus. Eccleſiaſticus Vir, cui ex obligatione incumbit moderatè etiam uti ipſomet Patrimonio, multo magis tenetur definire limites, & confinia Status & conditionis propriæ; debet, igitur, ante oculos habere Proventus Eccleſiaſticos, eſſe Bona Divina; quod reliquum ex iis ſupereſt, ærarium eſt Pauperum, ſi perpendatur mens, & intentio Fidelium, qui fundos donarunt, & Providentia, quæ legibus
Can. 6. charitatis innixa, ita diſpoſuit. Beneficia *Pretia ſunt peccatorum*, intonant auribus Beneficiatorum Cabilonenſis Concilii Patres, *Patrimonia Pauperum, ſtipendia Fratrum in Communi viventium*. Hæ porro rigidæ reſtrictiones circa Uſum Beneficiorum, quandam ſpeciem Paupertatis ſuadent, & ad eam conducunt; quæ cum difficilius, & periculoſius obſervetur, ob vehemens incentivum eam violandi; delicato Eccleſiaſtico, onероſior videri deberet, quam Religioſa Paupertas, Religioſo; qui, cùm careat jure diſpenſandi, magis extra periculum eſt, diſſipandi. *Non pro-*

prohibeo, ait ſcribens ad Eugenium mellifluus Doctor S. Bernardus: *non prohibeo diſpenſare, ſed diſſipare*. Quid porrò periculoſius Seculari Canonico, cui integrum eſt, vel ſaltem videtur eſſe, jus diſpenſandi. Utinam non diſſipandi. De his adhuc inferius redibit ſermo.

§. IV.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, infertur, Regularem Canonicum, cùm tranſit ad Canonicatus Seculares, tranſire ad Statum magnæ Ædificationis; ac propterea contradictionem pati non debere, cùm hujuſmodi Tranſitum meditatur.

I. EN, ut vidimus, brevem deſcriptionem obligationum, quas implere debet Secularis Canonicus, quoties ad Sacrorum Canonum, & Conciliorum præſcriptum, Vitam ſuam formare ſtudeat. En ut, Religioſiſſimus iſte Canonicorum Ordo, per Univerſum Orbem diſperſus, ſummis virtutibus præcellere debet, ac totus Divinis laudibus concinendis, Sacramentis miniſtrandis, Populis regendis, Animabus curandis, mancipatus ſit. Secularibus Canonicis, meritò ea conveniunt Encomia, quibus Auguſtinus quoſdam ornavit Clericos, quos ipſe conſpexerat ob præclaras virtutes, omni elogio digniſſimos, eo vel maxime, quòd commixti inter gentes, ac propterea in continuo periculo conſtituti, gentilitiâ tamen contagione eſſent prorſus immunes, atque in hoc Seculo nequam degentes, & cum Secularibus converſantes, minimè tamen iis conformes eſſent, ac nullatenus eorum mores imbibiſſent: *Quorum virtus, eo mirabilior mihi videtur, quo difficilius eſt, eam in multiplici hominum genere, & in iſtâ vitâ turbulentiore, ſervare*. Sacroſancta Tridentina Synodus, agens de Vitâ, & Honeſtate Eccleſiaſticorum omnium in generali acceptione, liberè, ait, & veraciter, nihil eſſe, quòd alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat & provocet quàm eorum Vita, & Exemplum, qui ſe Divino Miniſterio dedicarunt; cùm enim à rebus Seculi, ad altiorem ſublati locum, ordinemque laicali Superiorem conſpiciantur; in eos tanquam in ſpeculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quòd imitentur. Quapropter, ſic decet omnino Clericos in Sortem Domini vocatos, Vitam, moreſque ſuos omnes componere, *ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus*, nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præſeferant; evitantes *levia etiam delicta*, quæ in ipſis maxima eſſent, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem, atque eminens eorum gradus, ab omnibus, magno cum reſpectu, ſuſpiciatur. Ulterius, Concilium, ipſis denuo imponens ſeverè cuſtodienda ea omnia, quæ Sacri Canones, & Pontifices in ſuis Decretis circa ipſos ſanxerunt, confirmans etiam prohibitiones in dictis Decretis contentas, ſatis, meo judicio, demonſtrat, quantæ perfectionis ſit veri Eccleſiaſtici conditio, & quanta utilitas, & ornamentum in totam Eccleſiam derivet ex rigidâ Diſciplinâ Clericorum, ac morum in ipſis compoſitione. His porrò oneribus, & obligationibus majori ſanè cum perfectione ſatisfacere tenentur Eccleſiarum Cathedralium Canonici, dum ex iis Eccleſiis majus decus ipſis accreſcit. Hos propterea decet ornamento etiam eminentioris Doctrinæ præditos eſſe. *Quanto*, enim, *quis honoris gradu, atque dignitate præſtat*, ut Burdegalenſium Patrum phraſi utar, *tantò cæteris omni genere virtutum debet excellere, ejus enim vita omnium oculis expoſita eſt, ut indè benè, vel malè vivendi, communiter exempla duci ſoleant*; idcirco qui Dignitate aliquâ, ac potiſſimùm Eccleſiaſticâ fulgent, *non ſolùm ab omni vitiorum turpedine longiſſimè abeſſe, ſed etiam omni virtutum genere ornari debent*.

De moribus Eccl. Cathol. lib. 1. c. 31. 32.

Seſſ. 22. cap. 1.

Cap. 21.

Ibidem.

II. Si hujuſmodi characteribus inſignitum eſſe oportet Eccleſiaſticum ſpectabilem poſitum ſuper Candelabrum, ut à Populis omnibus conſpiciatur, cujuſmodi eſt Epiſcopalis, aut Collegialis Canonicus; quomodo timendum eſt, ne è Statu ſuo excidat Regularis Canonicus, qui ab obſervantiis Clauſtralibus, & Conſtitutionum proprii Ordinis, ſub nullâ Pœnæ interminatione, aut Peccati ne quidem Venialis gravamine injunctis, ad eas Sacrorum Canonum tranſeat, quas Seculares Canonici, tam rigidè cuſtodire debent, ſub tot interminationibus ſibi à tot, tantiſque Conciliis impoſitas? An læthale erit laxamentum, adeòut omni ſpolietur, Regularis Canonicus, Religioſitatis fulgore, & inſanabile ejus vulnus evadat, niſi perpetuò interdicto à

tali

tali tranſitu arceatur? Immò eum potius dicemus aptiorem, ad Sacrorum Canonum obſervantias, perfectioremque earum legum cuſtodem, quibus Seculares Canonici obſtringuntur; Quia, Regularis Canonicus non Neophitus, ſed ætate maturus, Secularibus illecebris non involutus, jam diu è Seculi faucibus ereptus, imò Canonicis Regulis, majorique Diſciplinæ aſſuefactus, ad Secularium Canonicorum Stallum convolare ſolet. Indubium eſt, tranſitus hujus difficultatem, non è Statu Canonicali poſſe ullatenus fluere; ſiquidem Regularis Canonicus, æquè, ac propriè Canonicus eſt; Talemque eum eſſe declarant Sacri Canones, Summi Pontifices, & Sacroſancta Concilia. Unus eſt in Eccleſia Canonicatus, quemadmodum unus Clericatus, *unus Apoſtolatus*, *unus Epiſcopatus*, quod jam alibi, ſatis oſtenſum eſt. Verùm hunc Canonicatum, duæ differentiæ contrahunt; Regularis nempe, & Secularis; Quapropter inde videtur oriri ſcrupulus, & difficultas, ex mutatione, nimirum, Regularis, in Secularem. Sed evaneſcet hic ſcrupulus, ſi comparatio inſtituatur Regularitatis, cum Vitæ integritate, morum probitate, ad quæ tanto auctoritatum molimine, & tam ſeverè inducitur Secularis Canonicus tot legibus ad gravitatem ſimul ac Religioſitatem præſeferendam adactus. Parùm vel nihil, Re benè perpensâ, inter utrumque Statum intereſſe conſtabit; ac propemodum nihil ſui ſplendoris Regularitati decidere, cùm in Secularitatem benè formatam, qualem exigunt Concilia & Patres, tranſitum facit.

Art. 1. §. 4.

III. Vota ea ſunt, quæ Vitam Religioſam conſtituunt. Cum, igitur, Seculares Canonici tali Voto Caſtitatis adſtricti ſint, quod nullatenus differt ab ea Caſtimoniâ, quam ſeverioris etiam Diſciplinæ cultores Religioſi, profitentur: quippe, æquale eſt debitum Caſtitatis, quod contrahitur per Sacram Ordinationem, & quod per Solemnem Profeſſionem; eodem prorſus modo ambos ligat hoc debitum, & ſub iiſdem pœnis. Sentiunt aliqui, *Quòd commutatio Voti continentiæ in Caſtitatem conjugalem*, *non mutat ſubſtantiam regulæ*. Ergo ſi Secularis Canonici conditio ea eſſet, in qua Conjugalis Caſtitas ſervaretur cum Voto, cujuſmodi ſunt quidam Equeſtres Ordines; Summo Pontifice commutante Votum Solemne continentiæ Religioſæ in Votum Conjugalis Caſtitatis, non mutaretur eſſentia Regulæ, ac proinde, nec Status Votivæ Continentiæ, in ſuâ ſubſtantiâ: Quantò, igitur, magis nulla erit mutatio, cùm Secularis Canonicus æquali prorſus debito Caſtitatis adſtringitur, quo Regularis? Nihil, ergo quod Caſtitatem attinet, intercedit, Regularem inter & Secularem; proindeque non eſt cur timeatur mutatio Status, quoties Regularis quiſpiam, Canonicus Secularis evadat. Votum Obedientiæ idem etiam in utroque videtur eſſe. Notum eſt, vi Solemnis Sponſionis, & præcepti teneri Canonicos Obedientiam omnem, & Reverentiam Epiſcopo ſuo præſtare. Ingenuè fateri debeo Vitam Communem non omnino ſubſiſtere, & tantiſper immutari in Uſu Beneficialium proventuum. At ſi Eccleſiaſticus, verè Vir Dei, Sanctorum Patrum, & Doctorum Theologorum dictis inhærens, ritè expendat quæ ſint onera circa hunc Uſum, quæ præcepta, quid ei liceat, quid non liceat; profectò, non omnia ſibi licere deprehendet, & reſtrictum eſſe Uſum prædictum, adeout, ſi velit in Eccleſiaſticorum proventuum Uſu, doctiſſimorum cum Patrum, tum Theologorum Sententiam amplecti, ſentiet, ſe omni carere Dominio, ſolùm ſibi ineſſe jus moderatè utendi, ac diſpenſandi: Quoties Regularis Canonicus, Beneficio Seculari donatus, Angelici Doctoris Divi Thomæ Doctrinam velit attendere, eumque uti magiſtrum venerari, ac ſequi, qui diſputans de Regulari in Epiſcopum promoto, cenſet adhuc teneri, non obſtante Epiſcopali Dignitate, ad Continentiam, & Paupertatem, hoc modo, *ad hæc remanet Religioſus etiam factus Epiſcopus obligatus*, & propterea, *Proprium nullo modo habere poteſt*: Intelliget nullum ſibi ineſſe dominium, & ſolummodo poſſe, quod reliquum eſt ex Beneficialibus proventibus, prudenter diſpenſare. At non in quemlibet Uſum convertere, cum ſua propria Bona non ſint, ſed Eccleſiæ, excepto aliquo majori Uſu, *ſecundùm quod requirit neceſſitas perſonæ, vel officii, & conditio hominum, cum quibus vivit*; quibus in caſibus, ait Angelicus, *etiam Prælati Religionum ſecum diſpenſant*. Non poſſe, dignoſcet, Se in articulo mortis ullum dominii actum exercere: *Teſtamentum nullo modo facere poteſt, quia ſola ei diſpenſatio committitur rerum Eccleſiaſticarum, quæ morte finitur: quòd ſi ex conceſſione Papæ teſtamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere teſtamentum, ſed Apoſtolica auctoritate intelligitur eſſe ampliata poteſtas ſuæ diſpenſationis*. En igitur quid ſentiat Angelicus de facultate, quę ineſt Regularibus promotis in Epiſcopos circa uſum Eccleſiæ redditum. Ubi admoneor, quoſdam etiam verè Regu-

Diana Coord. reſol. 79. num. 7. in fine, & num. 8.

2. 2. q. 185. art. 8. o. & ad 3.

Regulares, dum in Religione perſeverant, eodem jure frui, & gaudere, ſed abſque verâ Proprietate. Hinc Canonici Regulares Sancti Spiritus in Saxia Romæ, habent ubique facultatem, *retinendi, adminiſtrandi, & etiam per actus inter vivos, in pios, & Religioſos uſus convertendi fructus beneficiorum Ordinis ... Nihilominus per actum ultimæ voluntatis de illis, ac aliis bonis, nec diſponere, nec Teſtamentum condere poſſunt*: ita nempe cenſuerunt Sacræ Congregationes. Ad hæc, ſi Epiſcopus etiam non Regularis, inordinationem effugere tenetur in Uſu Bonorum, tum propriorum, tum, multo plus Eccleſiæ; quanto magis moderatè iis uti debet Regularis Canonicus? Hinc eſt, quòd nullum detrimentum Religioſæ Paupertatis, nullam violationem expropriationis, quam profitentur Religioſi, valeam deprehendere in Regulari Epiſcopo, & Canonico, qui in Uſu Beneficialium redditũum tanti Magiſtri, tamque illuminati Doctoris Angelici Sententiæ adhæreat. *V. Monacell. tom. 2. pag. 195.*

IV. Nec illud præterire debeo, hanc eſſe Sententiam communem, Epiſcopum Religioſum carere dominio; nam etiam Paſſerinus: *Epiſcopus*, ait, *Religioſus ſic ſibi vindicat ... hæreditatem, quòd tamen ſibi acquirit ſolum uſum liberum, & liberam adminiſtrationem independenter à Prælatis Regularibus, dependenter verò à Pontifice, ut à Summo Prælato, proprietatem verò acquirit Eccleſiæ, cujus eſt Epiſcopus*: Ex quo ſit, quòd cùm ſola Proprietas adverſetur Paupertati, adminiſtratio verè & uſus non illi adverſentur; Regularis Canonicus poteſt Beneficia quæque obtinere, quin à Voto Paupertatis deficiat, ſi nempe Eccleſiaſticos reditus adminiſtret quidem, non tamen de iis perinde ac Propriis diſponere audeat; quo caſu, Voti non redditi, Reus ante divinum tribunal evaderet. Hîc & illud adnotare fas eſt: Regularem Canonicum Lateranenſem, ex eo quia in ſolemni Profeſſione jus ſibi reſervavit acceptandi Beneficia Secularia; de conſequenti ſibi etiam reſervaſſe eam, ſi quæ eſt, majorem facultatem utendi redditibus Eccleſiaſticis, juxta proprii ſtatus exigentiam; quemadmodum & ſemetipſum eximendi ab iis obſervantiis Regularibus, quæ cum ſuo miniſterio repugnant, dummodo Expropriationis Votum jugiter in corde ſuo hæreat, nec unquam ſe ab illo abſolutum credat, uti decet Virum Religioſum, nihil in hoc mundo habentem, omnia autem in Deo, & cum Deo poſſidentem. *De ſtat. hom. qu. 185. art. 8. n. 206.*

V. Libet ulterius advertere Regularem Canonicum, cum tranſit ad Beneficium Seculare, non transferri ad aliquem ſtatum, cui intrinſecè, ac per ſe, conveniat bonorum Dominium, & Proprietas; nam, *à principio*, ut refert Grimerius, *erant Canonici ſine præbendis diſtinctis*; *& licet antiquitus*; Inquit doctus Vir Hallier, *Beneficia Eccleſiaſtica nulla forent, erant tamen Eccleſiæ, ad quas Clerici inſtituebantur, & ex quarum redditibus alebantur: Erant Eccleſiaſtici tituli, quibus addicebantur, quibus quidem Beneficia Eccleſiaſtica ſucceſſerunt. Ab exordio*, ait Thomaſſinus cum Fagnano, *præbendæ fuerant panis, & vini, adeoque meræ diſtributiones, & quotidianæ, ut veſci poſſent Canonici, non diteſcere. Nec enim ejuſmodi ſpecies poterant ultra neceſſitatis modum ferè creſcere. Ubi poſtea agri cœpere, ſundique aſſignari Canonicis; & bis quoque hæſit præbendæ nomen, quod ii præbendæ locum implerent, nec modum excederent*. Hæc ſunt ea tempora, quibus Eccleſia ipſa poſſidebat Bona temporalia; & ex iis, Miniſtris conferebantur ea, quibus indigebant: *unde tolerare vitam poſſent, nec deliciari. Suppetebat quod neceſſarium, quod etiam commodum videri poſſet: Superfluitas, faſtus, ſplendor omnis præcidebatur*. Subdit Garzia, *Beneficia non ſunt de jure divino, neque naturali, ſed humano*; *nam Beneficia primò diviſa ſunt à Sancto Dionyſio Papa*. Ex quibus omnibus, non temerè videor inferre, Regularem Canonicum, cum tranſit ad Canonicatum Secularem tranſire ad Beneficium, quod in ſuâ radice Regulare eſt, cum Beneficia fere omnia in ſua Origine manualia ſint, ac fuerint. Clerici, namque, veteres, quibus Beneficiati ſucceſſerunt, Eccleſiis inſerviebant; quid proprium non habebant, de quo diſponerent; ſed manualiter quotidie à principali Eccleſiâ, quod ad Vitam ſuſtentandam neceſſarium erat, ſumebant, quod alibi jam obſervavimus. Et ubi *menſa Canonicorum*, apud veteres occurrit, cujus meminit Gregorius Turonenſis ſexto Seculo, quid aliud eâ innuitur, niſi Vita Communis, quam degebant Canonici? Gregorius Turonenſis *diſertè Canonicos vocat*: ait Thomaſſinus: *Hæc enim eſt menſa, & Vita Communis*.

Grimer. V. Diſcorſo Storico Secolo 1. pag. 158.
Pag. 628.
Par. 1. l. 3. c. 10. n. 15. §. ideo pag. 615. fin.
Thomaſſin. par. 3. pag. 10. init.
Garzia de benef. part. 5. c. 1. n. 3.
Art. 1. §. 3.

§. V.

§. V.

Regularis Canonicus tranſiens ad Beneficia Secularia, Inſtabilis Notâ aſpergi non deberet.

I. Quæ à Sacroſanctâ Tridentinâ Synodo adverſus Canonicos Regulares Translatos manarunt Decreta, quibus juſtè cavetur, ut hujus generis Religioſi: *in Clauſtro perpetuò maneant*; ſintque ad omnia Beneficia Incapaces, venerari debemus omnique cultu, & obſervantiâ proſequi. Eo ſpectabat Concilii mens, ut evagationis amore, qui ab animi levitate, & inconſtantiâ gignitur, ſublato, vel ſaltem repreſſo, etiam Apoſtaſiæ periculum arceretur à Religioſis. Cum enim hujuſmodi Translati in primâ vocatione ſuâ, in qua ſe manſuros Deo promiſerant, ſtabiliter minimè manſerint; non immeritò ſuboritur timor, ne ex uno Ordine in alium migrent, magis libertatis cupidine, quam alieni, & proprii Boni deſiderio: *Ex ea inconſtantiâ, & levitate jure reformidatur, ne libertatis potius libidine agantur, quam ſuæ alienæque ſalutis charitate*. Olim Carolus Magnus Imperator inconſtantiam hanc, & lævitatem uti probrum objecit, quibuſdam ævi ſui Monachis quos modò conſpiciebat Monachos; modo Clericos Canonicos in Monaſterio, modò ut obſervat ſupralaudatus Thomaſſinus, præter *opinionem omnium in Secularium Clericorum claſſem* mutatos; *Aliquando enim*, ait, Imperator *Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum, vos eſſe dicebatis*. Nollem ego Regulari Canonico eandem inconſtantiam exprobaret quiſpiam, cum cernit eum ad Seculare aliquod Beneficium aſpirare. Regularem Canonicum, ac præſertim Lateranenſem, quoties ad Beneficium Canonicale transfertur, a primâ ſuâ Vocatione non deſciſcere, ſed in eâ adhuc manere, eo modo, quo ſpopondit ſe manſurum libere cenſeo. Non debet levitatis Notâ inuri, niſi cum inſtabilitatis convincitur. Argumentum ducamus à vinculo, quo ſemetipſum ligavit in ſua ſolemni Profeſſione, in qua Lateranenſis Canonicus tria Vota conceptis verbis nuncupat, clauſulam adjiciendo, quâ ſibi illæſum jus vult eſſe ad Beneficia Secularia migrandi, ubi id Populorum neceſſitas, vel ſui ipſius, poſceret. Idque his verbis; *Beneficium acceptabo cum Cura vel ſine Cura, intus, vel extra Ordinem noſtrum*. Non igitur talis migratio ex inſtabilitate, aut levitate ullatenus provenit, nec quòd eum pœniteat, ſuæ Primæ Vocationis. Ea eſt quid conſequens primum ſuum intentum; non eſt Votorum violatio, aut contemptus; ſed licitum illius libertatis exercitium, quod ſibi aſſeruit, cùm in ſolemni Profeſſione, ipſis Votis eam clauſulam reſervativam adjecit.

Seſſ. 14. de Reform. c. 11. — *Thomaſſin. p. 1. l. 3. c. 23. n. 9.* — *Ibid. c. 9. n. 8.* — *Epiſt. ad Albinum tom. 1. Capitulare Baluzii.*

II. Hîc profectò, benigno Lectore ac Diſcreto indigeo, qui eam imbibat humanitatem, & lenitudinem, qua imbuti fuerunt Præſules illi mites, atque indulgentes, qui cùm accepiſſent Auguſtinum velle è Clericatu deturbare eum, qui à Vitâ Communi defecerat; illius partes tueri aggreſſi ſunt, dicentes, *non poteſt tolerare tecum vitam iſtam*. Mutationem hanc benignè adſcripſerunt, non jam aſſumpti Status pænitudini, aut probroſæ inconſtantiæ; at humanæ imbecillitati, & infirmitati, quæ ſublimem Virtutem expropriationis, interdum rectis oculis nequaquam reſpicit, nec ſemper tolerare poteſt ea incommoda, quæ ob tèmporum Calamitates, ex eâ proveniunt. Auguſtinus propterea non difficilè iis aſſenſum præbuit; mutavit conſilium, permiſitque Clericum Vitæ Communis deſertorem, *extra Epiſcopium manere, & de proprio vivere*. Et licet in altero Sermone priſtinum rigorem ſuum reaſſumpſerit Sanctus Doctor, *ut*, videlicet, *Clericatu prorſus exauthorentur*, qui impoſterum inventi fuiſſent Vitæ Communis deſertores; nihilominus, juxta Africanarum Eccleſiarum indigentias, ex Convictoribus ſuis, *rogatus dedit .... Epiſcopos & Clericos* complures. Author operis, *de Vita Contemplativa* teſtatur, ſuo ævo non paucos fuiſſe Clericos, qui patrimonium abdicare, ac *poſſeſſionibus ſuis* renuntiare abnuebant. Quid porro tunc actum eſt de iis Clericis? Habita eſt ratio imbecillitatis humanæ; & hæc repugnantia benignè adſcripta cuidam eſt infirmitati, quæ talem abdicationem ferme impoſſibilem reddebat: *Infirmi ſunt .. Poſſeſſionibus ſuis renuntiare non poſſunt*. Noverat Chrodegangus Metenſis Antiſtes, quantùm Clericos decoraret Apoſtolicæ Communis Vitæ imitatio; noverat eminentiam illius virtutis, quæ temporalia Bona contemnit, ut Cæleſtium jacturam effugiat; Verùm tepidam ac remiſſam adeo eſſe conſpiciebat Canonicorum devotionem,

Serm. 355. n. 6. — *V. Indicem Thomaſſini V. Auguſtin.* — *Poſſid. cap. 31.* — *Lib. 2. cap. 12.*

tionem; ut eam, quam Laici naſcentis Eccleſiæ ſectati ſunt, Clericos Deo mancipatos puderet æmulari, perfectionem. Probè intelligebat Venerabilis Præſul, à zelo ſuo plurimùm diſtare Canonicorum deſideria. Quid tamen? Non ipſis exprobravit hunc teporem, nec eorum deſideria ſeverè reprehendit, ſed temporum infortuniis imputavit, quòd Diſciplina Paupertatis, & Vitæ Communis, à Clericis tolerari non poſſet; idque ingenuè confeſſus, cùm ait: *Noſtris temporibus, perſuaderi non poteſt talis vitæ perfectio*. Hoc modo, facem prætulit Aquiſgranenſibus Patribus, in permittendo Canonicis Peculio. Nam, nec ipſi, ut Canonicis relaxarent Communionem facultatum, ac Proprietatem permitterent, aliâ ratione permoti ſunt, niſi ea infirmitatis, quæ excuſabiles reddidit eos Clericos, quos Julianus Pomerius commemorat, nimium temporalibus rebus addictos, tamque infirmos, quòd propria non potuere promptè deſerere. Non igitur, eos Concilium in deſertorum, aut inconſtantium numero habuit, nec tali nomine vituperabiles reddidit, ſed ait *infirmi ſunt*; & ſub hoc infirmitatis prætextu, editi ſunt Canones, qui Canonicis permitterent, *dare & accipere*; *Proprias Res & Eccleſiæ... habere*. Quid, denique, Romana duo Concilia, eo Canone, *præcipientes ſtatuimus*? Quid Petri Damiani invectivæ, qui tanquam redivivus Auguſtinus, Apoſtolico zelo accenſus, pro virili etiam inſiſtebat, ut Summus Pontifex de plenitudine poteſtatis ſuæ, Canonicos ad Vitam ſine Proprietate ducendam, non jam excitaret, ſed impelleret, ac præcepto impoſito, cogeret? *Sanctus Apoſtolatus veſtri vigor impellat*? Quid inquam evicerunt? Satius duxerunt Sacri proceres attemperare ſe indoli Canonicorum, & temporum remiſſioni aliquid concedere; ſatiſque illis fuit, Canonicam Vitam Clericis vehementer commendare. Verumtamen, *nec Pontifex Alexander II., nec Succeſſores ejus vim, & pondus præcepti addi debere cenſuerunt*; Hinc ad Aquiſgranenſes indulgentias ventum eſt; id eſt, *patrimonio uti, fruique privatim*, ac etiam, *partem Eleemoſynarum*, habere conceſſum Canonicis eſt. Nec legimus hos Canonicos, dum Profeſſionem Canonicam prius emiſerunt, Licentiam ſibi reſervaſſe, eam Proprietatem aſſumendi, quæ ipſis poſtmodùm indulta eſt. An verò Canonicis, Religioſis in Clauſtris Paupertatem profeſſis, fortè objici poterit ut probroſa inconſtantia & levitas; Si Voti ſponſione, ſeſe ſolummodo obligaſſent Paupertatis non violare leges quoad in Clauſtris perſeverarent eam ſibi reſervando libertatem, editâ, ab initio Profeſſionis, expreſsâ declaratione, licitè fruendi iiſdem conceſſionibus ac relaxationibus; quas Concilia tam celebria toleravere in tot Cathedralibus, quoties Expropriationis rigor ſolitò gravior apparuiſſet? Sanè tunc ii Canonici eam libertatem in actum reducerent, quam conſultò ab initio, licitè ſibi præſervaverunt, conſentiente Eccleſiâ.

Regula Meten. cap. 31.

Can. 115.

Apud Thomaſſin. par. 1. l. 3. cap. 21. num. 6.

Thomaſſin. ibid.

Ibid. num. 2.

Num. 4.

III. Aſſeruimus ſuprà, Canonicum Ordinem, cùm certatim ad ſui Reformationem excitarentur Clerici, temporibus præſertim Alexandri II., in duas veluti Claſſes diſcretum fuiſſe, quarum Una Proprietatem ſectaretur, Altera verò, ex præſcripto Auguſtiniani Canonis Vitam inſtituens, Paupertatem Apoſtolicam coleret. *Hoc ipſo quoque tempore*, ait auctor Diſciplinæ, *Canonicorum Ordo in duas ſe ſcidit Congregationes, aut Congregationum ſpecies, ſectantibus aliis Aquiſgranenſis Concilii Regulam, aliis Auguſtini*. Hoc poſito, non multùm diſtat à vero, Canonicos ad Auguſtini Regulam formatos exemplo prçeunte Canonicorum Cathedralium, ita in Clauſtra receſſiſſe, ut ſibi reſervarent integrum jus acceptandi Beneficia Canonicorum Cathedralium, ſive Collegiatarum Eccleſiarum, ubi creſcente ætate, oneroſiorem experti fuiſſent expropriationis Diſciplinam. Hanc ſanè reſervationem reperire eſt à pluribus Seculis expreſſam in Formulâ Profeſſionis Canonicorum Regularium Lateranenſium. Hinc fit, quòd acceptatio Beneficiorum, præſertim Reſidentialium, in ipſis non inde provenit, quòd eos pœniteat ſuæ Profeſſionis; ſed, quòd eâ velint libertate uti, quam ad bonum honeſtumque ab initio ſibi finem, aſſeruerunt, cùm, ad Chriſti Aras ſe ipſos mactarunt, ſpondentes Obedientiam, Paupertatem, & Caſtimoniam Deo, propriiſque Prælatis. At demus labilis humanitatis ergò, à Canonicis Regularibus capi Beneficia, ſcilicet quoniam infirmi ſunt, non amplius queunt, *tolerare vitam iſtam*, oppreſſi pondere rigidioris Diſciplinæ, quç omnibus, & ſemper, *perſuaderi non poteſt*, cuique ſe addixerunt, dumtaxat, *quantùm humana permittit fragilitas*. Quid tandem mirum erit? Hç rationes tales fuerunt, quç tot inſignia Concilia induxerunt, ut erga Canonicos ferè omnium Eccleſiarum Cathedralium, indulgentiora eſſent, quaſve, auctoritate Suâ, Reque ipsâ, roborarunt Sanctiſſimi Patres in Sacris Conventibus congregati.

Ibid. num. 6.

Adde

Adde Regularem Canonicum, non ita optare ſibi concedi, *dare & accipere*, ut à Paupertatis Voto abſolvatur. Solo ac ſimplici Uſu, contentus erit; Imò numquam Votivam Paupertatem violaturum ſpondet, omnemque à Se, tum in Vitâ, tum in Morte, Proprietatem exulem futuram.

§. VI.

Si Canonicus Regularis cenſetur Capax Beneficiorum Secularium Parochialium; eodem jure cenſeri debet Capax Beneficiorum Canonicalium pariter Secularium.

I. QUoties verum ſit, Regulares Canonicos Seculares Parochias conſequi poſſe adminiſtrandas, ſi Res ſpectetur, *de Jure Communi*, quod nullatenus tali conſecutione eos prohibet, ut pluribus alibi jam oſtendimus; ſentio abſque ullâ prorſus hæſitatione, inde inferri, immeritò eoſdem arceri à Beneficiis Canonicalibus Secularibus; ac proinde, qui eos non excludunt à Parochialibus, fas eſſe concedant iis etiam ineſſe Jus, & Capacitatem, ad Beneficia Canonicalia: Celebris namque eſt hęc maxima, quam frequenter ob oculos habebis, ſi Decretalium Libros evolvas: *ubi majus conceditur, minus conceſſum eſſe videtur*; ſicuti è contra, juxta Gloſſam, *cui interdicitur minus, & majus probibitum eſſe videtur*. Sic alibi legitur, *& ſi in dando quod majus eſt, facilis fuit charitas: ſit facilior in concedendo, quod minus eſt ſancta largitas*: quod hac paritate firmatur: *Si enim animæ hominum pretioſiores illi creditæ ſunt, multò magis oportet eum Curam de pecuniis agere*: Cum mandatur, ut alicui provideatur de Beneficio; *de animarum Curâ mentione non habita*; non illi debet conferri Eccleſia aliqua Parochialis; *Quia*, ad eam regendam, *major idoneitas requiritur*. Quoties ergo, quis promovetur ad Curam Animarum, potiori jure videtur poſſe illi conferri Canonicatum, ad quem minor idoneitas requiritur. Hocce pacto ſemper verificabitur, quod, *cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*; & quamvis non ſemper, *plus qualitate, includat minus*, nihilominus ferè ſemper ita Res ſe habet, ut *minus*, includatur in majori; & ita contingit in caſu noſtro, quod ſic probandum aggredior.

3. Decretal. de decimis tit. 30. cap. ex parte 27.

16. q. 2. Viſis.
32. q. c. præcipimus.

3. Sexti Decretal. de præbend. & dignitat. tit. 4. cap. cum 16.

Ibidem de reg. juris 53.
Gloſſa ibidem.

II. Neminem latet, quàm ſit eminens Dignitas Parochi, in quâ gradus celſitudine conſtituti ſunt ii, quibus Animarum regimen incumbit, à quibus pendent Populi uti à Paſtoribus ſuis ſpiritualiter paſcendi. Satis veritas hæc nota eſt, & omnibus manifeſta. Scitè Angelicus Doctor eleganterque eos nuncupat ſecundi Ordinis Principes in Eccleſiâ, ſubrogatos 72. Diſcipulis, cum ait: *Baptizare pertinet ad minores Principes Eccleſiæ; ideſt ad Presbyteros, qui tenent locum Septuaginta Diſcipulorum Chriſti*. Eos immediatè à Chriſto poteſtatem Hierarchicas functiones exercendi accipere, eorumque Inſtitutionem divinam planè eſſe, non eſt animus nobis aſſerere; at, eorum Statum maximę perfectionis eſſe, & valde ſublimiorem non eſt cur ambigamus; quippè debet manare in animas fidelium ſibi concreditas, eorum virtus; & ipſis curæ eſſe debet, ut Doctrinæ Vitæque præclaris exemplis, Populi in Dei cultum, & Sacrarum rerum venerationem excitentur, & ad Conditorem, Redemptoremque ſuum, quàm maximè fieri poteſt, reducantur. *Status Curatorum*, ait Gerſon, *eſt ſtatus perfectionis, non tantùm acquirendę, ſed etiam exercendæ, cum ſibi competat tam obligatio, quam auctoritas, reducendi animas ad Deum, ſecundùm hierarchicos actus, qui purgare, illuminare, perficere nominantur*: At verò, nec tanta Perfectio, nec tanta Scientiæ extenſio & profunditas requiritur in Candidato Eccleſiæ Cathedralis. Vocabulum Canonici commune fuit & Parochis: *in Parochiis Canonicus eſſe dignoſcitur*; ſupra quem Canonem, ait Thomaſſinus; *Qui enim his alligantur, ideſt Parochiis, Canonici hic dicuntur*. Mos olim erat, ut Epiſcopi, ſpectatę probatæque vitæ Canonicos remunerarentur *Parochiis ... tum in Urbe, tum Ruri . . . Epiſcopus aliquos de ſe, vel de Eccleſia optimè meritos, in agreſtes Parochos transferebat*. Etſi interdum Parochos in Cathedralium Eccleſiarum Canonicos migrare deprehendamus; regimen tamen Parochiæ, ut plurimùm, non dimittebant nuperi iſti Canonici. *Canonico huic novo Cura ſemper incumbit, & regimen Parochiæ Prioris*. Non inficior, ſpectabilem eſſe Canonici honorem, at multò conſpicabilior ac præclarior eſt Animarum Cura. Quid, igitur, reponent ii, qui Canonicos Regulares cenſent Capaces, ut iis Animarum regimen commendetur, non ſic, ut in

Gloſſ. Lucæ 10. 3. p. qu. 67. art. 2. ad 2.

Tom. 1. pag. 191.

Concil. Arvernen. can. 15.

Thomaſſin. par. 1. l. 3. cap. 8. n. 3. 6. & 10.

in Eccleſiis Canonici efficiantur? Non certè Secularitatem, objicient quam indueret Regulares Canonicos; nam utrobique hæc ex æquo reperitur. Multo minus rationem Canonicatus opponent; cùm hic unus idemque, ſit, ſub duabus tamen differentiis, Regularis, & Secularis. Nec Vitæ perfectionem, à qua excideret; nam hæc in ſubſtantia colitur & in Eccleſiis Cathedralibus, ab iis, qui Vitam ſuam ex pręſcripto Canonum inſtituere ſatagunt. Ad hęc; Canonicus Secularis & ipſe Animarum ſaluti, divino cultui mancipatus eſt; habita ratione reſidentiæ in Choro, & Miniſteriorum, quę ipſi incumbunt, ideſt Pœnitentiarii, Theologi, & Magiſtri; adeo ut, & in Canonicis Secularibus, non ſecus ac in Parochis, vera ſubſiſtat Clericatus eſſentia, quem utrique profitentur in Bonum Populi, juxta illud Auguſtini, *Clericatus propter populum*.

Serm. 355.

§. VII.

Capacitati Canonicorum Regularium ad Canonicatus Seculares Sacri Canones non adverſantur.

I. SI id poſſem præſtare, nempe Capacitatem Canonicorum Regularium ad Canonicatus, Sacris Canonibus inniti, vel ob eam rationem, quod nihil in iis ſit, quod illam deſtruat, ac nulla apud eos occurrat Lex, quæ illi quoquo modo obſiſtat; non parum me feciſſe crediderim. Inſigne eſt, tum in Jure Civili, tum Canonico, crebrò repetitum axioma, id licere, quod Legis interdicto non ſubjacet. Frequenter occurrunt hæ Sententię: *Quod enim non prohibetur, permitti intelligitur*: *quicumque non prohibetur, per conſequentiam admittitur*: *Cùm regulariter, qui non prohibetur expreſſè ad exercendum procurationis officium, idoneus debeat reputari*: Poſtremo, ut pronuntiaret licitum eſſe ſuis Canonicis, *Linum induere, & carnibus veſci*, ſatis fuit, Aquiſgranenſi Concilio notitia, quod id, *in Sacris Canonibus illis prohibitum non legitur*. Hoc ſuppoſito; dum Adverſarius, cui incumbit, ſi quę ſunt, objecta proferre, Textus Juris Canonici diligenter exquirit, quibus Capacitas noſtra evertatur; libeat factum quoddam producere, in quo Innocentius III. nullam contrariam legem allegavit. Moneo interim loqui nos de Canonico Regulari profeſso, nam ſine dubio, *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non eſt, infra probationis annum, alicui conferendum*.

De jure fiſci lib. 10. tit. 1. cap. cum forma. Gloſſa lib. 4. Decretal. tit. 1. de Sponſal. & matrim. cap. cum apud 23. de Procuratorib. tit. 19. cap. 1. non indiſcrete in 6.
Conc. Aquiſgran. art. 816. can. 115.
Cap. beneficium 4. de Regular. in 6.

II. Clericus quidam Secularis graviter ex infirmitate decumbens, & de recuperandâ ſalute deſperans, *habitum Canonicorum Regularium petiit, & accepit*. Canonicum induens ea ſpopondit, *quæ ſolent in hujuſmodi repromitti*. At tametſi Regularem habitum aſsumpſiſset, nunquam tamen ad ſuam Eccleſiam ſive Canonicam ſe contulit, *utpote infirmitate gravatus*; *nec Bonis ſuis uti ceſſavit*; ſed de iis, perinde ac Propriis, & nunquam abdicatis, adhuc diſponebat. Convaluit tandem, & ſexdecim annorum ſpatio, ut ait Gloſsa, *Seculariter ſe habuit*. In hoc rerum ſtatu, conſciis Archiepiſcopo, Priore, & Canonicis Eccleſiæ Nazarethenſis, *à quibus habitum ſuſceperat Regularem*, Acconenſis Epiſcopus, tametſi idem ipſe eſset, qui tunc Prior erat, cùm Clericus ille Regularem Canonicum induit, oblitus, inquit, Innocentius III. eorum, quę, eo Priore geſta erant, nimirum, quod, illi *habitum Canonicorum Regularium*, dediſset, in ſuamet Eccleſia Acconenſi, Canonicum eum fecit: *Tu ... in Acconenſi eum Canonicum ſuſcepiſti*. Poſtea vero idem Acconenſis Antiſtes rei veritate compertâ, & agnitis iis, quę in perſonâ nuperi iſtius Canonici acciderant, Pontificem rogavit, *utrum eſſet compellendus habitum reſumere Regularem*; ſin, *quid ſuper hoc facere ipſe deberet* Innocentius III. ſic reſpondit: *Si Regularem habitum ſe poſtulante ſuſcepit, & ad obſervationem Religionis Canonicæ ſuâ ſe Profeſſione ligavit, ad reſumendum habitum, Eccleſiaſticâ eſt diſtrictione cogendus*.

Lib. 3. Decretal. tit. 31. de Regular. C. ſicut nobis 17. Innocen. III.
Gloſſa hic.
V. Gloſſ.

Eſt hîc Loci diligenter perpendenda Innocentii III. reſponſio, tanto Pontifice digna. Primò enim non ait, à Canonicatu Acconenſi Seculari eum amovendum, quòd Regularis Canonicus eſset, ideſt, Canonicatuum Secularium Incapax. Antiquioris juris nullam ingerit legem, quę eam Collationem vetet, nihilve Sacris Canonibus adverſari. Rem in quęſtionem, ut ita dicam, vocavit, prudentiſſimâ conditione interjectâ, *ſi Regularem habitum ſuſcepit*. Hoc eſt ſi Clericus iſte habitum ſuſcipiendo abſolutâ ſponſione ſe perpetuò Canonico Ordini mancipavit, atque ad Regulares Obſervantias nunquam abiiciendas, *ſua ſe Profeſſione*, ligavit; vel, ut alibi idem

Ibid. cap. Conſulti 20.

idem Innocentius, ait; videndum eſt, *utrum is propoſuerit abſolutè vitam mutare*; Æquum ac rationabile eſt, ut reſumat habitum, & promiſſis Deo factis ſtet: *Ad* Ibidem. *reſumendum habitum cogendus*; ſive, prout in alio caſu idem Pontifex ſanxit, *debet, ut Regulariter vivat, ad laxiorem ſaltem Regulam pertranſire*. Non admiſit ęquus Pontifex uti legitimam excuſationem non redeundi ad Religionem, quòd plurium annorum intervallo, nunquam ad Clauſtrum ſuum acceſſiſſet, ideſt *tanto tempore extra Canoniam*, degiſſet; Imò ex hoc gravius erat ejus delictum: *Cùm . . . non in excuſationem ejus, ſed in majoris transgreſſionis argumentum, meritò valeat allegari*. Ponderavit, ergo, Innocentius III. ſubſtantiam, & vim Profeſſionis ejus, & juxta ipſius expreſſionem ac intentionem deffinivit, quòd Clericus ille, ſi nexu Profeſſionis abſolutę ſe ipſum ad Canonicas obſervantias obligavit, debet Canoniam ſuam repetere, ac Regulari Diſciplinæ ſubjicere, *ad reſumendum habitum Eccleſiaſticâ eſt diſtrictione cogendus*.

III. Pontifex, eâ Epiſtola reſponſivâ, unam tantummodo Hypotheſim fecit, Cap. Conſulti. nempe: *Si Regularem habitum ſuſcepit . . . & ſuâ ſe profeſſione ligavit*. Idem eſt, ac ſi dixiſſet Pontifex, ut alio in caſu huic affini dixit: *credimus, diſtinguendum; utrum* Cap. ſtatuimus 23. *is propoſuerit abſolutè vitam mutare . . an conditionaliter experiri obſervantiam Regularem*. Sanè ſi Clericus ille non abſolutè voviſſet, ſeu, ſi ſe ſuâ Profeſſione non ligaſſet: *In Religione perpetuò Domino deſervire*, cenſerem, & fortè non temerè, nequaquam adigendum fuiſſe ad reaſſumendum habitum Regularem, quia Profeſſio ejus habenda fuiſſet, ut Conditionalis, quo ad perſeverantiam, nec ne, ſub Diſciplinâ, ac rigore Regulari. Conditio, ſiquidem, poteſt apponi & circa Obſervantiam Regularem, Probationis tempore, experiendam, & quo ad durationem perpetuam, ſeu quo ad Perſeverantiam finalem, ſub Obedientiâ Clauſtrali. Ut ut hæc ſint. Nobis liquidò conſtat, Canonicum Regularem Lateranenſem, cùm Solemniter Vota Sua nuncupat, minimè perpetuam ſtabilitatem in Obſervantiâ Regulari Clauſtrali polliceri, neque vovere *abſolutè*;.. *in Religione perpetuò Domino deſervire*. Ipſe enim Vitam Laicalem in Canonicam commutat; Et ſe obſtringit, haud tamen renunciando juri acceptandi Beneficia cum Curâ & ſine Curâ, cum licentiâ Religionis. *Conditionaliter* vovet quo ad Perſeverantiam uſque ad mortem ſub Regulâ Religionis. Libertatem ſibi retinet eximendi ſe ab iis Obſervantiis, quæ in dies oneroſiores fieri poſſunt humanitati noſtræ; quæque cum adminiſtratione Beneficii ſtare non poſſunt. Hęc ea libertas eſt, quam ſibi excepit in ipſis primordiis ſui ingreſſus in Religionem; & maximè in actu Solemnis Profeſſionis. Hujus libertatis uſus honeſtus eſt ac rationabilis; ſicuti honeſtus & laudabilis eſt Status Curati & Canonici Secularis; præcipuè, quia Canonicus Regularis per hunc tranſitum, ſive per reſervationem hujus uſus, nequaquam excidit à gradu ſuo, nempe Canonici Regularis, ſi in ſubſtantiâ, ſive, ſi quidditativè Regularitatem ſpectemus. Quia ergo Canonici Regulares Lateranenſes ſuâ ſe Profeſſione haud ligant perpetuò in Religione Domino deſervire, & jus retinent acceptandi Beneficia cum Curâ & ſine Curâ, ſi eis provideretur de aliquo Canonicatu in Eccleſiâ Seculari, compellendi non eſſent reaſſumere habitum Regularem, neque eo expoliandi eſſent. Nam conditionem quamlibet, dummodo non iniqua ſit, ſed rationi conſentanea, contractui apponi nil vetat, appoſitam verò obſervari fas eſt; contemnere nefas.

Gloſſa. IV. Occurrit primò notandum in Caſu ſupradicto, reprehenſibilem fuiſse eum Clericum, quoniam, *per multa tempora ſeculariter vixit*. Et ſi voviſset Stabilitatem in vitâ Regulari, abſque ullâ reſervatione, jam non illi licuiſset extra Clauſtrum degere; nec irritam facere ſuam ſponſionem; nam *contra Votum non præſcribitur*. Obſervatur deinde, non caruiſse culpâ Archiepiſcopum, & Priorem Nazarethenſem, qui, cùm illum viderent ſeculariter vivere, *& tanto tempore extra Canoniam*, vagari, *nec Bonis ſuis uti ceſſantem*, *tenebantur eum revocare*; ſaltem, ne violaret pollicitationem ſuam, ſi abſolutè voviſset, vel ut ſe ipſum purgaret, ſi conditionatè ſolum promiſiſset, aut omne jus ſuum ceſſiſset, majoris perfectionis deſide- De Regular. C. ſtatuimus 23. rio; *Cùm quilibet*, inquiebat Gregorius Nonus, *renuntiare valeat ei, quod pro ſe noſcitur introductum*. Notat poſtremò Gloſsa, quòd ſi contigiſset hunc Regularem Canonicum, dum *ſeculariter ſe habuit*, Vitâ fungi, priuſquam revocaretur ad Clauſtrum: Regulares Eccleſiæ Nazarethenſis Canonici, *ad bona ipſius aſpirare non de-* C. de lat. libert. tollend. l. unica §. ſed ſcimus. *buiſſent*, hac de causâ, *quia quem vivum contemſerunt, non poſſunt mortuum ſuum dicere*. Ex oppoſitâ ratione, videtur poſse nunc Regulares Canonicos aſpirare ad Bona Defuncti eorum Concanonici, de Canonicatu Seculari proviſi, quandoquidem

ſemper

ſemper hujuſmodi quoad vivit, Religionis eſt filius. Si è Religione diſcedit, id fit cum facultate ejuſdem, & uti filio ſemper illi integrum eſt, ad ſinum matris ſuæ redire, quæ nunquam illum deſpiciet, ſed eum ſemper, uti filium, amplectetur, & læta excipiet. Nec deſinit hæc filiatio dum moritur; nam ęquè pro ipſo ac pro cæteris Canonicis defunctis, publica indicuntur, & celebrantur ſuffragia; ac proinde eum Concanonici jure, *mortuum ſuum dicere poſſunt*, & conſequenter, meritò, *ad Bona ipſius aſpirare deberent*, ſi nihil aliud obſtaret.

At redeamus ad noſtra. Obſervavimus jam, explicantes Capitulum, *præterea*, Gloſſam, ex eo indefinitè judicare ſtare argumentum, *quòd Canonicus Regularis poteſt fieri Archidiaconus*. Item in Commentariis ſupra Caput, *Deus qui*, notavimus hæc Gloſſæ verba, videlicet; *Eſt hic argumentum pro opinione Hugonis, quòd Canonicus Regularis poſſit fieri Canonicus in Eccleſia Seculari, ſicut Monachus poteſt eſſe Epiſcopus, in Eccleſia Seculari.* Animadvertit Gonzalez, quòd *Canonici Regulares conſentiente Epiſcopo Seculares fieri poſſunt.* Hoc ſi verum eſt, exhibet nobis motivum dicendi, quòd Re ipsâ nullum eſt impedimentum, quòd fluat ex conditione perſonæ, aut ex Regularitate. Quoties enim Epiſcopus cum ſuo Capitulo conſentiat, illicò mutatur Canonicorum Profeſſio, & ipſi Seculares evadunt. Quodnam igitur erit obſtaculum ex parte Canonici alicujus Regularis privati, quo prohibeatur conſecutione Secularis Canonicatus, ubi adſit Epiſcopi, & ſui Superioris conſenſus; dum, his poſitis requiſitis, integrum Capitulum poteſt in Secularitatem abire?

Cap. Præterea 14. de præbend. & de dignitat.
Deus qui .. de vita, & honeſtate Clericor. cap. 11.
Tom. 3. tit. 48. de Eccl. ædificand. cap. ad audientiam 5.

V. Addendum præterea Regulares Canonicos propriè, & ex ſe eſſe Canonicos, hocque nomine ſemper donatos fuiſſe eos Clericos, qui Regulariter vivunt *Clerici Regulares*, ait Gonzalez, *appellantur abſolutè Canonici uſu antiquiſſimo, & apud omnes veteres, ante ſexcentos annos recepto*. Et quoties profertur hoc vocabulum, *Canonicus*, etiam Regulares includuntur in iis, quæ cum eorum Regularitate componi poſſunt: *Simplici vocabulo Canonici, veniunt etiam Regulares: Si materia hoc patiatur,* ut, ait, Gloſſa. Ulterius, ſi verum eſt, Canonicos Regulares Lateranenſes, *potius de Clero Seculari participare*, Ut ſentit Eminentiſſimus Petra, & juxta Sententiam Cardinalis de Luca, ſi *Canonici Regulares ſub Clero Seculari potius recenſeri ſolent, & de Clero Seculari juxta Hierarchicum ordinem recenſentur*: Si, inquam, hæc omnia ita ſe habent, ut à Viris eximiâ tum Doctrinâ, tum Dignitate fulgentibus, prodita ſunt; quæ Profeſſionis mutatio, quando Canonico Regulari de eo providetur Beneficio, cujus capaces cenſentur etiam Juniores quique Clerici; ſi tamen illud verum eſt, quòd, *impubes poteſt eſſe Canonicus Eccleſiæ Cathedralis .. de jure communi*; ut quibuſdam videtur; &, ad obtinendum Beneficium ſimplex, *ſufficiat ætas ſeptem annorum?* Mutatio ſanè, quæ non deberet adeo formidari. Certè idem eſt Canonicatus in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, qui in Abbatiis Regularibus eademque Regularitas, ſi eam in ſubſtantiâ ſpectemus, tum ob Caſtimoniam, & Obedientiam, quàm ob Paupertatem, cui addiceretur hujuſmodi Translatus, qui certè, tum vivens, tum moriens, omnem à Se Proprietatem eliminare deberet. Plura ſunt in Hiſpaniâ, & præſertim in Cathalauniâ Cathedrales Canonicorum Regularium, qui tametſi Regulariter vivant, nihilominus *ſingulas ſibi ſinguli præbendas habent*, nec tamen idcirco Paupertati, *quam profeſſi ſunt* quoquo modo refragantur; iis enim præbendis potiuntur dumtaxat quoad uſum, & adminiſtrationem: *Dominium quippe & proprietatem vindicare ſibi non poſſunt*; ac proinde parati ſemper ſunt omnia in manibus Superioris ſui relinquere, qui in eo caſu iis neceſſaria ſubminiſtraret: *Canonicus*, inquit Barboſa, *qui portionem poſſidet, itaut non ſit animo etiam ad Superioris nutum relinquere, peccat manifeſtè contra Votum ſolemne Paupertatis, & tenetur dictam portionem reſtituere*. Regularis Canonicus ita Seculari Canonicatu potiretur, ut ſolo Uſu, & Adminiſtratione contentus, omnem à ſe Proprietatem expelleret, & ſic Adminiſtratione, & Uſu privari non poſſit, quia natura Collationis eſt quædam ſpecies perpetuæ deſponſationis, ſecundùm quam debet Beneficiatus, Se, & ſuam Sponſam ſuſtentare, Dote Beneficii, quo ſine, jam unde alimoniam ſumeret, non haberet, nec unde compenſaret ſe pro famulatu, & Miniſterio, quod Altari præſtaret, cùm de jure divino: *Qui ſervit altari de altari vivere debeat*: Et ex lege Eccleſiaſticâ, *Beneficium detur propter officium*: & de jure naturæ, illi, qui ſervit, debita ſit alimonia, juxta illud Scripturæ: *non alligabis os Bovi trituranti: debet in Spe, qui arat arare*. Monitum velim lectorem mihi abeunti in Bavariam ac Germaniam primâ Julii anni 1731. fuiſſe licentiam conceſſam ab Eminentiſſimo Vicario Romæ celebrandi Miſſam etiam extra Urbem .. addendo

Lib. 2. Decretal. tit. 28. de appellat. C. de Priore 31. V. Canonicus.
In cap. 2. ſi Canonici de Officio ordin. tit. 16. 6. Decretal. V. Canonici litt. A.
Tom. 5. pag. 522. §. Opinor in annotat. ad Concil. diſcur. 35. num. 7.
De Regular. diſcur. 19. num. 5.
Gloſſ. in cap. 32. ex eo quod de elect. & electi poteſt. tit. 6.
Vid. Gloſſ. ibidem tit. 6.
Thomaſſin. par. 1. lib. 3. cap. 21. n. 12. §. non paulo.
Barboſ. de dignitat. & Canonicat. cap. 1.
Deuter. cap. n. 1. Cor. cap. 9. n. 4.

Titulus fuit: Dilecto Nobis in Chriſto Reverendiſs. P. D. Cæſari Benvenuti Abbati Privilegiato Canonicor. Regul. Lateranenſium. Extat in Archivo S. Mariæ Pacis de Urbe Autographum.

dendo hæc verba: *Monentes te, quòd .... ſi .. de aliquo Beneficio Eccleſiaſtico perſonalem Reſidentiam .. requirente proviſus fueris ...* Hæc indicare videntur Capacitatem quâ de hîc agitur.

ARTICULUS XV.

De Capacitate Canonicorum Regularium ad Beneficia Sæcularia Simplicia.

§. I.

Quid ſit Beneficium Simplex, & quid Penſio.

I. EGimus hactenus de Capacitate Canonicorum Regularium ad Beneficia quævis Secularia Reſidentialia, conglobatis rationibus ex jure præſertim Canonico petitis. At verò nihil vel certè parum hucuſque de Beneficiis Simplicibus, hâc in Opellâ, inquiſitum eſt. Quoniam, igitur, non minimum facit etiam negotium, ac rebus noſtris non minus conducit, oſtendere, poſſe etiam Canonicos Regulares, ex vi ſui Clericatus, Beneficia, quæ vocant, Simplicia, & Penſiones obtinere; Ideo opere pretium duximus, hoc loco inquirere, num reverâ Canonicorum, de quibus agimus, Regularitas obſtet, quin iiſdem Simplicia Beneficia licitè conferri poſſint. Primò, quidditatem, & Eſſentiam Beneficiorum Simplicium, ac Penſionum inveſtigabimus, tum eorum originem; poſteà, quibus hæc Beneficia ſint conferenda; ac deinde, num etiam Canonici Regulares ea conſequi poſſint examinabimus.

Cicero de officiis lib. 1.

II. Acturo de aliquâ Re, primò occurrit ejus Rei notio exponenda. Quidditas, nempe, & Rei ipſa eſſentia: *Omnis*, enim, ait Cicero, *quę à ratione ſuſcipitur de aliqua Re inſtitutio, debet à definitione proficiſci; ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur.* Ut, ergo, ritè Beneficium Simplex definiamus, primò, quid ſit Eccleſiaſticum Beneficium in genere, eſt inſpiciendum. Navarrus, cui concinunt plures è Canoniſtis, *Jus percipiendi aliquos fructus, ſive reditus Eccleſiaſticos*, vocat Beneficium, propriè ſumptum. Alii verò ferè communiter, Eccleſiaſticum Beneficium generaliter acceptum à Canoniſtis definiunt, quòd ſit, *Jus perpetuum ad percipiendos reditus Eccleſiaſticos, ratione ſpiritualis officii, perſonæ Eccleſiaſticæ, ab Eccleſiaſticâ perſonâ, collatum.* Ex his, Beneficii Natura, ne dum, ſatis conſtat, verùm & obligationes illius, qui Beneficio potitur, per ea appoſita verba ſcilicet: *Ratione ſpiritualis officii, perſonæ Eccleſiaſticæ*: additur etiam, *ab Eccleſiaſticâ perſonâ collatum*, ut omnis Laicis derogetur poteſtas Beneficia conferendi; quæ, utpotè Bona Eccleſiæ, ſicuti eum debent habere Miniſtrum, & Dominum, qui Eccleſiæ obſequio mancipatus ſit; ita etiam eum requirunt Diſpenſatorem, ſive Collatorem, qui in Eccleſiâ, miniſterium ſit ſortitus, ejuſque ſervitio addictus exiſtat. Hac poſitâ Beneficii in genere definitione, Simplicis Beneficii definitio reſtat ſtatuenda. Rebuffus, non aliam agnoſcit diſtinctionem inter Beneficia Eccleſiaſtica Secularia, niſi quòd alia ſunt cum adminiſtratione, quædam verò adminiſtratione carent: hæcque vocat Beneficia Simplicia; ac propterea, Canonicatus, Præbendas, Cappellanias etiam eſſe Beneficia merè Simplicia aſſerit; quia, nempe, adminiſtrationis totius expertia ſunt: *Canonicus enim*, inquit, *ratione Præbendæ, Sacramenta non adminiſtrat, ſed Deo ſervit in Horis cantandis: ideo ſine adminiſtratione dicitur.* Ex quo, Beneficium Simplex eſt, quòd *Curam Animarum non habet*. Concinit Navarrus ſic: *Nec obſtat*, inquit, *quòd Canonicatus videtur, ſecundùm aliquos, Reſidentiam Perſonalem requirere: quia hoc non ſufficit ad hoc ut Beneficium deſinat eſſe ſimplex*; quandoquidem Jure Communi omnia Beneficia requirunt Reſidentiam Perſonalem. *Unde* alibi ait, *ſecundùm receptam Sententiam, Canonicatus eſt Beneficium Simplex*. Hoc indubium eſt apud omnes Doctiores ac cordatiores Canoniſtas cum

Conſil. l. 3. conſ. 8. n. 18. de jure patronatus.
Garzia de Benef. p. 1. c. 2. n. 2. & Lotter. qu. 3. l. 1. num. 1.
Tom. 4. de libert. Eccl. c. 1. num. 6.
In praxi Beneficiorum 1. p. pag. 6.
De Simonia Conſil. l. 5. conſil. 97.
De injur. & damno dato conſil. 15.

cum Navarro: *Quòd omne Beneficium etiam ſimplex requirit reſidentiam jure Communi antiquo attento, ſecundùm Innocentium communiter receptum, pro quo eſt cap. (conquærentes) tum quia propter officium detur Beneficium.* Nunc autem, & fortè rectius, vel ex Privilegio, Diſpenſatione, ſive conſuetudine Beneficium Simplex poteſt accipi, quòd ſit, *Jus percipiendi fructus ex Bonis Deo dicatis, Clerico competens, propter Divinum Officium;* quibus verbis, quamvis Beneficium in totâ ſuâ latitudine ſumptum accipiatur, revera tamen ſola Beneficia Simplicia comprehenduntur per ea verba: *Propter Divinum Officium;* quoniam ad connotandum Reſidentiale Beneficium, ſoleant Scriptores hos terminos uſurpare: *Propter officium ſpirituale, ſeu propter Eccleſiaſticum munus perſonaliter adimplendum.* Sanè nunc compertum eſt, Beneficiarios Simplices, ut plurimùm, ſolâ Divini Officii recitatione obligari. Obſervavimus etiam, explicantes in Art. VIII. terminos formulæ Profeſſionis, *Cum Curâ vel ſine Curâ*, per terminum, *ſine Cura*, Gloſſam accipere, Beneficium Simplex, illud autem, juxta eandem Gloſſam, eſſe, *quod non habet juriſdictionem in Foro Pœnitentiali, vel contentioſo.* Nunc, quid Penſio ſit, inquirendum eſt.

Conſil. 3. de Cler. non reſid. conſ. 4. In cap. finali de Cler. non reſid. cod. tit. C. fin de Reſcriptis lib. 6.

III. Martinus ab Azpilcueta, Doctor Navarrus, celeberrimus jure conſultus ſæpe laudatus, & Canonici Ordinis noſtri eximium decus, refert in quodam Conſilio definitionem Penſionis factam à Guillelmo de Laudano Cardinali, & ab Imolenſi, quos ſequitur Felynus, & Gigas: quòd, nempe, *Penſio ſit certa portio fructuum ex aliqua menſa, vel Beneficio ad tempus ſeparata, & conſequenter, res merè temporalis, & redimibilis.* Peccat porro hæc definitio in multis, ut optimè notat idem Doctor. Primò quidem, quia non convertitur cum ſuo definito, ut debet converti, ut cuivis notum eſt, juxta l. 1.: *Convenit enim illa*, inquit ipſe, *multis, quibus non convenit Definitum: quia convenit omnibus ſtipendiis, quæ conſtituuntur ex menſa Eccleſiæ, vel de fructibus beneficiorum ad tempus, quibuſcumque etiam Laicis, cujuſcumque ſexus, qualitatis, & officii fuerint, ob benemeriti vel ob aliquod officium in Eccleſiæ obſequium exercendum, quale habent aliquot Medici, Chirurgi, Sacriſtæ, Campanarii, Latomi, & Fœminæ curantes infirmos in hoſpitalibus beneficiis annexis, & Cantores, Bedelli, & alii ſimiles quibus non convenit definitum, ſcilicet penſio Eccleſiaſtica beneficialis de qua loquimur.* Aliam proinde dat ipſe in manuali Confeſſariorum, quam & hic denuo firmat, quòd, nempe, quemadmodum Beneficium non ſunt fructus, qui percipiuntur ex illo, ſed jus illos percipiendi; ita & Penſio non eſt certa portio &c. *Sed jus non temporarium, ſed ſpirituale, aut illi annexum, non antecedenter, ut jus patronatus, ſed dependenter, aut conſequenter inſtar beneficii, percipiendi illam certam portionem ex menſa, vel beneficio ad tempus ſeparatam:* unde liquet, *Penſiones eſſe partes beneficiorum, & ejuſdem cum illis compotes conditionis.* Alibi etiam idem Navarrus, concludit; *Penſionem eſſe jus ſpirituali annexum, ut eſt etiam beneficium; quippe quod ſuapte natura requirit Clericatum, immo de Stylo Curiæ requirit, quòd ſit legitimus, & per Conſtitutionem fel. record. Sancti Pii V., obligat ad Horas ſaltem B. Mariæ.*

Conſil. l. 5. conſil. 63. de Simonia.

Ibid. num. 6.

Cap. 23. num. 3.

Tom. 3. pag. 442. num. 5. de Simonia conſ. 61.

Ex his habes Penſionem non idem verè eſſe quod Beneficium; eſſe tamen quid Beneficio ſimile. Ad Penſionem obtinendam ſufficiunt ſeptem anni, ex decreto Sacræ Congregationis Concilii apud Thomaſſinum; & ad Beneficium omne, requiruntur 14., ergo non eadem Beneficii ac Penſionis ratio eſt. Cùm autem Gregorius XIII., eique conſentiens Congregatio Concilii, Privilegium fori ad hos Clericos Penſionibus gaudentes ampliarit, perinde ac ſi Beneficio gauderent: Novimus Penſionarium in favorabilibus cenſeri tanquam Beneficiarium, propterea quòd, ex receptiſſimo axiomate, favores ſint ampliandi; in odioſis verò non cenſeri, tanquam eum, qui Beneficio gaudet: quanquam in odioſis etiam aliquando uterque iiſdem ſubjaceat oneribus.

P. 1. l. 11. cap. 70. n. 8. pag. 452.

§. II.

Origo Beneficiorum Simplicium, ac Penſionum inveſtigatur.

I. A Temporibus Sancti Gregorii Magni repetendam eſſe Beneficiorum merè Simplicium originem, contendit Braſchius; imò ad remotiora etiam Eccleſiæ Secula, priora, nempe, pertinere, non ſolùm Beneficia Reſidentialia, ſed etiam merè Simplicia: Demum, illam ipſam eſſe Beneficiorum Simplicium originem, quæ cæterorum eſt Eccleſiæ Beneficiorum. Non eſt hìc à nobis diſcutiendum, utrum ne priſcis illis Eccleſiæ Seculis, verè diſtingue-

Tom. 4. c. 2. & 3. & 4. latè per tot.

C. 2. n. 1. cap. 4. n. 21. & alibi.

ſtinguerentur Beneficia non Reſidentialia, à Reſidentialibus; Cùm liquidum ſit, quòd & alibi hoc in opere animadvertimus, per ea tempora, quando videlicet, fundos nondum habebat Eccleſia, ſed ex fidelium Oblationibus, Sportulis, Decimis, Primitiis, alimoniam miniſtris ſuis præbebat, Beneficia minimè extitiſſe, eo modo, quo nunc, quamvis eo etiam tempore Beneficia extarent. Tunc, enim, Eccleſia nondum benè ſtabilita ab Hoſtibus ſuis dirè vexabatur, adeo, nullus ut propemodum locus Sacris Miniſtris remaneret, in quo ſuam figerent ſedem: dum etiam, huc illucque eos avocabat propagandi Verbi Dei neceſſitas, firmandique in fide eos, qui jam crediderant. Aderant, quidem, tunc Eccleſiæ, Oratoria, Cappellæ: unam ex iſtis Eccleſiis memorat etiam Apoſtolus Paulus, Romanis commendans, *Phæben*, operam dantem *miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris*: Cenchris, portus erat vel pagus, aut Suburbium Corinthi: Phæben Diaconiſſa Eccleſiæ ibidem erectæ, uti exponit D. Joannes Chryſoſtomus. Aliàs complures hujuſmodi Eccleſias commemorant ſequiorum temporum Patres; non propterea aderant tunc Beneficia mere ſimplicia, quæ nempe eximerent ſuos Beneficiatos à Reſidentiâ; quin imo, quidquid, ex iis, quæ ſuppetunt eorum temporum, monumentis, profertur, potius probat omnes Beneficiarios reſidendi lege obſtrictos fuiſſe. Nam quòd aliqui fortè non reſiderent, non hoc ideo erat, quia id concederet Beneficii lex, ſed quia neceſſitas temporum id poſtulabat; vel augendi fidelium numeri ſancta cupido, Sacros Miniſtros incendebat, ut longa itinera ſuſciperent, & in longinquis regionibus verbum Dei diſſeminarent.

Romanor. cap. 16. num. 1.
Cornel. à Lapide in Romanor. 16. num. 1.
S. Joan. Chryſoſt. in epiſt. ad Rom.

II. Non equidem inficias eo per id temporis Beneficia fuiſſe Simplicia, eo modo, quo Beneficia Simplicia definiunt laudati ſuperius, Navarrus, & Rebuffus; at nego ea fuiſſe, quæ Beneficiarios à Reſidendi lege abſolverent. Quòd attinet ad Gregorii Magni ætatem, fateor in ejus Papæ Epiſtolis innui Beneficia Simplicia; at non merè Simplicia juxta nuperum Scriptorem. Scripſit Gregorius Magnus ad Epiſcopum Firmanum, ut Oratorium conſecraret in Caſtello Comitis cujuſdam, qui id extruxerat, inſtruxeratque Dote idoneâ; utque Presbyterum ibi conſtitueret Cardinalem, ideſt, Titularem, à quo Sacra peragerentur Myſteria, pro Domino Caſtri, & Plebe, quæ advolaret. *Presbyterum quoque Te illic volumus conſtituere Cardinalem, ut quoties præfatus conditor fieri ſibi miſſas fortaſſe voluerit, vel fidelium concurſus exegerit, nihil ſit, quòd ad Miſſarum Sacra exhibenda ſolemnia valeat impedire.* Erat quidem hoc Beneficium Simplex; at, *Cardinalis*, ut inquit Thomaſſinus, *eo dicitur Presbyter, quòd illic alligatus ſit, ibi reſideat, proventuſque ipſe percipiat, præſit aliis Clericis ſecum ibi commorantibus, officia denique ibi nocturna, diurnaque perſolvat*, Addit, deinde, hoc, & ſimilia *Simplicia Beneficia*, non deſciviſſe, ſed excreviſſe in Parochias. Ejuſdem conditionis erat Beneficium illud Simplex, quod poſtulabat Aurelius ille Presbyter è Galliarum Partibus veniens; petebat, namque, ille Oratorium, aut locum, *qui Presbytero vel Abbate indiget*; *mandavit ergo Pontifex*, ut ait, Thomaſſinus, *Candido, ut cùm ſe daret occaſio, Aurelio conferret ejuſmodi aliquod Simplex Beneficium: in quo haberet ille, & Paupertatis levamentum aliquod ſuæ, & Pontificiæ largitatis beneficium.* Nullibi autem invenitur hujuſmodi Presbyter ab onere perſonaliter reſidendi abſolutus: quin, & ex verbis ipſius Gregorii ſatis innuitur, eum debuiſſe reſidere; quærebat, enim, Presbyter *Oratorium, aut locum, qui Presbytero, vel Abbate indigeret*. Ut quid autem Oratorium Presbytero indigeret, qui ibi non reſideret? Videant æqui rerum æſtimatores, an ejuſmodi Beneficia ea ſint, quæ conferrentur Presbyteris, *propter divinum officium, an propter Eccleſiaſticum munus perſonaliter adimplendum*. Certè Thomaſſinus de his & ſimilibus ſic loquitur. *Erant ea tum Simplicia Beneficia, ubi nec Parochia, nec Plebs erat, nec Animarum cura: at qui ea obtinebant, nihilominus, & Reſidentiæ, & quotidiano Eccleſiæ miniſterio, aſtringebantur*. Non vacat nunc plura hujuſmodi Beneficiorum Simplicium, quæ ad Reſidentiam obligabant, exempla afferre, quæ videri poſſunt apud laudatum Thomaſſinum, alioſque: Unum tamen alterumve dumtaxat libet adhuc promere, ut magis ac magis eluceſcat, Beneficiarios omnes, nedum priſcis Eccleſiæ Seculis, ſed & Undecimo, ac initio duodecimi unà Reſidentiæ lege, conſtrictos fuiſſe. Extat Alexandri III. Epiſtola ad Eboracenſem Archiepiſcopum, his terminis concepta: *Si Clerici, qui in Eccleſia tuæ juriſdictionis Beneficia ſunt adepti, ad aliam Diœceſim abſque tua conſcientia, & aſſenſu morandi cauſa tranſierint, Beneficiis, quæ à te habuerint, liceat tibi eos ſpoliare, niſi fortè Diſciplinis Scholaſticis invigilaverint, aut cauſam rationabilem tibi oſtenderint, quare reverti non debeant.* Hic ut appa-

L. 9. indict. 14. epiſt. 12.
Thomaſſin. par. 1. l. 2. q. 93. n. 13.
Idem S. Gregor. l. 9. epiſt. 65.
Ibidem num. 12.
Ibidem.
Append. conſ. Later. par. 30. cap. 6.

apparet nulla ſit diſtinctio Beneficiorum mere Simplicium, à Reſidentialibus; omnes interim Clericis reſidendi lex injungitur, ſub pœnâ privationis Beneficii. *Debet enim altari ſervire, qui de altario vivit.*

Nicoſienſes Conſtit. Ann. 1321. pag. 1749. tom. 7. Concil. Harduin.

III. Diffinit rurſus idem alibi Pontifex ad Beneficia quælibet admitti non debere, niſi qui ſpondeant in eis reſidere; non reſidentes verò iis ejiciendos eſſe, cum ita decreverit Concilium Lateranenſe III. *Relatum eſt nobis*, inquit, *quod cum in Lateranenſi Concilio ſtatutum ſit, ut Perſonæ talis Eccleſia, vel Beneficium Eccleſiaſticum conferatur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſe valeat exercere, nonnulli ad Eccleſias præſentati hoc ſe poſſe affirmant, ſed efficere contradicunt: cum igitur verba accipienda ſint cum effectu: tales, ſi præſentati fuerint, non debent admitti, & admiſſi poterunt amoveri; niſi fortè de licentia ſuorum Prælatorum, vel ſtudio litterarum, vel aliis honeſtis cauſis contigerit eos abeſſe.* Gregorius IX. Beneficiarios omnes unâ Reſidentiæ lege complecti viſus eſt ad Epiſcopum Argentoratenſem ſcribens. *Cum illi ſint in Eccleſiis idonei reputandi, qui ſervire poſſunt, & volunt in ipſis &c. Pueri, & Beneficiati, qui non poſſunt in eadem Eccleſia deſervire, in eâ non debent idonei reputari.*

C. relatum de Cler. non reſid.

C. ſuper inordinata de præbend.

Ex his, aliiſque, quæ lubens miſſa facio, abundè meo judicio conſtat fruſtra quæri in prioribus Eccleſiæ Seculis diſtinctionem Beneficiorum merè ſimplicium, ſive non Reſidentialium, à Reſidentialibus. Haud equidem inficias eo, hujuſmodi Beneficia mere Simplicia Originem ducere ab iis ſive Oratoriis, ſive Cappellis, ſive Martyriis, quorum mentio eſt in Veteribus Eccleſiæ Conciliis: haud, inquam inficior, ab iis Eccleſiis, & Beneficiis, quibus nec Parochia, nec Plebs, nec Animarum Cura adjuncta erat, effluxiſſe, moderna Beneficia Simplicia apud quæ, Sæculo præſertim Decimo, ac Undecimi initio, quia per deſuetudinem vel aliâ viâ, Reſidentia ceſſavit, feneſcente jam undecimo Seculo, Summi Pontifices, legibus promulgatis, Beneficiarios, immo & Clericos omnes, ad ſingularitatem Beneficiorum, & ad Reſidentiam compulerunt, *ſed*, inquit, author Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, *cum latè ſerpſiſſet, & tam altè diſcendiſſet ulcus, ut totum ſimul perſanari poſſe deſperaretur, Curæ interim maximè fuit, ut ſingularitas, & Reſidentia ſaltem in Beneficiis Curâ animarum gravatis, reſtitueretur.* Cœpit tunc primò tolerari ab Eccleſia abuſus ille non reſidendi in Beneficiariis, quibus non incumbebat onus regendi animas. Tum Gregorius IX. primus fuit, qui auctoritate ſuâ non reſidentes Beneficiarios, munire viſus ſit; eſt enim hoc ipſius Decretum. *Clericos in Eccleſiis tuæ Juriſdictionis Beneficia, quæ reſidentiam exigunt aſſecutos, ſi ad alterius Diœceſim morandi Cauſa tranſierint; liceat tibi, ſi moniti non redierint, dictis Beneficiis ſpoliare, niſi Cauſam rationabilem oſtenderent.* Verba hæc eadem ſunt, quæ ſupra retulimus Alexandri III. ad Archiepiſcopum Eboracenſem; additâ hac ſolummodo reſtrictione, *quæ reſidentiam non exigunt*: qua reſtrictione, oſtendit alia eſſe Beneficia, quæ reſidentiam exigunt alia nequaquam. *Intelligimus ergo*, ait ſupralaudatus vir, *illo temporis interſtitio, quod ab Alexandro III. ad Gregorium IX. ab anno 1180. ad 1230. elapſum eſt, eam invaluiſſe diſtinctionem Beneficiorum, quæ vel à compatibilitate, vel à reſidentia petitur.*

Thomaſſin. p. 2. l. 3. c. 34. n. 3.

Extra de Cler. non reſid. c. 17.

Ibidem.

IV. Cùm verò ab hinc jam nullæ penæ decernerentur, niſi ad aſſerendam Reſidentiam Parochialium Eccleſiarum, & Canonicatuum; eo ſilentio, eâ impunitate, patefactæ ſunt fores quo ad alia Beneficia ſeu licentiæ non reſidendi. *Exinde vero jam nihil dubitationis reliquum eſſe potuit in animis Canoniſtarum modernorum, quin Beneficia Simplicia ſoluta eſſent à vinculo perſonalis reſidentiæ; cum Generalis Conſuetudo in omnibus Eccleſiis receptiſſima, & præſcriptio ea adminiſtrandi per Vicarios, jam videretur eam authoritatem conſecuta, quæ ſatis ſit ad minas priſcorum Canonum declinandas.* En igitur, quæ ſit Beneficiorum merè Simplicium origo: eo tempore, quod ab anno 1180. ad 1230. effluxit, primo cœpit tolerari; tum deinde ſenſim firmioribus præſcriptionis, ac conſuetudinis receptiſſimæ, niti præſidiis.

Ibidem n. 5.

Altius eſt revehenda Eccleſiaſticarum Penſionum, quàm Beneficiorum Simplicium, origo. Tradunt Viri in Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ, ac Diſciplinâ verſati, vel à Chalcedonenſis Concilii uſque temporibus, quin immo etiam prius innotuiſſe Penſionum uſum. In hac eſt Sententiâ Thomaſſinus quem ſequutus eſt Braſchius, his verbis. *Sed quidquid ſit de nomine Penſionis vel non, vel obſcurè, & parcè in antiquis Canonibus explicato, Res certè ſignificata per ipſum nomen, ſaltem uſque ad tempora Concilii Chalcedonenſis Generalis IV. habiti, anno 451., ritè valet, atque opportunè referri.* Thomaſſinus autem, qui primum Penſionum exemplum promit ex antedicto Concilio, ſic ſcribit: *Exauthorato Domno Epiſcopo Antiocheno, Maximus ipſe, qui*

Tom. 2. pag. 189.

Tom. 3. l. 2. c. 29. n. 2.

qui ſubrogatus ei fuerat, *à Chalcedonenſis Concilii Patribus copiam ſibi fieri petiit*, *ut ad ejus ſui tentationem impartiretur eum portione aliqua proventuum Eccleſiæ Antiochenæ*. *Deprecor glorioſiſſimos Judices*, *& Sanctam Synodum*, *ut humanitatem in Domnam exercere*, *qui fuit Antiochiæ Epiſcopus*, *dignemini*, *& ſtatuere ei certos ſumptus de Eccleſiâ quæ ſub me eſt*. Congratulati ſunt Maximo Legati Pontificii, & commendarunt, *ut ſumptus ei*, Domno, *de ſuâ Eccleſiâ*, *miſerationis intuitu*, *pro ut æſtimaverit*, *largiatur*: *ut contentus alimoniis*, *quieſcat in poſterum*; acceſſit cæterorum Patriarcharum, & Epiſcoporum aſſenſus, ac denique Imperatorii etiam Judices, applauſere: *Amplectente Sancta Synodo arbitrium Maximi*, *& nos eidem conſentimus*; *ejus arbitrio derelinquentes*, *quæ ſunt de Domni honorificentiâ*. In hoc porro primum, quod ſe obvium dederit, & perilluſtre vocat, Penſionum exemplum, idem Thomaſſinus. Alia etiam promi poſſunt ex eodem Concilio Penſionum exempla quæ prætereo, Lectorem ad authores, ac ejuſdem ipſius Concilii Acta remittens.

Act. 10. Con. Chalc.

n. 3.

Act. 11. & 12. & 24.

Sequioribus etiam Seculis haud paucæ reperiuntur à Pontificibus Summis, vel inſtitutæ, vel approbatæ Penſiones, quibus levabatur paupertas egentium Clericorum, aut è ſuo gradu dejectorum, vel ſponte Beneficia dimittentium. S. Gregorius Magnus, quos in Monaſteria ablegabat Presbyteros, Diaconoſque ac inferiorum Ordinum Clericos, pœnitentiæ agendæ causâ, jubet, ut *ad uſum ſuum accipiant*, *unde ad pœnitentiam ſubſiſtant*, *ne ſi nudentur*, *locis*, *in quibus dati fuerint*, *oneroſi ſint*. Eadem hujus Pontificis, erga depoſitos, benignitas conſtat, cum Agathoni Liparitano Antiſtiti, Sede ſuâ depoſito, ex Liparitanæ Eccleſiæ reditibus, *quinquaginta ſolidos* adſignavit. Non abſimiliter apud Thomaſſinum idem Gregorius cuidam Epiſcopo Galliarum, qui acerbiſſimo capitis dolore torquebatur, voluit, ei ſuaderetur, ſponte ut ſe Epiſcopatu exueret, aliumque ſubſtitui pateretur, *Sic tamen*, *ut quouſque eundem Epiſcopum in hoc Seculo vita tenuerit*, *ſumptus ei debiti*, *de eadem Eccleſiâ miniſtrentur*. Concilium etiam Emeritenſe anno *666.* celebratum ſic Epiſcopis conceſſit, ut Diœceſanos Parochos ad Cathedrales Eccleſias revocarent, ut tamen Titulum retinerent, & reditus; in Parochiis, vero, *Presbyter alius inſtituatur*, ajunt Concilii Patres, *qui Sanctum officium peragat*, *& diſcretione prioris Presbyteri*, *victus & veſtitus rationabiliter illi miniſtretur*, *ut non egeat*. Innumera denique proferri poſſunt hujuſmodi largitionum exempla, quæ non aliud erant, quam eæ, quas nunc Penſiones ſolemus nuncupare; ut proinde liquidum ſit antiquiſſimum eſſe Penſionum Uſum veterum Conciliorum Generalium, ac Provincialium, ſummorumque Pontificum authoritate roboratum, approbatumque. Viguit ſemper mos iſte, ut Beneficia, juxta temporum, ac locorum circumſtantias in Penſiones ſecarentur, nec unquam fuit abrogatus, quamvis pluribus legibus coarctatus. Quoniam autem avaritia ſic quoſdam Clericalis Ordinis viros invaſerat, ut Beneficia reſignantes, novos Beneficiarios immodicis Penſionibus fatigarent ad exceſſum, leges diverſis temporibus conditæ ſunt, præſertim, ut, ne Penſiones tertiam partem redituum excederent, quibus effrænis hæc Penſionum, ad ſaturandam avaritiam non ad levandam inopiam impoſitarum luxuria cohiberetur. Atque hinc effectum eſt, ut plures è Sanctis Viris, nominatim S. Carolus Borromæus, qui Mediolanenſis Archiepiſcopatus clavum moderatus, Romanam Purpuram, ac Orbem, & maximè Italiam totam ſuæ Sanctitatis fulgore illuſtravit, alieno eſſent animo à Penſionibus, & contra eas totis viribus depugnarent, uti de S. Carolo oſtendit ejus Vitæ Scriptor Novarienſis Epiſcopus apud Thomaſſinum: at id non aliâ de Cauſsâ, niſi quia, quod primitus in gratiam ſublevandæ paupertatis inſtitutum fuerat, & ob alias juſtiſſimas Cauſas, luxuriam deinde ac ſordidam Eccleſiaſticorum avaritiam fovere agnitum eſt; de cætero, licuiſſe ſemper, ac licere Beneficia in Penſiones dividere congruas, nemo cordatus audebit inficiari; quod Eccleſiæ praxi haud interruptâ, & Pontificiis Oraculis, ultro eſt firmatum:

L. 1. epiſt. 42.

L. 2. ep. 13.

P. III. l. 2. c. 29. n. 14.

L. 11. ep. 7.

Can. 12.

V. Thomaſſin. loc. cit. c. 31.

V. Paragraphum hunc claudere non debeo, niſi prius ex S. Gregorio Magno advertam, Penſiones jus tribuere Penſionariis ad Eccleſiarum proventus, nullam tamen Spiritalis juriſdictionis, aut dignitatis partem in eos derivare. Sic enim S. Doctor & Pontifex, ad Epiſcopos Illirici, quibus mandat, ut extorres Epiſcopos ac Clericos in Societatem fruendorum ſuarum Eccleſiarum ptoventuum, admitterent: *Non quidem*, inquit, *ut per Communionem Epiſcopalis Throni dignitas dividatur*, *ſed ut ab Eccleſia*, *juxta poſſibilitatem*, *ſufficientia debeant alimenta percipere*. *Sic enim & proximum in Deo*, *& Deum in proximo diligere comprobamur*. *Nullam quippe eis nos in veſtris Eccleſiis authoritatem tribuimus*, *ſed tamen eos veſtris ſolatiis contineri ſum-*

L. 1. epiſt. 43.

ſummopere hortamur. Hoc ſenſu pervagatiſſimam eam Regulam, *Beneficia dividi non debere, nullam in ea cadere diviſionem*, intelligi debere, inquit, Thomaſſinus, ut nempe referatur, *ad poteſtatem ſpiritualem, ad unitatem Paſtoris, & Paſtoralis officii*, non verò ad poteſtatem temporalem in fructus, qui ex Beneficio habentur. *C. 29. n. 9. & 10.*

§. III.

Quibus ex Praxi Eccleſiæ, conferantur Beneficia Simplicia, ac Penſiones.

I. NOn eſt hîc ſermo, utrum ne Clericis, utrum ne Laicis etiam conferri poſſint, aut debeant Beneficia. Quamvis enim apud Diſciplinæ ac Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritos, Beneficia olim Laicis etiam ſint commendata, id tamen ex pravo abuſu potius, quam ullâ authoritate legitimâ factum eſt. Et ſi fortè hujuſmodi Collationibus, quæ Laicorum gratiâ fiebant, & in Clericalis militiæ detrimentum vergebant, annuère vel Romani Pontifices, vel aliarum Eccleſiarum Prælati, id fuit, quod ita temporum neceſſitas poſtularet, & ut graviora mala devitarent, Cleri proceres minora permiſerunt, vel erga Laicos de Eccleſiâ optimè meritos ad extrema redactos, quos alioqui indita ab ipſis natalibus eximia nobilitas in orbe claros reddebat. Beneficentiam ſuam voluerunt eis oſtendere, etiam Eccleſiaſticis Patrimoniis ditando, ex quibus alimoniam conditioni ſuæ congruam percipere poſſent. De cætero liquet apud omnes Canoniſtas, Laicos de ſe Capaces non eſſe Beneficiorum. Hinc, quidquid hac in Re prioribus Seculis commiſſum eſt, quod adverſaretur huic Juri Communi Laicos à Beneficiis omnibus excludenti; id totum conati ſunt abſtergere Seculis Undecimo, ac Duodecimo, tum Summi Pontifices, tum Epiſcopi, tam in Conciliis, quàm in particularibus Sanctionibus, ac demum circa finem Duodecimi prorſus cohibita eſt Secularium Laicorum ambitio, Eccleſiaſticos reditus, decimas, & Eccleſiarum bona invadentium. Gregorius Septimus univerſim prohibuit, ne Laici aut invaderent, aut retinerent Decimas, quæ Juris omnino ſunt Clericorum, in Concilio Romano, hoc Canone: *Decimas quas in uſum pietatis conceſſas eſſe Canonica authoritas demonſtrat, à Laicis poſſideri, Apoſtolica authoritate prohibemus*. Alexander etiam III., in Concilio Turonenſi, graviter expoſtulavit: *Quamvis grave nimis, & divini dignum animadverſione judicii habeatur, quod Laici quidam, quod Sacerdotum eſt, uſurpant in Eccleſiaſticis rebus: Majorem id formidinem incutit ac dolorem, quod fomitem ſui erroris dicuntur in ipſo Clero aliquoties invenire, dum quidam fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum, aliorumque Prælatorum Eccleſiæ Decimas Laicis, & Eccleſiarum diſpenſationes indulgent, & in devia eos mortis impellunt, qui prædicatione ipſorum ad vitam fuerant revocandi*. Epiſcopis proindè interminatur è gradu ejectionem, ſi quas Laicis poſthac Decimas, Oblationes, vel Eccleſias conferant. Agnoſcis ex his prorſus excludi Laicos à Beneficiis; nec jam opus eſt, ut hac in Re, diutius immoremur.

V. Thomaſſin. p. 2. l. III. c. 12. & alibi paſſim.

Rebuffus de Cler. à quibus, & quomodo emuntur n. 4. Navarrus Conſil. l. 1. de Sacram. non iteran. conſil. 8. Barboſa de Epiſcopis 3. p. p. 219. & alii plures.

Concil. Roman. ſub Greg. 7. Can. 10. apud Thomaſſin. tom. 3. l. 1. c. 1. n. 3. Concil. Turon. an. 1163. Apud Arduin. tom. 6. Concil. p. 2. pag. 1798.

Nec etiam propoſitum nobis eſt inquirere, Digniori ne an minus Digno Clerico, ſint conferenda Beneficia. Hæc enim ad alios pertinent, & nos Dignioribus dumtaxat conferenda eſſe ſupponimus; quæ Communis eſt juris peritorum Sententia. Id enim ex Innocentio III. deſumitur, qui ſcribens Archiepiſcopo Mediolanenſi, hæc habet: *Non affectu carnali, ſed diſcreto judicio debuiſti Eccleſiaſticum Officium & Beneficium in perſona magis idonea diſpenſare*. Id unum inquirimus, quibus Clericis, & cur, Beneficia merè Simplicia ab omni onere Reſidentiæ libera, ac Penſiones, ex praxi Eccleſiæ, conferantur. *Lib. 3. Decretal. tit. 12. cap. 1.*

II. Sancti Gregorii Magni ætate, de quo etiam ſupra tetigimus, Presbyter quidam Aurelius, è partibus Galliarum veniens, Pontificem rogavit, *Ut, ſicubi in poſſeſſionibus Beati Petri Apoſtolorum Principis, Oratorium, aut locus, qui Presbytero, vel Abbate indigeat inveniri potuerit, ei debeat committi*. Scripſit Pontifex Candido Presbytero, à quo regebatur Eccleſiæ Romanæ in Galliis Patrimonium, ut huic Aurelio, quod poſtulabat, concederetur: *Quatenus, & ipſe ſubſidium vitæ præſentis inveniat, & nos inveniamur, petitioni illius paruiſſe*. Erat hoc jam tum Beneficium Simplex, utrùm à Reſidentiæ lege immune, vix credo; quia tamen ab hujuſmodi originem habuerunt ſuam ea Beneficia, quæ nunc à reſidentia ſuos Beneficiarios *S.Greg. l. 9. ep. 65.*

exi-

eximunt, hoc in exemplum adductum eſt, ad oſtendendam, quę fuerit Eccleſiæ Diſciplina, in conferendis Simplicibus Beneficiis. Liquet, ergo, penuriâ laborantibus Clericis, conſueviſſe talia concedi Beneficia, eaque peti poſſe à Pauperibus Clericis, in propriæ inopiæ levamentum. *Nam Patrimonium Eccleſiæ;* ait Thomaſſinus, *Pauperibus Clericiſque ſuſtentandis dicatum eſt, qui & Pauperes & Clerici jam ſunt; ii certè cæteris præponendi ſunt omnibus*, ni mores, & Vita refragentur. Quidam, inquit, *ad ſolam honeſtatem ſpectare, non verò ad neceſſitatem, quòd Beneficia merè Simplicia conferantur Clericis non habentibus alia Beneficia Reſidentialia*. Illud tamen certum eſſe debet, Pauperes Clericos cæteris eſſe præferendos in adeptione hujuſmodi Beneficiorum. Poteſt verò etiam aliud habenti Beneficium, conferri Simplex, quod reſidentiam non requirat; & è contrà, habenti Beneficium Simplex conferri aliud Reſidentiale, ſi tamen primum non ſit ſufficiens ad honeſtam Clerici ſuſtentationem. Unde habes Beneficium Simplex non eſſe ejuſdem naturæ ac cætera, quæ compatibilia non ſunt; tutus namque etiam eſt, ex Navarro, qui plura obtinet Beneficia, *modò*, inquit, *talia Beneficia non requirant reſidentiam perſonalem, & requirantur ad honeſtam ſuſtentationem illius*. Hęc placuit notare, ac non inutiliter.

P. 2. l. 1. cap. 37. num. 13.

Porro, ad hoc ut Beneficium Simplex quis validè ac licitè adipiſcatur, ſatius eſt, ex Communi Juriſperitorum Sententiâ, ſi Clericus ſit, Primâ Tonſurâ inſignitus; *hujuſmodi etenim beneficia nullum ordinem Eccleſiaſticum, nec majorem, nec minorem in Beneficiario depoſcunt*. Quin etiam, *Simplex Beneficium Clerico poteſt concedi Conjugato*, ex Lateranenſi Concilio, in Appendice; cùm priſcorum temporum ferret Diſciplina, ut Conjugati etiam Clerici, Beneficia obtinerent. *Ad hæc ut Clericus Beneficii Simplicis valeat eſſe capax, ſufficit quod annum agat quartum decimum, jam inceptum;* immo de jure communi ad tale Beneficium, *juſta ætas illa cenſeretur, quæ ſeptennium exceſſit*, niſi Tridentinum Concilium contrarium ſanxiſſet. Quoad Scientiam, verò, ſatis eſt, ſi habeat neceſſaria *ad Primam Tonſuram, & Horas Canonicas recitare ſciat*, quamvis aliud requiratur examen ex Navarro, ab eo, quo quis Clericus factus eſt; *quia plura requiruntur ad hoc, ut quis ſit dignus Beneficio, quàm ad hoc, ut quis ſit dignus Clericatu*. Decet, ut major in eo effulgeat morum honeſtas, & Vitę probitas, eumque commendet major, in omni, ſed præſertim, Rituum Eccleſiaſticorum Scientiâ, profectus.

V. Barboſa de Epiſcop. p. 3. alleg. 62. num. 4.
V. Braſch. tom. 4. pag. 41.
Navarr. Conſil. 3. de præbendis conſil. 10.
Braſchius tom. 4. pag. 41.
Append. poſt Concil. Lateran. III. tit. de Cler. Matrim. copul. n. 3. apud Braſchium tom. 4. p. 74. ex Ilinio tom. 7. fol. 673.
Braſchius tom. 4. pag. 5. num. 11.
Barboſ. p. 3. alleg. 60. num. 76. idem ibidem num. 72.
Seſſ. 23. de refor. cap. 6.

Quantùm, verò, ad onera, quæ Beneficiario mere Simplici incumbunt, ſentiunt Docti hoc Seculo Viri, ad ſolum officium divinum teneri, quamvis reditus Beneficii eſſent pingues; & ideo dici, quòd, *propter officium datur Beneficium*, nempe officium *Divinum*. Neque onus exiguum ſe Deo ad quotidianas Horas devotè attentè & integrè recitandas obligare, ſub pœnâ æternæ maledictionis; prętorquam quod, à pluribus debet hujuſmodi Beneficiarius abſtinere, ab iis, quę permiſſa ſunt Laicis, Clericis verò ſunt ſecundùm Canones interdicta: debet Eleemoſynas dare, Caſtitatem ſervare, ſi in Sacris ſit, & ſimilia, quę non adeo levia ſunt onera. Ut ut tamen hęc ſint, illud apud omnes juriſperitos conſtat, Beneficiarium Simplicem, ſi ultra officium divinum, alia onera habeat adimplenda, non requiri ut ea ipſe per ſe adimpleat, & ſatis eſſe, ſi per Vicarium. Hinc ubi Angelicus Doctor Beneficiarium dicit ad alia teneri ultra divinum officium in ſuę Eccleſię obſequium, ait, quòd ea *debet exſolvere, vel per ſe ipſum, ſi ſit Præbenda, quæ requirat reſidentiam: Vel per Vicarium, ſi hoc ſufficiat, Secundùm Eccleſiæ ſtatum, ac conſuetudinem*. Noſcis ab Angelico diſtingui Beneficia, quę ſuos obligant Beneficiarios ad perſonale ſervitium Eccleſię exhibendum, ab iis, quę per Subſtitutum illud ſervitium præſtari permittunt. Secundi generis eſſe ea, de quibus nunc agimus, Beneficia mere Simplicia, nemo cordatus ambiget. Valet porro, *conſuetudo, ut habens Beneficium Simplex, non teneatur ſervire perſonaliter illi*, ſed per alium, ſi Miſſarum celebrandarum onere adſtringatur, juxta Sententiam Navarri, pro ſe citantis Panormitanum & Felinum. Tritum eſt in jure tum Civili tum Canonico proloquium illud, *qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*; hocque, licet non iis Beneficiariis, quibus Animarum Cura incumbit, favere non poſſit; in eorum ſaltem gratiam admiſſum eſſe dici debet, de quibus nunc ſermo eſt; *Beneficiariorum mere Simplicium*. Adde tamen, ſi in his non eligatur induſtria perſonæ, cujus propria & perſonalis actio in Beneficii fundatione fuerit expetita, & ſubſtituti ſubrogatio diſertis verbis excluſa.

Barboſa ibid.
Navar. Conſil. l. 3. de præbendis conſil. 2.
S. Th. quodlib. 1. q. 7. art. 1. in corpore.
Conſil. lib. 3. de Cleric. non reſid. conſ. 6.
C. qui per alium 72. de Regulis juris in 6.

Ex his habes, erudite Lector, Beneficia mere Simplicia Pauperibus, præſertim, Clericis ex Eccleſiæ praxi, qui quartum decimum ętatis annum jam inceperint,

rint ; poſſe conferri ; poſſe ea quoque conſequi Clericos vix primâ Tonſurâ decoratos , de aliis Beneficiis proviſos , ad commodiorem ſibi parandam vitę ſuſtentationem , eorumque pluralitatem tolerari ; ea demum iis poſſe concedi , qui perſonaliter onera Miſſarum , & ſimilia Beneficiis adjuncta non adimpleant , ſed per alium , dummodo ſe noſcant ab Officii Divini recitatione exemptos non eſſe , immo ob tale officium propriè ſe iis potiri Beneficiis , cui proinde oneri omnino ſatiſfacere debeant .

III. Alia eſt Penſionum ratio , nec tamen prorſus abſimilis . Penſiones in eorum pręſertim gratiam inſtitutas eſſe , qui vel ab Epiſcopatu deturbabantur , vel ſponte Beneficia ſua reſignabant , nemo jam ambiget . Neque ſequioribus Seculis aliter ſe geſſerunt Eccleſiæ Pręſules in decernendis Penſionibus . E ſuâ Sede ejecto , Hincmari Remenſis Operâ , Laudunenſi Epiſcopo Hincmaro , in ejuſque locum ſuffecto Hedenulſo , à Joanne VIII. Papa , ſtatuta eſt penſio ex Epiſcopatus Laudunenſis reditibus excerpenda . Rothado ſimiliter Sueſſionenſi Sede depoſito , Hincmarus à Rege procuravit Abbatiam , unde alimenta ſuſciperet , & ut aliqui Epiſcopi , illi , ſicut Patris de ſuis impendiis ſervirent . *Nihil opus eſt* , inquit Thomaſſinus, *nos immorari in eorum Epiſcoporum Cauſa penitus excutienda , quorum tuitionem Pontifices Romani , ad quos illi provocaverant , in ſe receperunt . Utcumque ſe res habuerit , erat omnino æquitati conſentaneum , ut dum vita ſuperaret , ſumptu alerentur earum Eccleſiarum , quibus exuti fuerant . Ææ penſiones à Papa , à Rege , ab Epiſcopis , à Conciliis Statutę , & confirmatę ſunt .*

V. Thomaſſin. p. 3. l. 2. cap. 30.

Ibid. num. 2.

Eccleſiaſticas Penſiones , de Eccleſiâ Benemeritis Clericis , conferri poſſe ac debere , nec non etiam aliquando Laicis , aſſerunt ferè omnes Canoniſtæ . Et quamvis , quę hactenus attulimus monumenta , id tantum videantur innuere , Penſiones iis conferendas eſſe , qui Beneficia amittunt ; notum tamen eſt , Penſiones aliis etiam de cauſis imponi Beneficiis ; *Nec pro ſolâ* ; inquit Braſchius , *remuneratione ſervitii Eccleſiæ penſionatę præſtiti , ſed etiam ad tollenda diſſidia , ad convenientem penſionarii Statum ſuſtinendum , & ad alias honeſtas cauſas , inter quas , non ultimum tenere locum debet ſervitus Pontifici , ſervitus Epiſcopo pręſtita , in quibus , procul dubio , Eccleſię deſervitur . Juſtæ quoque cauſæ reſervationis Penſionis ſunt , ſi fiat . . . . pro Pauperibus alicujus loci adjuvandis , pro remunerando aliquo ſtrenuo viro , qui adverſus Paganos , & Infideles , pro Religione fortiter dimicaverit , & alię conſimiles pietatem redolentes .* Compertum etiam eſt apud juriſperitos , eos omnes qui Capaces ſunt Beneficiorum Capaces eſſe eodem jure Penſionum ; quin immo , eos etiam ; qui Beneficia adipiſci non poſſunt , Penſiones nihilominus poſſe . Hinc apud Navarrum , *quia Penſiones non ſunt Beneficia , ideo inhabilitatus ad illa per Conſtitutionem pœnalem , non videtur inhabilitatus ad Penſiones* , quamvis , idem , alibi *Penſionis eſſe* Capacem neget ſecundùm ſtylum Curiæ , eum , qui Beneficia conſequi non valet : *Earum etiam* (Penſionum) ait Braſchius , *obtinendarum , ne dum Clerici , verùm etiam Laici cenſerentur eſſe Capaces ; quia hę de ſui natura videntur habere rationem ſtipendii quodammodo temporalis : quanquam de ſtylo Romanę Curię non niſi Clericis conferantur . Ita ut ſi Penſionem accipiens ſuper fructibus Beneficii , Clericatu careat ; penſio ipſa reſolvatur , & ad nihilum redigatur .* Sixtus Papa V. , Bullâ , *Cùm Sacroſanctam* , jubet omnes Penſione gaudentes , Tonſurâ , & Veſte Clericali inſigniri ; aliàs Penſione privandos . S. Pius , pariter , V. , Bullâ *Et proximo* , Penſione quavis donatos , vult quotidianis defungi Beatæ Marię horis Canonicis . Fori etiam privilegio gaudent Penſionarii , non ſecus ac Beneficiarii . Concilium denique Tridentinum , inter Titulos pro Sacris Ordinibus ſuſcipiendis , ipſam Penſionem enumerat . Ex quibus apparet Penſiones nunc eodem ferè in numero haberi , quo Beneficia ; magis tamen laxam eſſe Penſionariorum , quàm Beneficiariorum Diſciplinam . Hinc Penſiones , non verè Beneficia eſſe nuncupanda , ſed portiones Beneficiorum , quæ eorundem naturam participant , & iis ſimilia ſunt .

Braſchius tom. 2. pag. 191. n. 14.

Conſil. l. 1. de reſcriptis conſ. 12.

Conſil. l. 1. de tempor. Ordinat. conſil. 11.

To. 2. p. 188. n. 7.

Barboſ. de Epiſc. p. 2. pag. 233. n. 8.

Seſſ. 21. de Reformat. c. 2.

Colligere eſt ex iis quæ hucuſque dicta ſunt , de jure Communi omnes omnino Clericos Capaces eſſe Penſionum , quinimò & aliquos Laicos . Has conferri poſſe ac debere iis Clericis præſertim qui Eccleſiæ inſervierunt ; deinde vel ob incapacitatem , vel ob rationabiles Cauſas , Beneficia amiſerunt : Iis , qui vel Summo Pontifici , vel Epiſcopo ſervitium exhibuerunt ; quâ in Re , non eſt cur excludantur , qui famulitium ſuum S. R. E. Cardinalibus exhibent : ii enim Eccleſię pariter deſervire dicuntur ; iis demum , qui ob alias Cauſas , veluti Evangelii Prædicationem , vel pro fide ſubita certamina , de Eccleſiâ optimè meriti ſunt ; vel etiam , quibus

V. Privileg. Conclaviſt.

ad

ad Paupertatem redactis, unde alimoniam ſumant, aliud non ſuppetit, quo Clericalis gradus honeſtati conſulatur.

§. IV.

Num etiam Regulares Canonici Capaces ſint Beneficiorum merè Simplicium, nec non Penſionum.

I. HActenus fortè à propoſito fine aberravimus, dum, occaſione Simplicium Beneficiorum, in compluſcula alia divertimus. Conſultò nos in plura abductos fuiſſe ultrò fatemur; verùm ut inde plus luminis noſtro argumento affunderetur. Recolamus primò, Beneficium Simplex illud eſſe, per Navarrum, Rebuffum ac Thomaſſinum, quod Animarum Curam nequaquam annexam habet, ut etiam ſenſim mos, ſic accipiendum eſſe, invaluit. Certè, ſi Canonicorum Regularium, præcipuè Lateranenſium, Formula Profeſſionis inſpiciatur, attentèque conſideretur, ad hæc ſimiliter Beneficia Jus ſibi reſervaverunt. Non iniqua, neque irrationabilis conditio hæc eſt, quàm à Majoribus acceperunt, ita, à plurimis Seculis, in faciem Eccleſiæ Vota Solemnia nuncupantibus. Hæc verba ſunt Formulæ Profeſſionis: *Aliquod cum Cura, vel ſine Cura Beneficium acceptabo*. Præmonuimus, non abſque gravi injuriâ dici poſſe, Reformatores Ordinis Canonici appoſuiſſe Actui Solennis Profeſſionis Jus contra omne Jus; Pactum inutile, perniciosum, ſcandalorum fomitem, litiumque originem. Vinculis Solennium obligationum, quas liberè contrahit quiſquis vovet, hunc libertatis Uſum, intra fines Eccleſiaſtici ſive Clericalis Status, reſervaverunt.

II. Videamus inſuper, quomodo Tridentinæ Synodi ſe ſe explicaverint Patres, interdicendo Canonicis Regularibus Translatis, in pœnam levitatis animique inconſtantiam, omne Beneficiorum genus. Hæc ſunt verba Concilii: *Ut taliter Tranſlatus, etiam ſi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia Secularia, etiam Curata, omnino incapax exiſtat.* (*Seſſ. 14. de Reformat. cap. 11.*) Ut quid additur *etiam Curata*? Cur non ad Beneficia Secularia Curata, abſolutè ac ſimpliciter? An non ſatis clarè liquet aliam noviſſe Tridentinos Patres in Canonicis Regularibus Capacitatem ad Beneficia, præter illam, quam habent ad Curata, dum edicunt, Beneficia Secularia *etiam* Curata, non poſſe obtineri à Translatis? Ad tollendam omnis divagationis ſpeciem, omneque Apoſtaſiæ periculum, interdixerunt Tridentini Patres per illam dictionem: *Etiamſi* Canonicorum Regularium fuerit, ne dum aliis omnibus Regularibus Translatis de uno ad alium Ordinem, Beneficia conſequi poſſe, ſed *etiam* Canonicis Regularibus pariter Translatis; hoc eſt, ultra alios Regulares, etiam Canonicos Regulares, quantumvis Capaces, excludit; vel, non ſolùm Regulares genericè acceptos, ſed *etiam* Canonicos Regulares, ſpecificè conſideratos. *Optimè comprobat*, docet Cardinalis Petra, *fuiſſe in eis de jure Capacitatem, cui oportuit derogari, mediâ declaratione Canonicorum Regularium*. Uſurpando ſimiliter dictionem, *Etiam* in ſpecificatione Beneficiorum Curatorum, redditur hic ſenſus: Tridentini Patres non ſolùm vetant Translatis quibuſcunque Beneficia Simplicia, & Canonicatus, ſed *Etiam* Beneficia Curata, licet ſint longè majoris perfectionis, ac ſit ſtatus privatus Simplicis Religioſi. Voluerunt Patres Concilii abſcindere omnem divagationis libidinem, quæ primò contingere poterat in appetitu Beneficii Simplicis, quod eſt minoris perfectionis ſtatus; 2. in appetitu Canonicatus cum Reſidentiâ, majoris perfectionis ac Status Sacerdotalis cum Simplici Beneficio; 3. in Collatione Beneficii Curati, majoris undequaque perfectionis. Etenim ſi non appoſuiſſet Clauſulam, *etiam Curata*, vix credi potuiſſet, interdicere voluiſſe Regularibus quantumvis Translatis, tantę perfectionis, meritique Statum, quale eſt regimen Animarum. Verùm quia amputare optarunt totaliter omnis divagationis ſpeciem ſub quocunque prætextu utilitatis proximi, vetuerunt ne dum Beneficiorum Simplicium ac Canonicatuum, ſed *etiam* Curatorum, Collationem. Quia igitur Canonici Regulares Translati declarantur incapaces cujuſcunque generis Beneficiorum; hoc eſt, non ſolùm privantur Beneficiorum Simplicium nec non Canonicatuum conſequutione, ſed etiam Curatorum; è contrario ſenſu Canonici Regulares non Tranſlati, deberent declarari Capaces, ne dum Beneficiorum Simplicium ac Canonicatuum, quinimo & Curatorum, attentâ illa dictione, *Etiam*, cujus naturæ eſt includere, & auge-

augere diſpoſitionem ad qualitatem, cui adjungitur, ita ut diſpoſitio verificetur in totum in qualitate prius expreſsâ (in noſtro Caſu ly, *Beneficia Secularia*, ſunt illa qualitas expreſſa), & poſtea in illâ ſuperadditâ, ſicut notatur per Barboſam ac Cardinalem Tuſchum. Verùm ſi aliter explicandus ſit Conciliaris Textus, veritati libo verba mea. Unum eſt tamen haud inveniſſe me Textum in Terminis terminantibus, apud Sacros Canones, expreſsè interdicentem Canonicis Regularibus Beneficia Simplicia ac Canonicatus, licet nequaquam deſint, qui eis hanc Capacitatem contendant. Fortè quia ſcribentibus obvia minimè fuerit Canonicorum Regularium, nominatim Lateranenſium, Formula Profeſſionis.

Barboſ. tract. var. dict. 112. n. 7. & in puncto Card. Tuſch. verſ. concl. litt. D. concl. 275. n. 7.

III. Hæc porro Capacitas ad Beneficia Simplicia libidini vagandi, ſi quæ timeretur, minimè faveret, ſi intra Clauſtra his Simplicibus Beneficiis Canonici Regulares potirentur. Beneficia hæc, ut ſuprà advertimus, Clericis Pauperibus conferri conſueverunt, ut: *Paupertatis levamentum aliquod habeant ſuæ, & Pontificiæ largitatis beneficium*. Quando Clericus de Beneficio proviſus ſimplici admittitur ad Profeſſionem Regularem, eique permittitur à Sede Apoſtolica Beneficii Simplicis retentio, in Bullâ conceſſionis exprimitur id fieri: *Ne*, ſcilicet, *dicto Ordini oneri ſint, & ut in neceſſitatibus & uſibus ſuis religioſis aliquod percipiant ſublevamen*; Itaque loquutus eſt Innocentius Duodecimus, duorum Simplicium Beneficiorum retentionem indulgens. Hujus etiam Paupertatis intuitu, ob inſtantium temporum calamitates, præcipuè quando Beneficia hujuſmodi de Jurepatronatus ſunt, vel cùm Perſonæ Religioſæ Benemeritę de Eccleſiâ eſſe dignoſcuntur Canonicis Regularibus poſſent concedi. Idem dicendum eſſet de Penſionibus, quæ portiones Beneficiorum ſunt. Qui enim totius Capaces exiſtunt, eo magis & Partis. Addo nonnullos ex Patribus Sacrę Rotę abiiſſe in hanc Sententiam, ut Tranſlati ſint Incapaces ad quæcunque Beneficia Secularia, & Virtualiter etiam ad Penſiones, quam ſcilicet Incapacitatem & expreſſum Impedimentum ſeu obſtaculum contra Regulares de unâ ad aliam Religionem tranſlatos, induxit Sacrum Concilium Tridentinum. Si ergo totius rationis Cardo in eo ſitus eſt, quòd vigore Tranſlationis, Regularis non ſit Capax ex diſpoſitione Conciliari Beneficii Eccleſiaſtici, nec non virtualiter & Penſionis; è contrario ſenſu Canonicus Regularis non Tranſlatus cenſendus erit Capax Beneficiorum quoruncunque Secularium, & Virtualiter etiam Penſionum, juxta diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini.

R. P. D. Urſino Cephaluden. Penſionis Ven. 25. Iunii 1683.

Seſſ. 14. c. 11. de Reformat.

IV. Ut ut hoc opus ſit, ſubmiſi jam & lubentiſſimè, Auctoritati ac judicio omnium Rerum Eccleſiaſticarum Moderatoris, cujus gladio ſubjaceant volo iterum mecum meique labores. Accipe tu quoque, Amice Lector, otii mei qualeſcumque hos fructus. Selectiori Doctorum calculo ſi roborata haud eſt hæc noſtra Sententia, mei gratiâ, Jura Juribus addas, ne audire merear; *Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam, Viribus, & verſate diu; quid ferre recuſent, quid valeant humeri*. Non lucri aut elationis cupidine captus, ſed ut Jura Propriæ Congregationis ſarta tecta ſervarem, in hoc theatrum deſcendi. Excuſanda intentio eſt, ubi nequaquam excuſari opus poteſt. Patronum minimè quæro ubi ego, aliique peccatum agnoſcant. Præſumere ſi non poſſum, ut de me meoque hoc opere, quis nihil dicat, niſi quod omnino falſum, aut culpandum non eſt, aut ad me ac Rem non pertinet; cuperem ſaltem neminem neque lepidè exprobrare mihi poſſe, materiam hanc meumque Sermonem illam connexionem habere; quam habet *cupreſſus cum Naufragio*, aut ad convicia & Calumnias Calamum meum, rationum inopem, excurriſſe; quando Religioſâ Charitate, ut moderationis amator, objecta diluere ſtudui, & ab injuriâ temperare, melius ut valui. Unum præterea ab amico Lectore iterum efflagito, ne doleat ſcilicet in Re tam magni momenti; Canonicorum Regularium gratiâ compendioſo valde nimis calamo ſcripſiſſe me, ingentia volumina exigente materiâ. Num mei Juris, Uſuſque haud fuerim cauſa ſit, an oppoſuerint ſeſe parvitati meæ *nugæ illæ, quæ in Majoribus*, juxta Phraſin Auguſtini, *negotia vocantur*; ſat erit, ut me expediam, in Urbe mea hæc otia ediddiſſe, ut nonniſi grandiuſculæ molis ſpes eſſet Opuſculi; in Urbe, quoniam prægrandia quoque ingenia, robuſtiſſimique humeri, graviſſimarum rerum pondere ac ſarcinâ ſæpe incurvari ſe ſentiunt; eoque fortius intelligentiâ tenues, mei ſimiles, viribus oppreſſi ingemiſcunt, etſi occupari noſcantur in nihil agendo. Quo ſemper libebit vel lepidè, vel ſeriò cuilibet hic ſcribenti illud Horatii ad Florum commemorare: *Me Romæ ne volumina cenſes ſcribere poſſe, inter tot curas, totque labores?*

Horat. de Arte Poetică.

Ex S. Auguſt. adverſ. Petilianum cap. 59.

Dictum Horatii lepidum.

Confeſſ. lib. 1. cap. 9. n. 3.

Horat. epiſt. lib. 2. in ep. ad Julium Florum. Poemata.

F I N I S.

ERRATA CORRIGE.

PAg.21.*lin*.42. tavernis , *lege* cavernis. *Pag*.24.*lin*.55. Ut : *l*. Ita. *Pag*.41. *lin*.15. Interdicta : *l*. Interdictor. *Pag*. 53. *lin*. *fin*. Inexplicabilitas : *l*. Inaplicabilitas. *Pag*. 88. *lin*.3. effundit : *l*. affundit. *Ibidem circa fin*. exrra : *l*. extra. *Pag*. 92. *lin*.18. ubique : *l*. ibique. *Pag*.118. *circa fin*. Eccleſia : *l*. Eccleſiæ. *Cætera Lector emenda menda*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google